# LYCEI
# LATERANENSIS
## ILLVSTRIVM SCRIPTORVM
SACRI APOSTOLICI ORDINIS
Clericorum Canonicorum Regularium
## SALVATORIS LATERANENSIS
# ELOGIA.

*CELSO DE ROSINIS CAESENATE*
*Eiusdem Instituti Doctore Theologo, & Abbate*
*AVCTORE.*

LIBRIS VIGINTI AD FACILIOREM ORDINEM
DIGESTA.

In quibus eorum Opera edita recensentur, editionesq;
Notantur:

*Et quæ Manuscripta integra reliquerunt, in quibus nam Bibliothecis asseruentur adducitur.*

Cum Quadruplici Indice Auctorum, Nationum, Operum, & Librorum Sacræ Scripturę explicatorum.

## TOMVS SECVNDVS.




CÆSENÆ M. DC. IL.

EX TYPOGRAPHIA NERII.
*DE CONSENSV SVPERIORVM.*

# ALEXANDRO TROILO. ANCONITANO

## ABBATI GENERALI

Canonicorum Regularium Saluatoris Lateranensis

*Perillustri, & Reuerendiss. Domino suo singulariter colendo.*

Celsus Rosinus Cæsenas Abbas F.



PErmitte benignus (Perillustris, & Reuerendissime Pater, ac Domine) me secundam hanc Elogiorum meorum Partem nomini addicare tuo, qui cæterorum omnium in te vno consolidas, concludis, veritatiq; consona facis Elogia. Secundum te apud Triadem Sanctissimam deposco intercessorem post Eminentissimum Protectorem Barberinum, qui Primus in Ordine locum Diuinissimi possides Legislatoris Augustini. Quærebam pridem, dum postremã Lycei huius adornarem coronidem, intra mẽtis penetralia meæ, de Felicitate, quæ viatorũ est, & Beatitudinis nomen plerumq; audit; Quisnam omninò illam hominum possideret: si in hac tamen lachrymarum valle quispiam talis inueniri daretur. Doctos hosce, piosue recurrebam, librabamq; laudatos Patres, Scriptoresque nostros vita functos, volutabam & viuentes vniuersos. Quæstionem vrgebat solemnitas, qua continenter illam aggitauere omnia sæcula, omnesq; sapientiæ nomine cogniti. Qui mihi de more propitius esse sueuit præualens in funda & lapide Isai genitus Rex suppetias opportunè suggessit, inquiens, *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius*, Psal. 127. Illos solos vera fælicitate diuites, beatosq; esse, qui timore Dei exuberantes vias illius rectas, mandataq; currerent indefessè. Hinc actiuis passiua applicando, vel thesi hyppothesim subijciendo, inter tales felicem te, beatumquè statim agnoui, qui in omnium oculis Dei tui timore valatus vias eius vsquè modo rectus ambulasti rectas, quiue ad virilitatis confinia supremos Dogmatis tui apices assecutus esse dignosceris. Eò autem vel maximè in id firmatus sum, quoniam cætera circumspectus obseruans, quæ Rex idem eodem loco subiungit, & quomodo de vniuersali ea proportione ad singulare descẽdat animaduertens, ac si vni alicui loquatur tantummodo, vniuersa tibi optimè aptari perspexi. *Labores manuum tuarum*, inquit, *quia manducabis: beatus es, & benè tibi erit*. Manducasse est cibum in propriam conuertisse substantiam; manducasse est operequotidiano, & veloci escam ore triuisse, stomaco commissa, natiuoq; ac proprio calore in iura carnis & sanguinis transfudisse. Quisnam verò Canonicorum adinueniri nostrorum potest, qui in laborum contritione, absumptione, transmutatione, velocitati, quotidianitatiq; à te in eis adhibitæ comparari aliquando possit? Tu post tyrocinij, studiorumq; labores assiduos, post noctes insomnes desudatas, alsas, Clericus adhuc Leuites, vel

 Suble-




# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER VNDECIMVS.



## M. ANTONIVS BAGAROTVS PLACENTINVS.



AB Ioanne Paulo Lumatio Mediolanense eo, qui de cultissimæ Pictoreæ Praxi, Theoriaq; optimè promeritus est septem editis libris, Marcus Antonius Bagarotus Placentinus scitè prorsus ad viuum effictus est, cochleam ex conca sua summo quodam gladiolo extrahens, in pulcherrima ea historia, qua parabolam nuptiarum Euangelij penicillo mirabili repræsentauit super frontem amplissimi triclinij Augustinianę Canoniæ Placentinæ. Siquidem effigies illa ad symbolicè plurima innuenda aptari potest actionum eius, quas valdè insignes præstitit: vt si illam refferas ad controuersiam difficilem eam, qua totius Ordinis Canonici periclitabatur antiquissimum decus, primigeniaq; gloria; vel si eam ad illustrissimæ Canoniæ fabricam applices ipso absolutas auctore. Vtrarumq; enim videtur satis apta syntomia,

quippe sera dies, & penè sæcularis, priorem quasi in modum cochleæ ambulantem protraxit per eum dirimendam; & posteriorem, sub breuiore licet periodo, optimus Pater ab ouo ad summam vsque perduxit coronidem, cum ex primo Benedicti, ad secundum Augustini Sanctissimorum situm, & aream ædes secum quodammodo transtulit concameratas. Floruit in Congregatione omni titulo commendatus: potior tamen dotium eius fuit spiritus consilij, quo gubernationis sarcinam diù sine fatigatione tulit, eandemq; alios ferentes iuuit exemplo, ac suasionibus. Cum primum ad eam assumptus est à proceribus adhuc iuuenis, nuncium rei accepit in vico quodam ex prædicatione remeans quadragenaria ab occursante forte Concanonico. Sacellum aderat Almæ Virgini Deiparæ Sacrum: quare zelo tactus intrinsecus equo desiljt, in genuaq; procumbens adorato Numine votum Sacratissimæ vouit, se omni prorsus conamine in posterum concionatores, iuuenesue ad apostolicum munus animaturum, & promoturum in Ordine; quando ipse in partem pastoralis sollicitudinis vocatus ab officio in futurum cessaturum iam prænosceret: vt reponeret nempè tot in suas vices explendas, quot protectione huiusmodi iuuare eum contingeret. Re autem ipsa dehinc præstitit quod vouerat, vt in Paulo Malchiodo, Athanasio Arcello, alijsq; multis Placentinorum, & exterorũ innotuit. Manum grandem non segniter sub Prælaturę initijs admouit operibus magnificè perficiendis. Siquidem, si vera sunt (prout verissima arbitramur) quæ nobis aliquando retulit Angelus Gabriel Anguissola) Marcum Antonium videlicet annorum vigintiquinque spacio pręclarissimam Augustinianam Canoniam ab primo ab eo posito fundamentali lapide ad omnimodã vsq; perfectionem perduxisse, atq; absolutæ illi per annos vndecim superuixisse; profectò ex calculo dierum eius liquet illum & Abbatiam, & fabricam vno penè tempore inchoasse. Vix autem credibile est priuatæ sortis hominem, illumq; Congregationi addictum modicę, molem tantam & mente concepisse, & opere complesse, quæ Principes ipsos exterrere posset sumptu suo. Certè ab illo, cui eam videre non contigit, fides vix aliqua exigi potest tanti conceptus ad maturitatem vsque perducti. Perpauca admodum sunt toto orbe Christiano religiosorum domicilia huic vni anteferenda, illaq; vt plurimum non vno tantum auctore, neque vna paucorum annorum non intercisa serie completa; si tamen demas quæ pia Regum magnorum mens, & inexausta facultas excitauit. Pręsensionis cuiusdam spiritu cumulatum in huiusmodi constructione declarant, quæ respondit aliquando exquirenti curiosius Canonico, tam amplas cur excitaret ædes: futurum enim citius, inquit, vt qui hoc tempore Placentini plurimi tota Congregatione sparsim diffusi enumerarentur subditi, Prælatiue, ad natiuas tantum sedes incolendas, gubernandasq; compellantur vniri. Rei verò euentus prænotionem probauit post annos ab eius obitu ad triginta quatuor. Hic idem spiritus præsagiendorum futurorũ illi familiaris esse ob animi excel-

excellentiam summa excultam prudentia innotuit, cum matronam quandam nobilissimam obituram infamem lachrymans dixit, cuius impotentia lis quædam iurisdictionis aquarum controuersarum in Sanuitalium fauorem adiudicata fuit aduersus legitima Augustiniani Collegij. Si quidem nostro hoc æuo illa capite plexa occubuit publico spectaculo, iure ne, an iniuria videant alij. Ab insula Abbatiali ad Visitatoratus prouinciam assumitur anno quinquagesimo superioris sæculi sub maiore clauo Constantij de Vecchis Mediolanensis, quam Prouinciam Tertium tulit interiecto ab qualibet vice septenij spacio, in cuius tamen spacij intercapedine Tertium quoq; Generalem Præfecturam gessit. Quare visus est per annos viginti quinque iugiter iura, si non solus, saltem præcipuus in Congregatione curare: quandoquidem qui rebus præerant Columbinus Raparius, Gregorius Barbadico, Constantius de Vecchis, Gratianus Bonauentura, Archangelus Rossius, alijq; proceres adeo huius colebant prudentiam, zelum, dexteritatemq; vt nefas arbitranrentur quidpiam maioris notæ illo agere inconsulto. Tundebantur autem per dies illos in Congregatione puncta momenti eiusdem, vt ab illorum enodatione iure merito Familia tota penderet, sollicitosq; gereret animos, quod de communi in eis ageretur dignitate, deq; patrum hæreditate conseruanda. Instabat Summus Hierarca Pius Quartus, vt ad Conuentum Tridentinum ex nostris Abbates Theologi mitterentur: iamq; Riccardus Olzenengus, Paulus Pelatus, & Sixtus de Rhenis eò properarant; cum Generali Bagaroto illorum missionem refferenti necessum fuit pandere Pio, qui multiplicare in eo cætu sacrosancto gentem, magnificareue lætitiam satagebat; quam in angusto res Ordinis esset, dum prçmeretur ab Monachismo ferè vniuerso sibi primatum Ecclesiasticum exposcenti super Clericalem gloriam, primigeniumq; decus: atque ideo vereri se sumopere, si Doctores Canonici (quod non Abbates nuncuparentur, sed Præpositi, Archipræsbyteri, Priores,) ob tituli Abbatialis nouam prærogatiuam Monachis eò missis cçdere cogerentur; ne ex eo actu potissimæ causæ suæ præiudicium inferretur. Illo porrò orationis pondere expressit optimus Generalis negotium; vt Ter Maximus ille iusserit in syngrapham conscribi loca in Abbatias erigenda, quæ numerum viginti quatuor Abbatum desssignandorum implerent. Vidit autem, ac lætatus est Bagarotus ante obitum non erecta modo Monasteria illa in Abbatiales titulos, sed & litem præcipuam Primatus in Ordinis fauorem diremptā sub definitiua Apostolica sententia, subq; Pontificio Breui defectuum omnium suppletiuo: hac quidem ab ipso Pio IV. illud verò ab Quinto successore per expeditas literas totam rei seriem legitimè continentes. Vtramq; expeditionem debet quidem grata posteritas iustissimo throno Petri in duobus Beatissimis Pijs illis; sed tamen laude sua Marcum Antonium nunquam fraudare expedit, cuius solertia, sedulitate, diligentia, zelo, spiritu, dexteritate, cæterisq; dotibus insignibus ignitum ferro super

incude

incude positum discussionis ad intentam antiquiorem formam redactum est. Non profectò solus ex Ordine grande opus id curauit, cum Antistites omnes, præcipuiq; maximè superius laudati, pleno corde, & animo illud vrgerent, & insimul, & quisque sciunctim iuxtà vires, & talenta; sed præcipuus tamen fuit in eo. Communes illo iubente supplicationes, preces, sacrificia per totam Congregationem celebrata sunt per annum integrum, ieiuniaq; seruata bis in hebdomada qualibet; vt ab omnium bonorum largitore Deo propitiatio exoraretur, mentisq: illuminatio in Sanctissimum immitenda Vicarium, ante omne humanum quodlibet opus. Nec minora quidem requirebantur adiumenta, quando potiora Italiæ Collegia, Patauinum, Bononiense, Ferrariense, aliaq; nonnulla pro causa Monastica auri locupletiore starent in suis consultationibus, venalesq; calami Doctorum, alioqui insignium, paginas quaqua versum opplerent. Superauit ius causæ penes æquissimum Sacrorum Principem omne integumentum artis, omneq: patronorum sophisma. Ipsa Marci Antonij, Columbiniq: Raparij enituit nunc patiens taciturnitas, nunc opportuna, feraxq; locutio, cum ab præcisa controuersia in puncta, atq; capita delegatos Cardinales necessum fuit informare. Terrebant aulam assidui opportunè, importunè: & dum alter Io: Baptistam Cicadam Sancti Clementis adiret; alter ab Michaele Saraceno S. Anastasię ad Bernardinum Scotum S. Matthæi Cardinales amplissimos properabat: plusq; adiumenti ab horum efficaci, & lucida oratione afferebatur controuersis rebus, quam ab ipsamet consultantium Aduocatorum eruditione: & qui possidebant de integro merita causæ faciliùs illa & proponebant, & illucidabant. Æterno tempore vigeat fama, decusq; vestrum felices animæ. In his, similibusq; animi, corporisuè occuppationibus attigit Bagarotus senectam sexagenariam, qua vrgente cessationem ab gubernatione publica deprecatus est Comitia Generalia anni septuagesimi primi, ab quibus Archangelum Scotum Placentinum clarum Dei pręconem, virumq; religiosissimum Visitatorea censura successorem habuit. Qua in re visus est ei succensuisse Theodosius Burla Concionator & ipse illustris, tanquam magis fauisset Scoto quam sibi in eo obtinendo munere. Hinc quadriennio post is renunciatus Generalis optimi senis placita haud sectatus est. Imperturbata tamen ille animi quiete vti obtinuit medijs oratione, sacræq; historiæ studio. Iam meliorem vitam suspirans, & limen attingens scripsit libros duos colloquiorum spiritualium cum custodiente Angelo pręcos illos quidem sed intimè concitatos, quos tanquam preciosas margaritas asseruatos vidimus Papię apud Ambrosium Marlianum Concionatorem. Anno octuagesimo quarto Superiore Placentiæ summo bonorum omnium merore obdormiuit die tertia Februarij Diuo Antistiti, ac Martyri Blasio dicata. Scripsit.

*Colloquiorum Spiritualium cum Angelo Custode libros duos.* *Lib.* 2.

MAR-

# MARCVS ANTONIVS GIACCHETTVS VENETVS.





ARCVM Antonium Giacchettum discriminãte fręco apud Iustinopolitanos natum,atq;propterea Istriotam,ac Grçcum communiore vocabulo appellatum, Veneti Patres in ius,societatemq; Patriæ adoptarunt. Illustri quippe promotorum iudicio id actitatum suspicimus,cum superuenta dies illum Christiani Oratoris in sacra pergula non vulgare decus meritum declararit,candorq; vitæ,atq;carminis elegantia sub vestimentorum institutis militiæ nostrę conformium integumento, verè Cycneo priuilegio ditauit. Adolescens mercaturæ causa à patre, cæteroqui nobili, Venetias transfretatus, renuentem propensionem à quæstuosis huiusmodi negotiationibus sub ipsa rerum initia patefecit, vt si qua petebátur per genium comearet, nobiliorem sibi, tutioremq; fortunam parare posse demonstraret. Hinc humanioribus literis opera data, & diligenter instructus in ijs,quæ introductio,ac fundamentum sunt ad sublimiora scientiarum, nostrorum hominum conuictum assumpturus Veronam transmissus est,vt cum habitus immutatione Adam veterem expoliatus (quod ex sacro præscripto ceremoniarum initiandorum ore, & còrde proferri consueuit) idueret nouum, qui secundum Deum creatus est iustitia, & sanctitate. Eo loci priorem seminarij annum iecit in totius vitæ futurę probationem, ea austeritate, quę sanctę habitationis plurimorum sanctorum Patrum dudum altricis propria esse solet, in solitudine scilicet montis Donici heremiticam simul, ac cenobiticam formam in conuictu & instituto Canonico referente. Votis etiam solemnibus ibidem editis,per integra adhuc bienni curricula ibi perseuerauit, vt firmior fieret vsu interioris cultura spiritus, ex cuius semper pinguedine actiones verę pietatis,ac religionis fœcundantur. Inde verò Rauennam per biennium amandatus ad philosophica, postmodum in Patauino Viridario triennalibus studijs Theologicam lauream sacerdos promeruit. Exardebant faces desiderij sciendi iuuenile pectus tam aculeatè, tamq; medullitus, vt minus expleretur obsonijs duplicis diurnæ lectio-

nis à Doctoribus nostris profitentibus de more. Hinc nacta occasione, vt quæ Philosophiæ dogmata hauserat iuuaret, Mathematicæ primum, Arithmeticæ, Opticæ, ac Perspectiuæ fundamentis, deinde Astronomicis assertitionibus incubuit Iosepho Moletio Messanense cum primis talium scientiarum eruditissimo Præceptore. Alacritas quædam animi virum industrium in hisce omnibus extulit ad perfectionis puncta, per quæ & antiquorum inuentis inhęreret, & noua proprio marte expiscaretur, præsertim in instrumentis praxeos conficiendis, & in pronostica præsagitione. Verum tenerior conscientia, & in dubijs semper iustè pauida abdicauit viriliter à se augescentem omni dubio procul super quoscunq; profitentes gloriam, atq; inde non inter paucos enatum, diffusumq; decus. Videbatur ei frustra id totum contritum tempus, quo Religionem professo alias euoluere paginas contingebat, quam Sacri Voluminis, expositorumq; Patrum Diuorum, aut alias doctrinarum minus curiositate scatentium. Superesse tamen nos vidimus, dū Venetijs degeremus ad Idiliadem nostram euulgandam, ostensore Vincentio Gonzaghio Abbate multa ex Mechanicis, & Spiritalibus subtilis, atq; eius tutæ excogitationis instrumenta. Ablegatis igitur scientijs, ad quæ genium, iuuentutisue feruor attraxerat, se totum prædicationi donauit, eo feruentiore consilio, quo minore diligentia per aliquot annos abfuerat. Instructurum annuis lectionibus pouespertinis quolibet diefesto, atq; Aduentuali, Quadragesimaliue labore, quod deperijsse putabat temporis; conspiuerunt, præstoque fuerunt, occasiones partim à Proceribus Ordinis, partim à Senatoribus Reipublicæ Venetæ amicis, ac Męcenatibus procuratæ. Ea propter viginti quinque annorum spacio ascendit non infima pulpita Italiæ, ac adiacentium populorum. Semel ac iterum Iustinopolitanos conciues, atq; non remotos Parentinos concionibus maioris ieiunij pauit omni laude, omni admiratione exceptus, ac dimissus. Venetijs octo annorū successiuo decursu diuersis in templis idem officium prestitit. Nec defuissent adhuc maiora omne onos promerito, qui apud Apostolicū per Oratores Venetos commendabatur; ni ex aduersa valetudine vires laboranti defuissent. Acri enim, malignoq; morbo tentatus in summmo vitæ discrimine post diuturnam tabificam afflictionem alterum occulorum amisit. Exercuit verò in ijs, quæ sibi compararat interioris hominis, præsidia, dum non modo constanter pertulit lachrymabile infortunium, sed etiam læto, alacriq; animo. Soli studiorum labores necessaria vacatione remissi sunt, dum non suffragabantur legenti, vel scribenti lumina, nisi ad paucula verba, in quo damna maiora sensit posteritas, quam ipse. Suggestibus tamen non omninò abstulit linguæ, animiq; munia. Alacris namq; & expedita memoria suppeditabat in statas dies oranti peramplas opes, totq; annorum exercitę eloquentię vires habitum genuerant eruditissimum ex temporarię

facun-

facundię. Id pręsertim innotuit in Comitijs Generalibus Rauennę habitis anno sexto currentis huius sęculi, dum oratione latina dignitatem gratulatus est totius Ordinis nomine Petro Bonsignorio Bononiensi Abbati Generali renunciato. Id nanq; munus ita pręstitit ex tempore, vt de repente decumbenti illi, cui onus pridem ex ritu demandatum erat, per paucas vixdum horas substitui potuerit. Rem verò peregit ea dignitate, & ijs luminibus, quę & propensissimi animi gratitudo in senem omninò pręceptorem promptum, & totus congregari Senatus requirebat expectatio. Oratio superest adhuc, & in ęuum, vt dicemus, imitanda successoribus. Ipse triennio post sexagenario maior vitam cum morte commutauit Venetijs die Iouis maximo bacchanalium. Habemus tantum ex eius ingenio alieno velocissimo calamo exceptam à se verò postmodum editam Orationem

*De Præcipuis boni Pastoris Qualitatibus. Taruisij apud Marcum de Antonijs Anno* 1607. *Lib.* 1.



# MARCVS CORRIGIARIVS DE VBERTIS PAPIENSIS.





RAHIT profectò sua quemque voluptas, & in electione generis viuendi liquidò colligitur, quam libera sit hominum mens, & voluntas. Minus quoq; mouent illustrium exemplorum faces, etiam si domesticæ, pectora illa solidiora, quæ diuinarum irradiationum seminibus parata prostrant, & liberæ voluntatis iure aliorsum rapiuntur. Qui Marcum Corrigiarium de Vbertis prçcessere maiores, militiam secuti arma insigniter tractauere. Auorum, & atauorum memoria nobilis tam apud Ticinenses, quam apud Ferrarienses. Martia educatione celebres, literarum studio parum floruere. Donato Corrigiario Vberto genitus est parente, illustribus semper locis stipendia meritò sub Galliarum Regibus Ludouico Duodecimo, & Francisco Primo Insubriæ tum ora potitis. Quo tempore infantem genitrix emisit genitor Arcis Papiensis Præfectura commendabatur, dono quidem Regis, sed & fidei, virtutisq; agnitæ præmio. Quare pronum videbatur ex ijs omnibus coniectari, natum quoque talis fortunæ, talis instituti vitam fore admissurum, quem & annorum puerilium educatio inter fragores, & luces pulueris tormentarij studiosius pellexisset. Sed aliud prorsus fouere tempora, & longè disparibus rationibus mensus est Marcus siue voluptatem, siue voluntatem, siue demum intimos conatus, aut illectiones suas. Nam exacta puerilium ætate, vt adolescentiam ex limine salutauit, de futuræ vitç cursu deliberare valens pacis studia militaribus præposuit, quæ vt inammissibiliter, & absq; retractatione amplexaretur, ab regulari dogmate Canonico sibi imposuit esse sumenda. Satis ab ferri exercitio pepulere iuuenem ingenitæ quidem propensionis ardores ad methodos colendi Numinis, nec non & matris pietas in superos non obscura, & erga filium tenerior, quem suspicabatur graciliorem ad arma tractandá; sed fortius prç cæteris monstruosa illa rerum humanarum varietas, quæ æquo ponderatori nauseam, odiumue inuehit tantç inanitatis, & inconstantiæ. Quippe per sexdecim continentes annos ab eius natali die iura regnorum martio calore impotenter pertractata di-

uersos vsquequaque susceperant super Insubra scena in speciem histrionum aspectus, nunc soco, nunc cothurno calceata pedibus. Horum impetu, & priuatæ Corrigiariorum fortunæ deliquio non modicæ conuulsionis fermè pessum iere. Stetere tamen, & emersere postea. Marcus verò Ioanne Francisco Gaddio Primum Generali admissus, corde in Deum erecto non sibi communia statuit, sed ab exordio ipso per virtutis semitas apicem sibi probitatis proposuit assequendam qua literis, qua disciplina. Non animum inflexere nobilem seueriora conuictus, siue ieiuniorum frequentia, siue dormiendi caritas, siue lana intimis membris omni adhibita tempore, siue pertentatæ obedientiæ asperitas; quin acuere ista cursorem adeo, vt nullum esset stadium, quod non emetiretur ocissimè. Ante initum sacerdotium donatur facultate concionandi, & prouinciam subit instructior scientia, quam lepore, locupletior zelo, quam venustate. Accidit id perincommodè viro bono, quoniam assumpta rudiore forma dicendi sub ipsis initijs, in illaq; exercenda habitum, & assuetudinem inducens, nunquam ad artis quicuncem melior postea resplenduit. At substitura vberrimè innocentia vitæ, soliditasq; doctrinæ attulit, quod auferebat asperitas inconcinna: & idiomata latinum, græcum, hebraicum opportunè adhibita in animi meditatis exprimendis, inq; sacrorum codicum lectionibus enucleandis multò plura conferrebant penes non infima auditoria, quam conciliarent ex popularibus aliorum suadæ. Propterea antequam actuosis se adiungeret præfecturis Mutinam, Nolam, Casale Montisferracis, Sauonam, Bergomum, Tortonam, Cæsenam, Rauennam, Genuam, Mediolanum, Neapolim, Bononiam pro auditorio habuit, vbiq; in maiore ieiunio. Ticinenses suos excoluit frequentiore suggestu, quorum curabat spiritualia commoda non minus acriter, quam liberè, & hoc præcipuè circa posteriores prædicationis annos. Comparata nanque auctoritate ab exercitio iugi virtutum excipiebantur ab illius ore vniuersa tanquam ab oraculo. Poeseos facultate, historiarum cognitione clarus domesticam sibi conciliauit elegantiorum patritiorum iuuentutem, & ab pulpito inuisebatur tanquam omnium facultatum magister. Quare & inter primos illos institutores extitit, qui nobilem Affidatorum cœtum (quem Academiam more Italico dicunt) congregauere anno eius sæculi sexagesimo secundo. In eo cœtu Bianteus vocitari elegit deducta appellatione ab antiquo illo Biante inter septem Græciæ sapientes enumerato, qui omnia sua bona secum portare deprædicabat. Neque inconcinnè effinxit in emblemate ad idem significandum Indam Semiuulpem fœtus suos iam enixos securè portantem adiectis verbis, Custodia Tuta. Hæc verò quæ ad populorum commoda producebantur non perinde solitaria exibant, neque totum occupabant viri ingenium, & acre, & laboris amans. Eodem tempore in Congre-

Congregationis penetralibus ſeminaria curauit Philoſophos, & Theologos exponendo. Placentinum, Vercellenſe, Ticinenſe Gymnaſium gubernauit per plures annos magno Religionis bono. Magiſterium enim minus gratiarum, plus roboris exigens, & ab oratoria diſcretus conquadrabat taliter viro, vt paucos admitteret æquales, ſuperiores nullos. Poſtremos labores Viridarianis dedit, vtranque cathedram eodem tempore exercens Sententiarum Magiſtri, & Acroaſum Ariſtotelis interpres. Peripateticum dogma ad frugem magis diſcipulorum pertractabat, quam ad proprij genij ſenſum, nam ſuoptè guſtu Platonem & admirabatur, & colebat. Hinc ab ſchola totus in eius lectione, totus in meditatis erat,&,quà licebat, conuenire Pytagoræ, & vtroſq; propendere veritati ſaltem ex allegoria contendebat euincere. Poſt longè deſudatum ſtadium in ſpeciem honoris ad aliam currendam viam, adq; alia ſpecioſiora onera ſubeunda prouocatur. Raphaeli Paleario Cremonenſi ad Ordinem ſupremo loco gubernandum aſſumpto datur ſocius Viſitator ex Comitijs Rauennatibus anni ſeptuageſimi tertij vna cum Archangelo Roſſio, Georgio Vedano, & Cornelio . Quadriennio poſt eandem prouinciam portat Secundum ex alieno magis placito, quam ex proprij iudicij approbatione. Faſtidiebat nanque ſpiritus ſtudiorum quieti aſſuetus tam altam negotiorum obnoxiorum molem, tam multiplices rerum euentus, quorum tumultu cogeretur viuere plus alijs, quam ſibi. Quare in poſterum ſtudioſius ſibi cauit, & priuatarum Canoniarum adminiſtratione excepta, vt publicis ſe immiſceret non accidit per ſuperſtitis vitę annos quindecim. Atque hinc emicuit pręter animi ęquanimitatem ſolers viri prudentia, excellenſq; viuidi iudicij pręnotio. Nam à quarto uix anno tot, tamq; noua ſucceſſere ob inuectam pręlaturarum perpetuitatem, ut in aliam faciem ſe prorſus tranſmutarit politicum ipſum Congregationis regimen, & alia alijs superueniendo quà in melius, qua in deterius itum eſt,prout non ſemper reſpondent meditatis, conſultiſue rerum euenta uel iniquitate temporum, uel humanę conditionis fragilitate. Interim ſpectator ipſe factus orcheſtram ſolus uel cum paucis ſuę conditionis occupabat infractus ſemper animo, & laboris in ſtudia tolerantiſſimus. Nam per longam illam quietem totus ſcriptioni ſe dedens, collatiſq; ingenij uiribus, quę primum Theologica docuerat nouo fouens calore in formam Commentariorum digeſſit: deinde per latiora ſe fundens, muſiſq; ſacris ex profeſso permittens,opus, quod iunior inchoauerat, abſoluit, quod infra reddemus. Nihil tamen pręcipuorum eius laborum preſsere calcographi cum ſero nimis manum calamo dederit, & ad maturitatem dignam peracta adduxerit. Moritur inter ſuos anno octauo ante milleſimum, & ſexcenteſimum. Prępoſitus Cęli Aurei, daturq; eius ſucceſsor Paulus Burla ab Congregatione Viſitationum die

tertia

tertia Septembris. Qui superfuere iuxta vsum in alia distraxere curas. Nos sequentium oculati sumus testes, qui dum Ticini studeremus in Bibliotecca Cælaurea ea manuscripta & vidimus, & non semel percurrimus.

*Comentariorum in Primum, & Secundum Sententiarum Volumen vnum ad Gregorium XIII. Pontificem. Lib.* 11.

*Commentariorum in Tertium, & Quartum Sententiarum Volumen alterum ad Sixtum Quintum Pontificem. Duo hæc Volumina non solum perfecta, sed reuisa, subscripta, & signo Sanctæ Inquisitionis signata notauimus. Lib.* ij.

*De Ecclesiastica Hierarchia versibus heroicis libros duodecim. Lib.* 12.

*De Ecclesia Pænitentium item carmine exametro Libros quatuordecim. Lib.* xjv.

*In Epistolam D. Pauli ad Colossenses Sermones. Lib.* 1.

*Diuersorum carminum librum vnum. Lib.* 1.

*De Amicitia Dialogisticè. Lib.* 1.

*Tractatus de modo superandi Turcas Pataui anno* 1571. *apud Marcum Antonium Vlmum, Dicatus Comiti Cæsari de Gambera Episcopo Derthonensi.*



MAR-

# M. HIERONYMVS VIDA CREMONENSIS.





EXIMIVM meritò lætari potes, Inclita Cremona, Insubrum Ciuitas perquam egregia, ex te progenitum, in teq; vna diù educatum Marcum Hieronymum Vidam, hoc est, post Principem Virgilium, Latini idiomatis Poetarum omnium Ter Maximum. Quamuis enim Ciuium & præsentium,& exactorum eminentissima faragine fæcunda appareas omnium artium pacis, belliq; excellenter pertractatarum nomine; vno tamen Vida te ipsa maior iudicaris. At solidiore prorsus argumento lætari vberius ipsa potes Lateranensis Canonicorum Regularium Congregatio. Siquidem maximo decoris tui bono factum est, vt Superi virum insignem ex Congregatione Diui Marci Mantuæ tua inter septa transplantarint; vt videlicet ex pinguedine tui spiritus feliciore stillicidio coagmentatus, omni gloria illustrior euaderet: & qui apud Marcianos illos Canonicos florere iam cæperat Prælaturis Prior Sanctæ Pelagię apud Cremonam; apud te virtutum maximarum splendore maturesceret. Quocunque titulo vir tantus implusus fuerit ad eiusmodi transitum, mutationemue; summo illa nostrarum phalangarum commodo cessit. Habent enim Lateranenses, in quo iugiter glorientur; dum virum omni memoria maiorem memorant, suisq; imitandum proponunt de vniuersa re literaria optimè meritum. Factus à natura ad omne carmen, grauium potissimum materierum heroicam tubam insectatus est, vt extra vanam antiquę Gentilitatis superstitionem nouus se exhiberet Maro castissimæ Religioni. Adiecto nanque omnis animi conatu ad nostra mysteria versu compræhendenda, scripsit Hymnos de Deo, atq; Diuis, ac Cælitibus, quæ antiquum Orphęum de loco deijciant, & Orphicam illam cantatissimam Græcorum Theologiam diù iam, & meritò, obsoletam, non modo superent, sed & præmonstrent abundè, inania illa esse quamuis abstrusa, & recondita, si nostris mirabilibus comparentur, qui reuelato diuinitus lumine eò cognitionis peruenerimus; quò nulli accessus dari potest, nisi per sanctissimam fidem emunctissimè pio. Verum & si talia sint, quæ per Hymnos cecinit, non

tamen

tamen in eis omnem artis neruum intendisse visus est, cum euulgata Christiade Orbis Literarij aures oppleuit, ac spiritus. Tum enim demum clarissimè apparuit, quanta Diuinum Numen in eo contulerit fortunatissima dona. Virgilianę nanq; maiestati fermè ęqualis, & quotquot ante ipsum fuerunt maior, vel à quotquot etiam hucusque floruerunt ęmulatus, ac vixdum ab vno, vel duobus ex parte assecutus; constrantissimè demonstrauit quanta sibi castus Vates polliceri possit, & ad quam nam metam verè pius suos labores in poeticis dirigere queat. In eo opere primus ferè omnium latinorum Poetarum Vitam, Mortem, Resurrectionem, aliaq; Seruatoris nostri gesta ex quatuor Euangelijs collecta ita pertractauit, subiecitue arctissimis artis poeticę regulis, vt omnium antesignanus docuerit, quo pacto, & sanctissima quęque decantari queant, & heroica poemata confici excitata Auctori nominis laude, Lectoriue spiritus feruore, ac deuotione. Hinc postmodum per eius semitas iter arripientes ad immortalitatem properarunt quamplurimi, Iacobus Sanazarius, Hieronymus Fracastorius, Cornelius Magnaninus, Ioannes Franciscus Quincianus, Ludouicus Parisettus, Hieronymus Patauinus, Iacobus Furnius, Dominicus Mancinus, Sangrius, Vindonicensis, Torentius, Murius, Flaminius, Vegius, Gagneus, Villadeus, Capilupi, Villeramus, Ariamontanus, Pruneus, Mirabondeus, Verinus, Bencius, Pontanus, Zanchius, alijq; quorum nomina nostris commemorationibus maiora sunt. Fortunatum hunc operum suorum exitum multa ex parte vidit. Nam ipso adhuc superstite Bartholomęus Botta Canonicus Cathedralis Ticinensis insigni Commentario edito Christiadem illustrauit: & ipsemet ad eundem Bottam scribens sub initio Commentariorum eum exitum contestatur his verbis; Nihildum meum cognosco prętet hos sex libros, quibusde agitur, paucissimosq; alios, quos postquam in Italia publicis formis imprimendos dedimus, statim Parisijs, & Lugduni, mox & Basileiæ, pluribusq; alijs locis elegantissimis caracteribus inscriptos venales circumferri vidimus. Nec mirum profectò, quia cum adhuc parturiretur Christias commendatorem habuit maximum, & Obstetricem fidelissimam Leonem Decimum Summum Hierarcham; cui cum priores libros Vida porrexisset pedibus sanctis prouolutus; ille prę gustus teneritudine, & vbere exundantis animi lætitia admirabundus, & alacer id disticon prorupit,

*Cedite Romani Scriptores, cedite Graij*
*Nescio quid maius nascitur Eneide.*

Paucis videlicet ex antiquo illo mutatis. Ioannes quoque Pierius Valerianus, cum familiariter vna die ex prandio tertius ei liber eiusdem Christiadis perlegeretur ab ipsomet Vida, ex adhibito censore laudator factus ex tempore id protulit inter plura

*Conditor Illiadis tacebitur, atq; Maronis*
*Altisonus dubiam facientia hæc carmina palmam.*

Vt interim taceamus, quę grandis ille Criticus Iulius Cæsar Scaliger vberrimè, protulit in Hypercritico. Quare satis superq; tersit Vida hoc vno opere, quæ damna putauit aliquando Cōgregatio ab illo sensisse super Monasterio Sancti Siluestri Tusculanę Diœcesis Castri Montis Compatrum appellati, si tamen sinceriter damna dici possunt, quę Pontificia voluntate compensata fuere per adiectionē Pręposituræ Sancti Michaelis de Vultedo Cremonensis Diœcesis factā Monasterio Romano Pacis. Interea ille ad Episcopatum Albensem assumptus, nauum se omninò præstitit in ijs, quæ collatæ dignitatis erant, tam in gubernandis populis suæ curæ commissis, quam in Vniuersalis Ecclesiæ præsidio. Illis præsto fuit, dum vagantibus vndiq; bellorum tumultibus, atq; ruinis, & dirę famis incommodis, Ciuitatem ipsam cohortationibus roborauit aduersus Gallicam Langij Ducis oppugnationem vndiq; super equo pontificali Amictu discurrens, & liberaliter communicatis Episcopij, minorumq; suorum Sacerdotiorum prouentibus sustentauit. Ecclesiæ verò vniuersæ profuit, cum in prioribus illis OEcumenici Tridentini Concilij Sessionibus latè laborauit pro veritate firmanda, non suffragio suo tantum de Patrum more; sed & opere, & voce, & scriptis, quod ex ijs liquet, quæ cecinit in hymno de Spiritu Sancto, & quæ tribus Libris de Republica complexus est ad Reginaldum Polum Cardinalem eiusdem Santissimi Conuentus Præsidem. Demum reddita Italiæ pace diù gregem sibi creditum pastus est verbo, opere, & veritate. Grandęuus, hoc est nonagenario maior, fato functus est, plenus quidem dierum, sed multo plenior gloria anno sexagesimo septimo supra millesimum quingētesimum. Parentatum est ei non Albæ modo frequenti concursu, & lachrymis omnium ordinum, sed etiam Cremonæ per Senatus consultum decretis exequijs ex ære publico, quarum videre est descriptionem apud Antonium Campum in Historijs eiusdem Ciuitatis. Nos alibi vitam eius prosecuti sumus fusiore stylo. Sequentia extant ingenij monumenta.

*Christias, vel de Vita Christi Domini heroico Carmine.* *Lib.* 6.
*Hymni de Deo, & de Sanctis ad quadraginta.* *Lib.* 1.
*De Arte Poetica Ad Franciscum Gallorum Delfinum.* *Lib.* iij.
*De Bombicum cura, ac vsu.* *Lib.* ij | *De Ludo Schacchiorum.* *Lib.* ij
*Bucolicorum Eclogæ tres* *Lib.* 1. *Hæc & supradicta metro mirabili conscripta diuersis in locis edita sunt. Nobis Antuerpiæ Anno* 1588.
*De Republica Dialogisticè. Cremonæ apud Vincentium Contem* 1556. *Lib.* iij.
*Synodalium constitutionum. Cremonæ apud eundem* 1562. *Lib.* 1.
*Actiones etiam Cremonenses de Principatu eorū. Cremonæ* 1550. *Lib.* 1.
*De Magistratu, vt testatur se vidiße Antonius Poßeuinus.* *Lib.* 1.

MAR-

# MARCVS RIZONVS VERONENSIS.





IRTVS pręclara Marci Rizoni Encomiastem habuit celeberrimum Matthæum Bossum Conciuem, Concanonicum, ac quoquo modo coetaneum, vt ex epistolis, quas hic ad maiorem veritatis lucem fideliter infra reddemus, apparebit. Nos de more litantes pijs manibus, per calami ministerium paucula connectere non pigebit. Quantum coniectura percipi potest Sodalitium Canonicum receptorem habuit in Montano Seminario Veronensi circa annum octuagesimum post quatuordecim decursa centenaria ab humanæ redemptionis primordio. Ex domestica dolabra Martini Rizoni grammatici eruditissimi optimis moribus, & religione pręcipua prędIti perpolitus gręcè, latinèq; loquebatur, atque scribebat non absque commendatione; atq; ideo adolescentia sic exculta faciliorem aditum inuenit apud Patres eos, qui tum tantopere florebant & patrię, & Orbi. Quod verò cessit non minori eius felicitati, & commodo traditus est in ipso liminari morum formatori Ioanni Philippo Bosso, proh quanto viro, & quam emunctę disciplinę. Terram peregrinari, ac Cælum suspirare, cardines sanctè docentis erant, super quibus machina vniuersa humanæ vertiginis ageretur. Ille præibat exemplo sanctitatis non fictæ, & obsequio linguæ præstissimæ, & centum funibus præceptorum circumseptæ, quam non solueret, nisi suauiore armonia ad pascua æternæ amenitatis prædilectas ouiculas directurus. Hinc deriuarunt fluenta in adolescentem illa, quibus coalitus est in virum quaque perfectum. Vnum enim adeò didicit honorem Dei sitire, vnamq; adeo elicuit animarum salutem esurire; vt præter hęc duo, reliqua arbitraretur vt stercora: & ad pręclaros huiusmodi fines scalpi ita se passus est; vt inanis gloriolę, auręq; humani fastus contemptor in primis euaserit. Ea propter excultus & tyrocinio, & clericatu sibi præcauere, & alijs adiumento esse, vt euangelizare cæpit, totus in diuinas flammas effusor abibat: non Oppida, non villulas, non fora, non compita, non vias omittebat: & quamuis instructissimum pręconem Ciuitates & expeterent, & exciperent anxia cum ęmulatione; tamen & has sæpè omittebat rudioris plebeculę factus instructor, & catechista: nec aliam conquerentibus excusationem pręte xebat, quam

id, quod verè erat, paruulis panem frangere prius oportere, & sublimioribus rostris oratores deesse nunquam. Eo autem acrius infigebantur, quę ab dicente prodibant, quo populis notior erat, quam prępoleret in Ciuitatibus ipsis edocendis, quamue quereretur studiosè. Magnam Matrem Virginem eo cordis affectu prosequebatur, qui in ora semper personaret, inq; debita laudum pręconia se se alacriter effunderet. Manabant proinde prę dulcedinis suauitate, ac gaudio lachrymę quoties de illa peroraret, quarum impetu et raperet, et expugnaret ad idem etiam duriores, minusq; cordatas animas. Hoc idem, sed prę doloris compassiui aculeis contingebat quoties de Sacratissima Christi Domini Passione verba faceret, quę eo teneriora erant, quo affectiua vis vegetior erat, obiectumq; summè lachrymabile. Non ex arida formula, & ex pręconceptis verbis pijssimus Ecclesiastes hæc prosequebatur; sed leniter, sensimq; in hasce theses aut illapsus, aut raptus in torrentis modum laxabat habenas spiritui, qui proloquebatur ex penitimis fibris, ideoq; de facili commotum Oratorem sequebatur coronę commotio. Ratio vniuersę vitę facilitatem hanc comparauit, quoniam in actuali quadam meditatione semper versari videbatur, seu cruciatuum Redemptoris Dei, seu meritorum, ac virtutum Genitrici Diuæ: & inibi loca sibi ea fixerat ad iuuandam memoriam etiam in speculabilium scientiarum quæstionibus, quæ alij, atque alij artificialiter figere solent in rebus vel artis, vel naturæ. Despicientia insuper, & sui ipsius, & rerum mundanarum vniuersarum habitum illum induxerat, qui nihil aut diligeret præter Dei, Dominiq; sui honorem, & gloriam, aut exhorresceret præter peccatum. Verum isthęc fortè fuerunt viri iam ætatis maturę, & longa die ad apicem perfectionis toto corde tendentis. Libet inspicere quantum descripserit illum in iuuentute Matthæus Bossus in epistola centesima septima ad Ioannem Philippum fratrem. Insperatus hodie cum oblatus fuerit mihi nuntius, de danda ad te epistola cæpi mox cogitare, & arrepto calamo cum omninò mihi occurreret nihil, vel nostris, vel alienis in rebus aut necessarium, aut cognitu dignum; & mecum cogitabundus, atq; suspensus hærerem, interim ecce à Senatu Lucensium, priuatisq; nonnullis afferuntur literę mihi, quibus supplices rogant in opus Euangelij Marcum Veronensem venerabilem Concanonicum nostrum sibi à me concedi; cuius concionibus aliquos ita se captos fatentur, vt abeuntem à se illum illachrymantes dimiserint. Pisanis verò, Pistoriensibus, Pratensibus, & Florentinis ipsis, quos omnis concionando lustrauit, ita gratus, & clarus est habitus, vt ab illis etiam absens memoretur gregia plenè cum laude, & aboleri sibi recordatio eius dulcissima nequeat. At agrestiores hos nostros Fesulanos, quorum qui in maiori sunt gloria, hi cæmentarij, lapicidæ, fabriq; sunt; ita composuit, moribusq; instituit, vt

pro

pro captu talium hominum diuina non ignorent in primis, tum ad mores, vrbanitatemq; mutati, non qui antea fuerant videantur. Huic iuueni si vita contigerit (mihi crede) expectationem de eo nostram non æquabit modo, atq; complebit, sed longè profecto euincet, ac superabit. Nam in eo præter doctrinam, quam non mendicatam, furtimue collectam, vt pleriq; sed suam verè, ac peculiarem, gradatim à puero ex candidis, vberibusq; auctorum fontibus haustum possidet. Sunt ista præclara, & ad pulpiti frugem, & laudem maximè accommodata. Ingenium vigil, cogitabundumq; quod vel noua, potiora vel semper inquirat. Studium auidum, atq; incensum, vt plus gaudeat graui labore, quam leui. Mens pijssima, & in Deum semper erecta. Prudentia, suiq; mensura, vix maior etiam desiderari potest. Pulmo, & latera non tam frementem spirirum, ac consonantem, quam suauem, & gratum omnibus edunt. Qui non frangit, & lacerat, sed lenit, & recreat. Viros doctos lingua tum latina, tum græca, & politioribus omnifariè literis oblectat, & instruit. Populares optima, ac saluberrima, planaq; erudit doctrina. Promiscue verò omnes tanto ardore, & vi charitatis compungit, & vulnerat, vt nulla vix concio, quæ in fletu non finiat, in quo prima sacri Oratoris, & beata mihi videtur esse victoria. Hæc tibi de Marco nostro significanda, commemorandaq; putaui, vt redeat ad te cum literis nuncius, qui ita rogabat. Tuq; Marcum olim tibi filium, atq; discipulum, nunc patrem, atq: magistrum, religioni, & patriæ mecum gratulere, qui tantum in pulpiti laude, ac dignitate profecit, vt inter raros enumerari iam meritò possit. Vale. Ad ipsummet verò Marcum scribens Epistolam 131. hæc habet. Quam rectè, faustèq: apud Volateranos res Marce tibi successerint, vt mihi significes opto, rogoq; magnopere. Quanquam suspicari mihi facilè licet ex anteacta tua virtute, euentisq; secundis, te nonnisi peregregiè, atq; sanctissimè præclarum tuum munus tractasse, absoluisseq; cum laude. Sed ita solet immodica charitas, vt semper sit de fide, veritateq; sollicita. Quo fiebat cum te Florentiæ præsens audirem; oblectarer, ædificarerq; vehementer: tunc tamen ad maiorem etiam fidem quid sentirent alij sępius percontarer. Quare de re omni tua literas à te Pater expecto, quas te daturum iucundas non dubito.. Iacobus Thocus Aquilanus, vir egregia bonitate, & Sacri Iuris peritia clarus Cremonam iniit nomine Cardinalis Ascanij Vicariatum Episcopalem administraturus. Is quantum Ordini in primis deuotus sit nostro, quantum & mihi præterea deditus non te, Marce, puto latere. De Ecclesia illa ampla, atq; spectabili, & vmbilico Vrbis medio posita ad proseminandum Euangelium Christi ventura quadragesima sibi decernenda verba cum homine feci, qui promptissimus est, si tu annuis, eam tibi procurare diligenter, teq; velut Angelum Dei omni officio, & pietate complecti.

Iussi

Iussi illum ita subsistere, donec ipse rescribas. Quare si non te Marcum delitæ Tuscæ deuinciunt, grauarisue asperrimas alpes traijcere, fac nos protinus certiores Auditorium illud tibi placere. Agam ex tuo iudicio, votoq; rem istam tuam, immo & meam, quoniam nihil tam tuum fuit vnquam, quod dulcis, & fraterna charitas, & beneuolentia tua passa sit à me esse alienum. Paucos ad dies benedicto, & maximo Deo mihi propitio ad Capitulum Generale me conferam, quæ sors mansura me sit ignorans; sed vtinam tranquilla, & à publicis negotijs libera. Dimisso verò Sacro ipso Senatu, nihil morabor te de meo omni, tuoq; euentu facere certiorem, qui interim mihi de Cælo præsidium ad assequendum beatum, liberumq; otium ardentibus precibus tuis implora. Eleutherius noster extremum vitæ diem subijsse piè, atq; sanctissimè nunciatur à Veronensibus nostris; cui emigranti magno solatio fuere, qui fortè aderant optimi compatriotæ, Generalis Pater, Iustinus, & Gabriel. Audio Valerium nostrum Euangelium Mantuæ tanta gratia, & laude tractasse, vt desiderio sedatum Episcopo sit, quod amplissimum de Ioanne Vercellensi conceperat, quæ mihi magnæ lętitiæ res planè fuit, qui Ioannem illi antequam e vita migraret spoponderam, qui & Valerium quondam amantissimum mihi filium, & sub mea disciplina tyrunculum tam repente audiam ad egregiam pulpiti dignitatem peruasisse. Aliud quod scribam modo non habeo, nisi vt benè valeas. Bononiæ Idibus Martijs 1493. In Epistola trigesima octaua ad Fratrem, hæc dignè de Marco commemorat.

In sortem mihi Fesulas concessisse, fautori Deo referam semper acceptum, & illius prouidentiæ donum mihi venerabile erit. Hic enim (si vsquam loci) & quietem, & pręclarum otium in primis spero. Dulces hic nactus sum socios. Hic iuuentus omnis numero, & virtutibus pręstans post sacrum, religiosumq; negotium, bonarum artium studijs docibilis instat. Saluiatus vir singularis experientiæ, & sanctimonię vitæ neophitos erudit, & format. Ioannes Baptista Vercellensis Philosophiam, cum Theologia iam prouectis ennarrat, & tradit. Marcus autem Veronensis noster, candidissimus spiritus, & in cęlestia semper erectus, etiam si euanzelizet, minores nihilominus horis se fraudans successiuis grammaticam docet. In curandis, ministrandisq; terrenis Feliciani Laudensis diligentia, & opera fidelissima, & prudentissima vtor. Hortos, horeum, cellam vinariam, penu omne Petrus Florentinus Commissus apprimè colit, & seruat, vt non tam quidem meis, quam multorum oculis, & dormiam tutus, & vigilem. Hęc Dominus in seruis suis tueatur, & augeat. Vale nostris commodis hilaris. Fesulis tertio Nonas Maias. Atque hęc quidem disertè, proq; veritate de Marco narrat Matthęus. Verum quę post eius obitum successere adhuc maiora occupant decoris, ac laudum; quin & Bosso ipso Rizonus

succes-

ſuccesſit quaſi in duplici ſpiritu ad exemplum Eliſei, atq; Eliæ, non ipſum ſcilicet tantummodo ſugeſtum tenens inter primos ſui temporis quaq; per per vniuerſam Italiam, ſed calamo etiam mentis ſacra meditata diffundens. Notat Gabriel Penottus ex Ioanne Philippo illum ſcripſiſſe Librum Epiſtolarum ad diuerſos, quem tamen adhuc non vidimus. Quæ extant, & ad manus noſtras deuenerunt ſtatim reddemus valde pia. Deceſsit plenus meritorum pluſquam dierum circa annum vigeſimum à ſeſquimilleſimo Lucæ. Sunt ab eo

*Sermonum ſuper Miſſus eſt, & ſuper quaſdam Beatæ Virginis ſolemnitates habitorum Vercellis librum vnum, in quo pollicetur & totum quadrageſimale ſe editurum. Dicat Hieronymo Boſſo Mediolanenſi Generali. Florentiæ apud Antonium de Tubinis, Anno* 1508 *Lib.* 1.

*Sermonum de Paſsione Domini Librum vnum ad Albertum Auantium Veronenſem Generalem. Florentiæ apud eundem Anno* 1516. *Lib.* 1.

*Epiſtolarum Librum vnum ad diuerſos. Lib.* 1.

### Antonij N. Mediolanenſis.

*OMnia te laudant, nec Chriſto gratior vlla eſt,*
*Quam ſibi quæ Mariæ præſcripſit pagina nomen.*
*Accipe Virgineas radiantia ſydera laudes*
*Sabbata, non ſtylo peruigilata rudi.*

### Gaſparis Mariſcotti.

*VIrgineos, qui vis ſpeciatim carpere flores,*
*Hac Marci inuenies arbore nil melius.*

MAT.

# MATTHÆVS BOSSVS VERONENSIS.





RVMPE, tandem, erumpe, qua licet; ex ore, ex calamo, ex pectore, ſine Rethorum fuco incompta, ſine partitionis ordine incompoſita, Magni Matthęi Boſſi breuis quæcunq; noſtra cõmemoratio. Erumpe exlex, erumpe nigella. Non blandulas amat illecebras, non muliebrem curat mundum, quæ ſuis ſe ſpecioſis nouit matrona dotibus ſtare, haud vnionibus indigna extraneis, haud lapillis redimita, & irradians. Drachmam conferes in gazofilatium, vt beata quæpam vidua, quæ talentorum opulentiam non nouiſti. Suoptè meritò commemorandus is eſt, à quo commendationem ipſa expectes, non attribuas. Verè vna vrbium extitit Verona, quæ tantum virum enixa eſt inter nobiles Boſſę familiæ fortunas verè vna, cui reliquæ poſt habitis eius glorioſis artis, ac naturæ miraculis, tantam ſolummodo fæturam inuideant. Editus eſt anno vigeſimo ſeptimo ſupra Milleſimum Quadringenteſimum poſitu ſyderum fortiſſimo ad imprimendam propenſionem illam, qua ſcientiæ omnes voraciter ad ſaturitatem vſq; inſectentur. Multo tamen illuſtrius puerperium reddidit benigniſſima ipſa Cælitum præſentia per pijſſimam genitricem implorata, à qua ad ſanctitatis conuicturam infixę ſunt animo teneriori faces. Faces, quæ inter reluctans quandoque acris adoleſcentiæ genium vſſere aduerſantia præcordia, præluxere paulò minus, quam deuiæ menti. Ipſa genitoris humanarum rerum experientia à patrijs penatibus puerum abegit in ſpeciem cuiuſdam paterni exilij; vt auſterior extranea diſciplina foueret ſpiritum alacrem, & ſpecimina iam præbentem rerum captum ætatis excedentium, dum à maternis procul non emolliretur blandimentis. Prælucebat ſiquidem in ea ipſa dierum Aurora quid de futuro Meridie, quid de inclinante Veſpera ominandum veniret, rerum diuinarum præſertim comparticipibus caſtiſſimis, vt liquet ex eo, quod ipſemet narrat in epiſtola ad Iuſtinianum in hæc verba. Quis negabit Bernardinum Senenſem ex Minorum Ordine noſtra hac tempeſtate fuiſſe ſanctiſſimum? Ad quem concionantem paruulus à Pedagogo ducebar cum æqualibus ſæpè, quem & interdum porrexiſſe mihi dexteram, applauſiſſeq;, vt erat natuta benignus, ſępè etiam ſum gloriatus. Apoſtoli cuiuſpiam ex illis, qui Spiritum

 San-

Sanctum accceperunt, expræssa videbatur effigies; ardens, humilis, pius, doctissimus, ac prudentissimus, qui suum, & reliquos multos prolapsos ad sinceram obseruationem vitæ, erexit Ordines, & tanta alia egregia effecit opera, vt ab Ecclesia relatus sit meritò in eorum doctorum numerum, qui coluntur in terris, & sacræ illi excitatę sint ędes suę nunc apud nos glorię monumenta, & aculei ad imitandum. Eapropter Insubrum Regiæ Ciuitati opulentissimę Mediolano permissus est, vt Franciscum Philelphum Tolentinatem, & Petrum Perleonum Ariminensem viros gręcè, latinèq; eruditissimos, ac eloquentię eo sæculo antesignanos, alteriusq; disciplinæ auditor coalesceret. Bossam gentem consanguinitate coniunctissimam Principantium Vicecomitum, aula, & gratia, opibusque literis, ac militia florentem hospitam habuit ex genitoris decreto: ne directore domestico destitueretur, dum literarum pararentur ornamenta ambitioso nobilitatis obsequio. Qui ex cultura huiusmodi fructus maturuere suauissimi ęquare expectationem, non illusere conceptam spem. Mercimonias elegantissimas, ex Latinorum pręsertim emporijs leuissimo labore emptas, & collectas comportauit ad vastissimę memorię nauim, placidissimum, quod ętas spondebat, mare dignitatum enauigaturus, carabasa inflantibus lenibus auris, vt naufrago irretiretur euentu. Nec abesse insidiosam cladem plura commonstrauere, cum ignarum adolescentis nauarchi animum, experimentoq; omni destitutum exciperent syrtes occultę, scopuli cęci, voragines Scylla, atq; Carybdis profundiores, pellices Syrenum voces, adulteri vultus, mentientia blandimenta. Quid verò non illexisset, quid non ingurgitasset lasciuiens eorum dierum Insubrica Regia Cisalpinę delitiæ? quid aula non exorbuisset, feruida præsertim iuuentute absque nautica pixide, absq; commonstratrice pagina preternauigante? Qui verò potiorem famulatum maiori Regi, & immortali exhibiturus præstolabatur, in patriam reuocatus est, vbi acrioribus adhibitis monitoribus, parcioribus irretientibus occasionibus, melioribusq; consilijs deferuescere sensit pruritentia illa gloriæ sęculi blandimenta: vtq; interioribus collimabatur illustrationibus anxio pectore, hæsitantibus decretis nutans videbatur sibi propugnator, & aduersarius. Certamen spirituale huiusmodi ipsemet describit ad Philippum Epistola prima in hæc verba. Si quis ergo est, qui animo vacare quam maximè optet, qui esse velit verus cognitor sui, quem denique splendor virtutis accendat; oportet aut religiosam vitam suscipiat, aut eius qui suscepit virtutibus proximè accedat, aut pauper sit, aut inter opes pauperi similis, vt solam consectari virtutem facilè queat expeditus, & leuis. Nam vt de me ipso quidem loquar, dum adhuc infelicem huius sęculi cathena constringeret, dum, quam diximus, Babilon sua tyrannide possideret, nunquam valui id adniti, id assequi, ut innocenter satis, integrèq; uersarer. Me miserum, recogitare sine horrore, & gemitu nequeo

queo, quoties aut immatura æqualium morte, aut inexpectato, & repentino cuiuspiam funere exterritus, quoties conscientię morsibus laniatus mecum ipse dicebam. Expergiscere Matthęe, expergiscere, & resipisce quandoq; in crastinum forsitan moriture. Incertus quippe es, an tibi mors imineat capiti; an tua te nocte hac dies postrema comprehendat. Quoties clarissimorum Christi pręconũ uocibus commotus propria peccata defleui, compressi inuicem palmas, pectusq; cecidi? Quoties statui cum pereunte mundo nolle perire? At necdum ab oculis ista transierant, aut de his cogitare mens penè desierat, cum stultam mentem, & cœcam Mundus iste nouis mulcebat illecebris, cum propria se fallebat credulitas, & in ijs quę diligebat, uoluntaria mentis obliuio. Perspexi luce clarius, sæpeq; didici, nisi funem blandientis sæculi euangelico mucrone præciderem, nisi cunctis posthabitis, atq; calcatis unicum salutis portum Religionem ingrederer, nostram cymbam tantis, & tam crebris agitatam procellis haud quaquam posse saluari. Tandem secundis uentis, aflanteq; salutari nobis Deo portum attigimus, & optata lęti potimur arena: tanto Dei munere, cuius laudi est omne, quod sumus meliores effecti, quanto esse mortuum distat à uità, tanto & de salute securiores, quanto de naufragio in litus eiecti. Auctorem acquisitę salutis post ipsum benignissimũ Numen Timotheum Maphęum conciuem, illum qui postea Raguseorum Reipublicæ sacris præfuit Archiepiscopus Paulo Secundo Hierarca mitrante, & agnouit, & veneratus est epistola secunda secundarum Recuperationum Fesulanarum ad Augustinum in hęc verba, Ad hoc ab illis vehementer impulsus, qui vehementer me dilexerunt, Timotheo olim prima, & consumatissima (cęterorum cum venia dixerim) sui temporis pulpiti gloria, & meę salutis primo post Deum auctore, ad Euangeliumq; magistro. Eius enim suauissimo eloquio, sanctissimisq; concionibus pulsus, animatus, attractus Saluatori Deo nomen dedit stola Clericali thoracatus pro nouę militiæ tyrocinio in montanis ædibus Diuo captiuorum Tutelari Leonardo dicatis anno quinquagesimo primo post Quartum decimum sæculum, ætatis suæ vigesimo quarto. Ab Viridarianæ Academiæ cathedra ad suggestum maioris Templi Veronensis missus Timotheus Quadragenarij Oratoris munere expleto, inter vberes spiritualium trophæorum coronas ciuica quoq; seruati Bosii redimitus Patauium repetere cogitur eodem sibi adiuncto Matthæo, vt iussu maiorum sub eius disciplina coalesceret, atq; enutriret candido inculpatæ conuersationis lacte, solidoq; sacrarum, quas profitebatur literarum cibo, quem pepererat Congregationi pridie. Quantus adhæserit doctissimo, sanctissimoque viro, & quantus ab ore, ab nutu penderit, suopte calamo ipsemet exprimat Disputatione secunda De Veris, ac salutaribus animi gaudijs in hanc formam. Nam vt de me ipso loquar cum Timotheo nostro, viro quidem doctrina, & sanctitate vitę clarissimo,

com-

communiq; nostræ regenerationis auctore, multis in locis (vt te non præterit) annos fermè totos plerunq; fui, atq; vixi. Illi me sacris in literis, atque in his liberalissimis studijs graue non fuit discipulum admittere. Deinde princeps hic mihi extitit ad incundam rationem instituendæ concionis, & proclamandi ex pulpito, hancq; vocem sua industria, suisq; pręceptis conformauit, quanquam & in hoc populari dicendi genere, & in illis, quæ dixi, studijs parum certè profecerim. Sed me quam lætum, quamq; felicem extitisse tum credis, cum tanti viri mihi liceret contubernio vti? virtute singulari frui, humanitatem, modestiam, sapientiam, religionem, pietatem, reliquasq; virtutes admirabiles contemplari? Tenebat animum semper deuotione præcipua, & administratione, ac suauitate incredibili uir ille eloquio dulcisſimus, atq; eum dicentem obseruabam studiosè, & quoquo se uerteret, sermonibus suis suauisſimis tractus illum prosequebar. Fateor inde vsque vitam mihi iucundiorem nullam fuisse, nullũ sermonem dulciorem, nullum etiam tempus felicius, atq; fructuosius. Quid verò inde profecerit in utrasq; innocentiæ, atq; doctrinę semitas non ab eius petendum humilitatis uerbis, sed ab illo uitę, actionumq; procursu, quo & ordinem cumulauit meritis, & se ipsum gloria communiuit. Haud quippe difficile fuit homini iã per omnes Philosophię sectas pręteruecto, iã per Rethorum, Oratorum, atq; Poetarũ ampla latifundi a traducto, et instructo, iam ętate, & ingenio constanter applicito, Disputabilis, Positiueq; Theologię Scholasticorum, ac Patrum quæstiones, & mysteria penetrare; difficillimum uerò id breuiore cursu attingere. Iuuit profectò iugis labor, & perenne tenebrarum, lucisq; studium; sed magè iuuit coarctatio vitæ, amplexataq; ab ipso exordio rigidiorum morum disciplina, & corporis castigatio, secundum quam mirum non fuit, si sapientia citius, quam ætate creuerit, hanc enim dictim cum cibo suxit, vnico illam haustu supernarum irradiationum exorbuit. Nec quisquam nobis vltra prædicet Platonis adhuc infantis in labellis mellificasse apes, in ore Stesicori cecinisse Lusciniam, cum apibus, auibusq; ingeniosior, melle, cantuq; suauior, non ore tenus, primioribusq; in labris, sed in imo Matthæi pectore cælestis hospes sapientia resederit. Ea propter dimissus per Generalia Comitia Magisterio ad Academias Ordinis, & prædicatione ad Populos, intra breue paucorum annorum curriculum ad apicem eminentioris famæ conscendit inter primos enumeratus siue promptisſimæ eloquentiæ, & extemporarij eloquij præcones, siue profundioris, & acutioris scientiæ professores, & explicatores. Neque dubium profectò quin solus præ omnibus, de omnibusq; in vtraq; parte triumphasset, qui sapientiæ animi miras corporis, ac naturæ dotes adiunxerat, ni perpetuis diuersisue infirmitatibus vallatus inter ægritudines ad altum vsque senium maturuisset. Exercitationem

tionem quippe iugis patientiæ, & incessantem crucem portauit in corpore suo, vt aliorum lucrator, sui desertor ex inani gloria non esset. Sed tantò meliore merito nauim suam oppleuit, quanto maiore impeteretur aduersitate. Hinc ad fratrem Epistola 141. Si in malis ducendæ infirmitates corporis forent, ambo infelices profectò, Qui, ex quo florem iuuentę excessimus annos admodum paucos sospites viximus. Sed vita prope tota acta nobis fuit inter dolores, febres, fluxus, languedines, & cæteras pœnas frequentes, & varias, quas longum esset enumerare, & graue, tanquam obductas iam cicatrices iterum cruentare. Vnde obliuiscendo pręterita, satis quidem sit de pręsentibus cogitare. Nam tu Veronę, Regij vero ipse lecto iacemus, te vesica, me febris, & podagra discruciat, quas planè molestias iam senes amplius non extimescebamus, moribundis iam tepentibus sensibus, & situ grandęuo lassatis, qui vt virides maiores capiunt voluptates, ita quidem veternosi ad acriores dolores fieri putarentur minus certè sensibiles. Senescentia enim semper molius ponderibus cedunt, quam certè robusta. Sed omittamus medicinam, & hac in parte naturam, Dominus sit, qui nos mortificet, atque viuificet, id accipientes à pręceptore domestico Paulo, Vt castigati, & non mortificati, quasi morientes, & ecce viuimus, quasi tristes, semper autem gaudentes. Quę omnia agi tecum felicissimè nunquam frater addubitabo (semper enim aduersa fortiter pertulisti) quod & mihi vehementer optabo, qui non tanta virtute sum pręditus. Agat me itaq; istis calcaribus Deus, & istis castigationibus verberet, modo inde mihi prouentus aliquis cęlestis accesserit. Amaram siquidem experti sumus sępè, quę sanat esse medicinam, & ęquam eam pugnam, quę Olympionicem in sudore, & angustia ludi coronat, vnde de Psalmis collectum est illud, Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent. Quę prędicatione Oratoria ex suggestu ecclesiarum, & alloquio familiari ab exedra cubiculi egit illustria, nostro caractere notiora sunt. Zacchariam Lilium Vicentinum Scriptorem insignem, atq; Canonici Ordinis sydus inclytum, postea Episcopum Sebastensem, atq; Philippum Parmensem Medicum, & Philosophum clarum, viros claros, ętateq; prouectos ad Religionem conuertit, vt innumeros alios prętereamus, salutemq; animę contulit, à quo receperat corporis. Ioannem Philippum fratrem exemplo magis, quam verbo ad idem vitę institutum, quod ipse assumpserat, insectandum, cuius ingressu cumulata est Congregatio actionibus sempiterna commemoratione dignissimis circa absolutissimum perferrendarum infirmitatum exercitium. Nullum Ordinis gradum intentatum reliquit, vt per omnia tentatus, & omnium grauamina passus, compati aliquando ab expertis posset omnium infirmitatibus, atq; remedia exhibere omnium conditioni promptissima, & accommoda. Non ordinabatur per saltum, qui

apicem

apicem Canonicæ perfectionis in se plenè repræsentare deberet nepotibus. Tyrocinijs instituendis præfuit per plures annos, atq; ideo experientia commonstratrice collegit inde regulas illas, canonesq; perfectissimos educandorum initiatorum in Religione Christo, quos postmodum calamo æternitati consecrauit ad Philippum Epistola 43. Vt primum Reipublicæ administrationem attigit per proceres in partem Pastoralis sollicitudinis assumptus, solertiam, ardoremq; expræssit animatum ab Euangelica quadam prudentia, quæ columbæ, serpentisue cautiones, & simplicitatem coniungeret. In hoc talentorum genere venit cum paucis comparandus, qui proficua sedulitate exornauit Canonias, prouexit Monasteria, extulit Ordinem confluentibus temporalibus bonis, vbi affluebant spiritualia, cum hæc illorum essent illectiones, & vehicula. Canoniæ Portuensi antiquissimæ apud Rauennates Præfectus ex temporum iniuria, & armorum vi iam ferè ad solum redactæ, aerisq; intemperie male habitabili, quæ secundo lapide ab vrbe distabat intra Ciuitatem nouum elegit situm, nouumq; fundum primus coemit, super quo demum extructa est machina, ac moles verè magnifica, cum paucisq; omninò comparanda. Quanta ibi subierit pericula, quantis obnoxius fuerit laboribus, quæ intentauerit incrementa lubet ab ipsomet refferre Epistola 78. ad fratrem. At verò vt domum (loquitur de Portuensi Canonia extra) appulimus, ò incerta semper, & mixta deterioribus malis hominum gaudia, in tristia, diraq; reuocata sunt omnia. Nam armatorum turbine, & milite quaque disperso vniuersas res nostras perturbatas offendimus. Attritum Monasterium grauibus detrimentis, atq; iacturis. Pecora de armentis abducta, pabulatui area concessa, Stratiotarum Græcorum tentora ad Ecclesiæ parietes vsq; locata, & ab eorum Præfecto domum ocupatam vrbanam, Fratres verò duos nonnullis cum famulis, qui abacturi de agris pascentes equos prodierant, & inclamitauerant, multis acceptis vulneribus partim interijsse, partim nunc quoq; iacere, atq; tabescere. Qui primus interijt plagis dilaniatior Simeon fuit, alter Gregorius collum hasta transfixus. Cæterorum verò vulneratorum adhuc inter dolores, & gemitus nutat in ambiguo vita. Deniq; ad tot incommodorum cummulum edicto Senatus interdicimur frugibus, ne quid ab colonis, & villicis exigi possit, donec de soluendis geminis spondeatur decimis. De diruendo quoq; Monasterio, quod portui, & flumini iminet, & vrbi is bellorum euentibus periculo, & formidini esse putatur, decretum esse iam dicitur, inq; Vrbem commigrare nobis persuadet præceleriter, & vehementissimè Præses. De successu omni siue læto, siue infesto te faciam dietim certiorem; quamquam nihil mali possit accidere aduersa icta forti, & christiano animo toleranti, nostram adiuuante fragilitatem illo, qui non patitur suos commilitones, & seruos tentari super eo, quod

possunt

possunt, sed facit etiam ipsa cum tentatione prouentum; ac pro terrenis, quæ amittunt, cælestia bona compensat. Ad quorum si suspicimus gaudia, hisq; ea comparemus, quæ hic deorsum toleramus tristia, atque maligna, illud nobis Pauli semper iucundè erit in animo, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Et in Epistola immediatè sequenti sic habet. Quæ nobis obueniunt, quæ agimus, quæ & cogitamus, quoniam te cupidum noscendiputo, breuiter admonebo. Perpetuos inter labores, & curas inquieta est mihi vita, quibus satius rebus moderandis, quam prima fronte putaueram mihi videor auspicio, & gratia suffragante diuina, sufficere, & infracto animo satis per incommoda ista transire. De fratribus pars non minima afficitur vrentibus febribus, ex quibus Antonius Foroiuliensis Sacerdos, & Aurelius Cremensis Leuita e vita migrarunt. De transferendo in Vrbem Cænobio sollicitamur instanter, & ad metandam omnem fabricam, & reponendam delectus est nobis situs amænus quidem, & liber vndique, atq; fusissimus, & super omnem vrbis partem eminentior, atq; salubrior, vbi nulla ex pluuijs, niuibus, & tempestatibus moretur illuuo, & putealis aqua vlla, neq; sit infecta salsedine, cæterum dulcis, & haustu suauis. Interim inchoatam in Portuensi Canonica fabricam, & quæ pinnatiora eo in loco se tollunt, longèq; visuntur, demoliri iubemur, quod fratrum pleriq; visuri non sunt sine lachrymis quanquã non paruo fortasse id in beneficio (vt ego arbitror) futurum sit nostro. Præstat enim interdum cadere, quam semper pendere, & mori semel, quam certè quotidie. Adde quid est malitiam pestilentis aeris fugere, quæ æstiuo toto, ac autumnali nos tempore confecit ex defluxu fluminum, quæ se pelago infundunt, & miscent; & ab ventis tandem, qui à mari in monasterium flantes aut enecant incolas, aut quidem eneruant. Sed hoc tibi frater persuade, persuadeant & cęteri homines nostri, si rei isti manum admouero, opus me inchoaturum, quod insigni dispositione, ornatu, indole, ac dignitate modesta (si arrogare hoc mihi licet) omnibus sit arrisurum. Hac sane de causa, quæ est profecto non leuis coactus sum Rauennæ hac ætate præsistère, cui nihil fuerat deliberatius, quam disposita domo repente secedere, & Cælum salubrius petere, sic me hortante Generali Patre, & cæteris quibus videmur chariores. Has inter curas, atq; negotia iacent aliquanto studia otij præteriti nostri, & quos impressioni parauceram, decubant seorsum ab oculis nostris, De vero sapientiæ cultu libelli, te stimulante, frater, à me lucubrati. In laborum auxilio hos mihi selegi, atq; assumpsi, Honoratum Istrum virum probatę grauitatis, atq; virtutis Vicarium, Romanum magna experientia, & vsu rerum OEconomum, & Bonifacium ad censum, & possessionum redditus, & ad rationum tenendarum curam, ad emendum quoq; atq; venden-
dum

dum primarium fore declaraui, qui huiusmodi rebus est admodum aptus, & vir præterea modestus, & optimus, ac in conuersando omnibus gratus. Ad Celsum verò Mapheum in Epistola 81. sic, Tuis cum fratribus istis quietem, & pacem, quam dare mundus ipse non potest, à Deo in quo vno inueniri solet, nobis precare. Nam ex copiarum strepitu, crebrisq; alijs incommodis hora tranquilla fermè nulla ab irrumpente diluculo ad vesperum vsq; nobis conceditur. Taceo graues impensas, interdumq; dirreptiones, & munera porrigenda, quibus tempore isto non parcitur. Quod nisi Prætor vrbis, vir maxima auctoritate, & magnitudine animi Andreas Zanchanus, singulari cultu nobis semper habendus, non vehementer diligeret, & tueretur, ac, supra morem aliorum, etiam cum laude præcipua prædicaret; nostras vires, & patientiam tot incommodam fortè superarent. Ad Seuerinum item Calchum Epistola 101. sic loquitur. Tantis curis frangor, tot incommodis, detrimentisq; exagitor, vt vix quandoq; subsistam. Modo quidem Italus miles, modo Barbarus, modo auxiliares accitæq; gentes, modo perfecti, ac duces, modo aduenæ, amoreq; coniuncti nos ita vel vexant, vel visunt, vt nullus porrò dies subeat placidus mihi, & omninò tranquillus. Quibus perturbationibus tantis, & fluctibus essem propè iam mersus, nisi qui maximè auxilior, & hos quidem ego casus ex nostra philosophia non tolerarem dissimulanter, & lætus. Ægrotaui præterea non paucos equidem dies, & sanè tam grauiter, vt neq; cibus, neque potus me iuuaret vllus, sed meliusculè mihi esse iam cœpit, quanquam longam per inediam, & purgationem lassitudine non modica tenear. Post Archipræsulis Sourancij obitum Venetorum Serenissimus Dux adiecit animum, vt ad nostrum perueniat Ordinem, quæ vacat, Diui Appollinaris Abbatia, tractaturq; Romæ negotium perquam diligenter. Sed pertinaciter aduersantem, & ad preces penitùs inflexibilem Sancti Angeli Cardinalem habemus. Ciues quoq; Rauennates dolent, atq; suggarriunt eam Ecclesiam indignum esse ad religiosos transferri homines, quam ad eorum dicunt vota, atq; suffragia pertinere, sæcularem nobis Abbatem præferentes, quo cum laxius versari queant, & hilares cœnas, salutationesq; liberius celebrare. Eadem opinio Prætori hæret viro sane prudentissimo. Suadet enim, & quod suadet, argumentis fulcit non languidis, præstare nouam quidem sedem, quæ omni ex parte sit nostra, & pristino sub titulo excitata à fundamentis reponi, quam Abbatiam istam vrbis patronam, grauis curæ, ac popularem gubernandam admittere. Quibus de causis ab omni illius assequendæ spe iam quidem decidimus. Quod honori, & gloriæ Virgini fuerit ascribendum, quæ ministros veteres suos, vt ipse coniecto, non patitur se deserta ad alios commigrare. Demum ad Augustinum Barbadicum Venetiarum Principem sic scribit Epistola 93. Iussu voluntateq; tua, Serenissime Prin-

ceps

ceps, ac feliciſſime Domine, tuus, qui Romana agit in curia, Legatus, & cum illo pleriq; noſtrorum conati ſunt, quatenus licuit, nulla opera, laboreq; neglecto Reuerendiſſimum Cardinalem tua in vota deflectere, vt nobis ſcilicet traducendis in Vrbem opinione Senatus, Diui Apollinaris cederet Abbatiam, nepoti ad integrum permiſſis redditibus, & domo noſtra vrbana illi tradita, ampla quidem, & commoda, & ſacello in ea noſtra impenſa conſtructo. Sed ad hæc Cardinalis durior, atq; inexorabilior eſt ſemper inuentus, vt nihil amplius ſpei de re perficiunda ſuperſit; ita fruſtrata, & eluſa omnis eſt opera. Quamobrem remigio, velificationeq; mutata, & te annuente, fauſte, & ſereniſſime Princeps, alium quidem in Portum tendere eſt omninò neceſſe. Quod tua auctoritate, atq; auſpicio facturi, Dux clementiſſimè, ſumus, Virgine pia, & Domini matre, (vt auguramur) rem ita ducente, quaſi non tulerit glorioſum ſuum nomen, cultumq; peruetercm ad alterius Cælitis titulum, laudemq; deferri. Situm itaq; alium, & illum quidem perquam aptum porrexit, & menſus eſt nobis Andreas Zanchanus vrbis Prætor, virq; vt immenſi animi, præcipuæq; virtutis, ita planè tanti ingenij, conſilijq; expeditionis, atq; prudentiæ, quantæ vllum vnquam Magiſtratum inſpexi. Huius viri ſemper animus, ſententia, & conſilium extitit, vt Baſilicam à fundamentis nouam nobis reponeremus eo in loco, ſituq; quem diximus, & Virgini ne lædatur, ac violetur eius priſtinum nomen, & cultus, inſcriptam, atq; dicatam. Sequemur igitur Præoris votum, magnumq; iudicium, tuæ ſublimitati, Sereniſſime Princeps, gratias agentes æternas de beneficentia erga nos tua eximia, atq; præclara, & noſtris meritis omnibus longè maiore. Qui nos, vt quondam ciuis, ſic poſt ſummum, & auguſtiſſimum culmen imperij iſtius, à Dei gratia, & ab hominum reuerentia tibi delatum nos æquè ſemper amaſti, atq; fouiſti, & nos viciſſim ſumus felcitatem pręcati. Vale trepidantis Italię à Barbaris viribus fręnum, & publicæ ſalutis auriga ex S. Maria in Portu Idibus Ianuarij 1495. Quamuis autem animo grandi tanta moliretur Rauennæ, non tamen propterea mentis oculos auuertebat ab decore aliorum Congregationis Monaſteriorum. Hinc eodem tempore ad illuſtrandum Vitanam Canoniam Mantuæ ſuffragatus eſt excellenter, & opportunè verbo pariter, & opere. Ipſum id referentem audiamus, ad Amideum Epiſtola 81. Nequeo quantum quidem cupio, tantum tibi afferre pietatis, & muneris, Amideę venerabilis, atq; chariſſime. Siquidem anguſtiora nunquam ſumus experti, quam modo tempora. In redditibus, in armentis, in domibus, in colonis paſſi detrimenta non pauca à militibus ſumus; qui præter cæera pabulati ſunt per æſtatem quicquid herbidum fuit, vnde noſtrum pecus fuerat liberandum. Et pendere binas de omnibus decimas iuſſu Senatus coacti ſumus, & in munienda foſſi vrbe mperata eſt

nobis

nobis cum sęcularibus Ciuibus insueta pecunia. Quodq; omnium grauissimam impensam postulat, demolire cogimur, iamq; id cæpimus, ædificia Portuensis huius nostrę Canonię, & in vrbe nouum exędificare cænobium; qua de causa grande nobis conflandum debitum fuerit in ære alieno sumēdo. His tamen in tantis rerum nostranũ angustijs mitto ad te, ne frustra rogaueris, duodecim aureos nummos, ex quibus se cum ver cæperit apęrire, claustri istius tui iacias fundamenta, accepturus totidem, si non plures, post sanctum Domini Pascha Ferrariæ, cum ibi cæperit nostrum Generale Capitulum celebrari. Quare magno incipe animo, & si opus est hoc ab initio, ne metuas te obstringere debito aliquotuli æris alieni. Me verò priuatim, & publicè, re quoq; & studio omni inchoato operi nunquam existimes defuturum. Itaq; diuinis quæsitis auspicijs rem tibi propositam animo, ingenti aggredere spiritu. Dimidium facti qui benè cæpit habet. Vale Rauennæ jv. kal. Decembris 1494.

Multo maiora præstitit in curandis rebus nostris Ferrariensibus, cum ibi Prioratum gereret, translatis sedibus suburbanis Diuo Lazaro nuncupatis, vbi inter summas egestates, & angustias diù victitauere maiores sibi solis, ad ciuicas Diui Præcursoris, in cuius Ecclesię fundatione primum ipse lapidem posuit. Sed actionis egregię prodantur circumstantię ab eo descriptę Epistola 130. ad Franciscum Castellum; Æternum salue vir excellenti virtute, atq; doctrina Francisce. Quantum mihi hæreat animo Diui Baptistæ inchoata Basilica non possum tuæ claritudini satis exprimere. Quoquo me verto ea fabrica se mihi offert, & vitam à te, primumq; spiritum implorare videtur, quippe qui ista dignata tua pietate te patrocinatorem, aut patronum operis promptissimè constituisti. Sic quoq; nouo miroq; gaudio compleor semper, quoties sacrùm, & iucundissimum illum recolo diem, quo primus lapis sacratus est, fundamentisq; iniectus ritu solemni Clementissimo Hercule Duce rei auctore non modo astante, sed onerosо lapidi curuus, & anhellus vna cum duobus Episcopis me quoq; speciosissimas manus apponente, quanto senex ille nixu penitus poterat. Taceò quo affectu, qua religione, qua fide, atq; feruore id munus expleuit. Lætissimus singula ipse vidisti. Quæ sancta, & magnifica opera isto in principe optimo, & excellentissimo tuo eo sunt admirabiliora, Francisce, quo rarus est inter principes hodie, qui excellentiam animi sui, & mentis, pietatem, atque constantiam ita quidem ostendat, atque declaret. Numerandum est enim merito per omnem rem sacram, ceremonias, cultumq; diuinum cum vate quodam, & Regum Sanctissimo Dauid, aut verò cum Constantino, Arcadio, Honorio, aut Theodosio Christianissimis Imperatoribus, atq; pijssimis. Tametsi verò incæptis fabricis ad alias familias moderandas traductus fuerit, superuenienſque

dies varios interijceret obices; non ideo tamen sedulitatem deposuit curationis, qua cohortationibus, qua consilio, qua ope, vt videre est in Epistolis ad Desiderium datis. Quamuis verò tam clara, tamque euidentia extiterint prænarrata grandis animi, ardentisque sedulitatis monumenta ; nil tamen adeo clarè splenduit, atque Fesulanæ Abbatiæ reparatio verè mirabilis, in qua Magnifico Cosimo Mediceo vetere expendente ad septuaginta millia aureorum sunt impensa, quæue inter excelsas, & lautas consurgit moles regio propè sumptu extructas, Philippo Brunellesco Florentino Architectore, Philippo, inquam, illo Architectorum Coripheo, cuius prodigiosum ingenium super antiquos quoscunque, ac moderniores vnus Tholus, seu testudo maioris templi Florentini æternum extollit. Fuerat quidem Fesulanum cœnobium nostris vnitum de Anno 1439. Eugenio Quarto sacris principante, verum eo deuenerat temporum, atq; gubernantium Monachorum iniuria, vt funditus penè non modo collapsus, sed euersus videretur. Quare cum suasionibus Timothæi Maphæi Cosmus ille magnus, misericordia motus infelicis incolatus pijssimorum Canonicorum, manum admouisset, non tam ad illud instaurandum, & reparandum, quam ad de nouo formandum, & in elegantiores formas excitandum ; vnus Mattheus Abbas fabricæ præfectus est, id magno volente, curanteue ædificatore. Præstat ipsummet audire rem hanc narrantem, atque sub sequentia candidè, ac confidenter rogantem in Epistola 83. ad Laurentium Mediceum. Quod tu, Laurenti Charissime, atque magnanime, fortasse vix cogitas, omnes, qui in Fesulanum ad nos diuertunt inspecturi Monasterium omni opere clarum, intuentibusque mirabile ; cum partiunculas illas, templi frontem scilicet, & subsellia fratrum, quæ Chorus appellantur, nonnullaque alia minora conspiciunt inabsoluta senescere, relictaque iacere, conuersi ad te suspirant, tibique animum ad hæc perficiunda diuinitus dari, vt datæ sunt diuinitus vires, comprecari non desinunt. Ego verò, qui templo, ædibusque surgentibus operam, curam, intentionemque etiam non exiguam præses adhibui, charusque ex mea hac diligentia tuis progenitoribus extiti, & qui mecum sub his tectis Concanonici Christo famulantur, & militant, quantum felicem hunc diem, quo beneficam tuam manum apponas operi, peroptemus, nullis plane verbis satis indicere possum. Vincit enim hic ardor, qui decorem domus Dei, & locum habitationis gloriæ eius tantopere cupit, ac diligit eloquium meum omne, atque sermonem. Taceo Ordinem vniuersum nostrum, omni præsertim Italia diffusum, & Deo miserante, numero virtutibusque nitentem, cuius vel ibi aliqua ratio habenda etiam est, cum tui peculiarius simus

omnes, & quantum fictilia, & moribunda vascula possumus tua pro salute, quæ vna omnium est & conciuium tuorum, & nostra, precibus, gemitibus, votis, meritorumq; suppetijs Cælum pulsamus. Nullæ hinc, atq; hinc literæ, quibus non quęratur, num perficiendi operis tibi insideat animus. Quod si cæperis velle, atq; ita equidem velle, vt incipias agere, non solum nobis, qui tecum Florentiæ degimus, sed singulis, qui fermè omnem, vt diximus, Italiam complent, nostris te confratribus, dum stabit Regularis hæc nostra Religio excolendum, memorandumq; præstabis; tantus est vniuersorum delubri huius amor, & vt absoluatur auiditas. Quibus planè rebus versatis sæpè mecum, atq; libratis, consilioq; eorum maximè adhibito, qui chari tibi sunt, tuaq; pro dignitate, & laude vel animas obiectarent; statui quidem mihi te, Laurenti insignis, atq; magnamine, multa alia, atq; diuersa cogitantem, Rei præterea publicæ tuę perpetuo consulentem & cælestis prouidentiæ dono felici omnium commodo primatum agentem; ad nos etiam tanquam ad præclaram aliquam suam laudem, ac sempiternam in Cœlo mercedem reuocare, atq; conuertere, qui inchoatum à paterno tuo auo, deinde à Petro genitore destitutum nunquam opus, nec prorsus ipse destituas, eorum virtutum omnium, atq: opum hæres non modo pulcherrimus, & nobilissimus, sed tantę pręterea felicitatis, & nominis, vt maiora, quam illi ipsi vnquam, tu facilè possis. Qui auitam virtutem omnem, fortunas, atq; potentiam seruasti non solum, ac tenuisti, sed, afflante tibi Christo, tam longe, latèq; extendisti, ac dilatasti, vt nemo iam videat, quo te sublimius tua virtus possit attollere, & illustrius collocare. Ingēs animus, ac sapientissimus tuus effloruit in vtraq; fortuna admirabilis, atq; conspicuus, omniumq; vocibus nobilitatus. Quid, Laurenti, per Deum, tu virium, tu ingenij, tu fortitudinis declarasti, cum furentem illam, fragoremq; tonantem & innocentissimi tui sanguinis, & generosi spiritus necem, extremaq; nefanda exhanellantem modo cedens, modo repugnans incredibili constantia, dexteritate, prudentiaq; tua sub iugum traxisti, & tanquam manibus post terga reuinctam in triumphum duxisti? Quæ tandem cum grassari violentius vltra non posset, benigno te vultu conspexit vel inuita. Quam certè fortunam, non vt insanus omnium furor, vel omnipotentem, vel diuinam appellabo; sed, in quo Peripatetici nostri Catholici rectè conueniunt, vim quandam, & flatum; vnde, aut quomodo fiat, ignotum. Hanc contra assistentem tibi Deum, proximèq; tuentem habuisti, illi te conciliante virtute, sanctorumq; gemitibus, qui fidentes illi, atq; clamantes nouit exaudire, de angustijs eripere, atq; saluare, vt inde elucescat vox illa lætissima Pauli, vt castigati, & mortificati, & quasi morientes, & ecce viuimus; manasseq; & videatur comicius etiam ille versiculus, Qui per virtutem peritat, non interit. Tu itaq; protectus diuinitus, atq; seruatus vna,

 & im-

& immortalitatis gloriam tibi propagasti,& incolumitatem patriæ,quietisq; dulcedinem attulisti. Quæ cum flos Italiæ iure nuncupetur, & extet, sic fausto, cæléstiq; dono te suum alumnum insignem, charissimasq; delicias perperit, cuius auspicio sapientia, virtute mirabili felix degeret, atq; regnaret, quod semper est assecutura facillimè, si quandiù tibi vita superetit, quibus cępisti itineribus gradiere, & te non cura modo, sed procuratio, atq; anxietas tuendæ, illius, atq; ornandæ semper incenderit, pro qua dedisti hactenus, & opes, & sanguinem, & ob cuius ceruicibus bellorum pericula plerumq; propulsasti, qui & imperium auxisti, & Tuscum nomen ad barbaras vsq; & remotissimas gentes extendisti. Tibi Serenissimi Reges, tibi Respublicæ potentissimæ, tibi Sultanus grandis, tibi formidatus omnibus Turcarum Imperator mittunt & Legatos, & munera. Te Romanus Pater, Terrestris Deus, & mortale numen acceptissimum, & perdilectum veluti filium salutari ac beatissimo complexus est sinu, complexi pileati Patres, qui tuum filium adhuc impuberem, & primis literarum institutis,ac sanctis moribus sub pedagogo coalescentem Cardinei culminis numero adiungere vltra mores, & leges non dubitarunt. Tu lucrosæ Ciuitati vbiq; ferè gentium, atq; locorum comercia tutissima, & mercaturam coaptasti, vt cæteris fermè Italis vrbibus tua ista (dicam, vt audio) & numatior sit, & omni cultu, & affluentia rerum vberior. At verò famam, atq; pecuniam, si quando incidit, vel consilio, vel opibus ingentibus tuis patria pietate aut leuasti, aut propulisti, atq; ista, vt reliquæ sæpè Italiæ oræ, tractusq; famelici in Florentinum agrum, quod mirum, sed ita sanè res est, ad lanificium, effossiones,cementationes, scrobationes, ligonizationes,reliquaq; onera sordida, ac despicatissima, ceu ad beatas olim promissionis glebas confugerint. Sed qualis ego, aut quantus tuarum laudum campum vsurpo,qui ab illo eloquentiæ,atq; doctrinæ nitore longè equidem absum, qui explicandæ conuenit rei? cui neque huius negotij in præsens est vllo modo propositum? cum ad incitandum te magis, ac permouendum,mea tota annitatur, ac glisit oratio? quam vt exaudias, Laurenti benefice inuocatum supplex te venio, chortor, adiuro. Neque enim alium præter te incolumem hæc fabrica habet, quem citra iniuriam possit rogare. Ex te pendet tota, tuoq: genere sui auctore, vtq: per illos in tantam admirationem, et decus; per te æquè hereditario quodam iure accipiat postremam dignitatem, leuigationem, et manum. Negotium exigui sanè temporis, paruiq: sumptus, at speciosissimum, at necessarium, at pium, at sanctum planèq: et omnibus gratum, his maximè, qui tam pio, inflammatoq; studio opus cæpere, Maioribus tuis illustribus, nisi tam humanis exuti, vt superstitiose in poetarum fabulis est, lætheo amne libato humana dememinere. Sed absit à nobis, et ab salutari, sanctaq; fide somniatus hic gurges, obli-

uionem

uionem, ac noctem offundens, atq; inuoluens profectis à nobis. Perniciosa hęc infedelitas est ratione vacans, & mente, sacrisq: repugnans literis, præclarisq: & multis sanctorum exemplis, ac visis. Sed quod ad te attinet dabit ista res in primis immensum tibi ac sempiternum præmium apud illum, Laurenti, illum, inquam qui pro his caducis, paruisq: muneribus spondet munus ęternum. Dabit & inter mortales, quibus omnibus magis, quam nobis ipsis, nati sumus, tibi laudem, & gratiam, qua nulla honestior, nulla communior, nulla dulcior, nullaq; & diuturnior. Pecunia signa, toreumata, purpura, gemmæ, ambitiosus victus, & prodigus, equorum strata, multitudo puerorum, omnia uix diurna, quin effugiunt uelut umbra. At operum magnificentia, sacrorum maximè, & publicorum, ęternitatem quandam ęmulatur, uel monumentis literarum illustrata, uel quod ut permanere huiusmodi talia diutissimè possint, uim habent, atq; naturam; cumq; ea ipsa senuerint, religione precipua cum excolantur, quod uicinitatem habere cum Deo uidentur, quę longissimè perstant: cum lapsa corruerint, misericordiam, & pietatem etiam ab hostibus sentiant. Sanè itaq: quęcunq: ad magnum illud sacrificium transtuleris, cęlestiq:arca condideris, ea sola Laurenti, & tua, & tibi propria erunt, neq: cum ijs uaria, insolensq: fortuna communicabit unquam, sed neque ulla temerabit inuidia. Cogita tu, omnium prudentissime, quantum ex hoc maiores tui, Mediceę familię reliquerunt honoris, & nominis, quantus odor religionis, & pietatis, omnium impleuit aures, atq; intuitus, & ad deuotionem animos incitauit: Vestes, & gemmas, seruos, ministros, ancillas, cęteraq; id genus nemo curat, nemo commemorat, nemo & prędicat, quoniam vtiq; danda fortunę sunt ista. Ædificiorum verò sumptus, & sacrarum ędium ornatus, quoniam virtutis sunt opera, quisq; non ciuis modo, sed peregrinus, non Italus noster, sed barbarus quoq; obstupescit, nec vrbem pręterit, nisi prius collustratis tantis operibus, tamq; magnificis, atq; sublimibus. Hęc quęruntur studiosè, hęc visitantur cupidè, hęc obstupescunt quotidie omnigenæ gentes, & populi. Hinc per omnium ora Cosimi nomen, & Petri genitoris vagatur, & volitat, & emortui adhuc versantur in luce celebrati omnium linguis, & literis. Quæso quo zelo incedebatur Cosmus idem noster iam senex, accensusq; præsagiens, cum Fesulanum, quo de nunc agimus, opus construeretur, qui nos exuscitans frequenter aiebat. Euge fratres instate strenuè operi, satagite, manus ducite, ad vesperum inclinatur, & properat dies, festinatq; & subit occasus. Et tuum genitorem eo tempore dixisse memini, quantum vestro pecuniarum impendimus operi, tantum extra petulantiam, ludumq; fortunæ nobis in lucrum concedit. His inpensis aluntur artifices, sustentantur inopes, cohonestatur patria, & religiosè colitur Deus. Te idem sensisse, atq: optasse iam dudum facilè credimus,

mus imò confidimus, magnanimè Laurenti, ac pientißimè. Sed tempora quandoq; vidimus, & occasionem tuo voto defuiſſe. Nunc verò cum arrideat tibi ſumma proſperitas, teq; eò dignitatis, & loci prouexerit non caſus aliquis, ſed maxima tua, & admirabilis uirtus, ut honoribus, potentia, opibus nulla recordatione maioribus ornatus ſis, ac cumulatus, aggredere, ac perfice proſpero ſydere, ac benefactore Ieſu Chriſto fauente noſtram hanc, quam te rogauimus, fabricam. Quod ut queas efficere, ardenter omnes vitam tibi, incolumitatemq; precabimur. Vale Tuſcæ gloriæ ſplendor, & Pater, tuoſq; ſupplices audi. Ex Abbatia Feſulana tua nonis ſeptembribus. Atq; hoc pacto pijſsimus Pater vrgebat id negotium. Lubuit autem longam epiſtolam ad finem vſq; contexere, vt quantus eſſet animus eius, quantuſq; ardor appareat in integrum, qui tot modis, tantaq; cum caſtæ facundiæ, atq; religioſæ vbertate rem obtinere ſatagebat. Quid de ipſa viua voce aculeata, grandi, potenti, melliflua augurandum eſt? Diſcant nepotes publica agere, & pertractare Dei, Religioniſq; negotia, et ornamenta. Profectò tantus valuit apud inclytam gentem potentiſsimoſq; illos Proceres, Coſimum, Petrum, Laurentium, atq; alios Mediceos, tantaq; florunt auctoritate per caſtigatam eloquentiam, per ciuilem religioſamq; prudentiam, ac per certam ſanctitatis opinionem comparata, quanta vnquam quiuis alius vſquam gentium viguiſse legatur. Pro immenſa rerum faragine tantam auctoritatem adamuſsim ſuadente, ſat erit id vnum recenſuiſse; Ioannem Mediceum prælaudati Laurentij filium ex eius manibus Cardinea inſignia in eodem Feſulano recepiſse. Cum enim puer ad ſacrum illum Senatum aſsumptus fuerit ab Innocentio Octauo Pontifice hac vna explicita conditione, ne palam inſignibus vteretur, aut ſe vt Cardinalis haberet niſi triennio expleto ad augendam ætatem; maturata die, Laurentius parens, ſacram illam ſolemnitatem per Matthæi manus abſoluendam decreuit. Tantæ rei, tamq; ſingularis nobis ipſemet narrator accedat Epiſtola 108. ad Archangelum. Verum me dormientem exciuit res modo, quam (vt puto) tu libenter, Archangele, ſis auditurus, qui non paruam uitæ partem egiſti Feſulis, et inclytam Mediceorum familiam excoluiſti, illis propè vernaculus, ſemperq; chariſsimus. Res planè hæc eſt, vt tibi aliquanto innoteſcat, quæ ſunt apud nos acta, quo die Ioannes Medices Laurentij magni filius Cardinalatus recepit inſignia; cuius rei ordinem myſteria, plauſus, publicam lætitiam, liberalem impenſam, lauta, ambitioſaq; conuiuia enumerare, atq; deſcribere facundiſſimi oratoris, vel Hiſtorici opus vtiq; ſit. Sed grandiloquo æquè Poetæ res tanta conuenerit. Ego ingenuè fateor, me à tanto facinore vinci, qui etiam ſi velim, neq; rei illuſtrandæ ſatis poſſem operæ, temporiſq; nauare, ſacris quadrageſimæ ſanctę myſterijs in aliud me reuocantibus. Verum enimuero in breuiarium quod-

dam

dam potiora stringam, ne palatum incassum tibi exacuerim. Cum Itaq; Ioannes hic Medices quintumdecimum ætatis annum tantum agens Cardinalis declaratus est, tum Pontifex, & Sacri Patres voluerunt impuberem illum tanti Ordinis administratione, insignibusq; ad triennium vsq; carere: quo tantisper & moribus, & doctrinis coalesceret, atq; proficeret, & virtute, ac sapientia mactus, tanto fastigio, tantarumq; rerum susceptione dignus euaderet. Venit (Deo illum seruante) optatus hic dies, plenitudoq; triennij. Suscepturus itaq; hæc ornamenta, quæ diximus, Palium scilicet, Biretum, ardentem Pileum, desponsationis Annulum, pridie quà talibus initiaretur, ad nos post meridiem Fesulas conscendit paruo suorum admodum comitatu, & humili, ac simplici cultu: postridiè affuit manè Ioannes Picus Mirãdula noster, & Iacobus Saluiatus Cardinalis Sororius, Stroza notarius, cum quibus hora diei circiter sexta de cubiculo egressus sacer adolescens templum intrauit. Vbi primum in Virginis laudem (Sabbatum enim erat) dies Virgini vetere Relgione dicatus, ritu, cantuq; solemni agi cępit ea res sacra, quam vulgo dicimus Missam; in qua, cum prius sacrosanctũ ego Domini corpus, sanguinemq; libassem; tum ille ante aram in genua flexus concommunicauit singulari humilitate, &, quantum agnosci poterat, deuota quidem mente, & erecta semper in Deum. Peracta re sacra vestimenta mox à me quoq; sunt benedicta: postea verò sublata manu Bullam, Breueq; Pontificis maximi tenens, illum hunc in modum affatus equidem sum. Quod tibi, Ecclesiæ Sanctę Dei, Patriæ, Generiq; tuo felix salutareq: sit, hodie, Ioannes Medices, decursum est triennium Cardinalatui tuo per hanc Bullam, breueq: præfixum. Legant, qui volunt. Seruata sunt omnia, de quibus tu Simeon publicam tabellam, testimoniumq: conficito. Subinde pallio à me indutus est ita precante, Induat te Deus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis. Birectum deniq: Galerum, Annulumq: porrexi his rursum cum verbis. Hæc sunt decora dignitatis sublimis tuæ à Sede Apostolica tibi tradita, atq; concessa, quibus quandiu vixeris, ad Dei laudem, tuiq; salutem vtinam semper vtare. Quibus ita peractis Hymnum, Veni creator spiritus, canoris vocibus ante aram fratres cecinere. Postremo quantam Cardinalis singulus potest Indulgentiam elargitus est astantibus, & eandem visitantibus altare eodem die quot annis, redijt nobiscum in domum. Paulo post prandium Petrus frater cum paucis en affuit delatus sonipede miræ ferocitatis, ac magnitudinis, auratis bracteis quaq; fulgente. A porta interea Sancti Galli, qua itur Fesulas, tanta effusa equitum, ac peditum manus, vt plena vndiq; via nulli contra in vrbem eunti transitum cederet. Quæ omnis multitudo sistere iussa est ad Munionis pontem, nec datum vlli quidem cis pontem, amnemq; transiere. At verò rebus cæteris ex constituto dispositis, descendit

illle

ille cum fratre, traiectoq; flumine exceptus est medius inter Pontifices, Prothonotarios, ac alios Prælatos, ac primiores vrbis Ciues, & ambitiosissima pompa deductus in vrbem per viam maiorem, quæ ad ædes ducit suas. Qui cum peruenisset ad Virginis Nunciatę Basilicam, aula descendens, ad illius humiliter se constrauit aram pro se ornans, voce summissa. Inde ad Diuę Riparatę templum profectus pari modo sic est opem, gratiamq: precatus. Deniq; in lares se recepit, quos habitat suos. Vbi fermè tota in vnum conspecta est Ciuitas, ita frequens vt non viam modo, sed fenestrę, & tecta ipsa vix caperent prospectantes. In sequentem uerò noctem iuges in plateis, inq; turribus, & pinnis ignes collucentes illustrarunt ueluti diem, & conclamantium vocibus, omnifarijsq: tinnitibus, atq: crepitibus æther semper insonuit, vt obliti sint homines somnos hac tanta lętitia, inspectumq: sit quanti faciat Reipublicę seruatorem, & columen gratissima ciuitas. Hæc dixisse ex tempore sit mihi satis, seriem alius copiosius, ornatiusq; conscripserit. Vale, atq; ora, ut ista sint fausta. Fesulis Pridie Idus maias. Quanta verò æterni Numinis assistentia solemnitas tanta actitata fuerit, vel exitus ipse optimè commonstrauit, cum idem postea Cardinalis florente adhuc iuuenta ad summum apostolatus apicem euectus fuerit, Leoq; Decimus nuncupatus, Leo inquam, ille, cuius memoria per hominum ora æuo interminabili gloriosa triumphabit, Musarum Mœcenas, Viuentiumq; delitię. Atq; in id etiam innotuit magni Laurentij prudentia, & pietas, quin in maxima tot Prælatorum, Episcoporumq; ac Cardinalis ipsius Saluiati vbertate, promptaq; ad manum præsentia vnum Matthæum vix Abbatem Regularis familię ad tantum opus, tamq; insignè peragendum elegerit. Hoc etiam ex capitè ortum ducit auctoriras illa, qua Aloysij Antillæ clarissimi exulis regressum in Patria ab Mantuana Ciuitate exorauit, & obtinuit tam apud Laurentium, quam apud octouiros, quamuis negotium omninò difficile, ac penitus insuperabile ab amicis ipsis iudicaretur, quod Roberto Annetellā eius genitore vna cum Palantę Stroza in dirę factionis mulctam pulso Florentia, non adhuc deferuescerent, vel rerum memorię, vel iniuriarum illatarum, passarumq; spiritus. Prętat videre de hac re epistolam 81. ad Laurentium & 167. cum sequentibus ad eundem Antillam. Quid verò mirum beneuolentiam sibi tam clarę gentis conciliasse, quando vna eius uirtus inter paucas Christiani Orbis notissima à primis usque prędicationis diebus testimonia acquisierat non è publica modo, atq; vniformi populorum acclamatione, & concursu, sed ab probatioribus quibusq; atq; doctioribus? Vixdum sacro diademate caput ornauerat magnus ille Pontifex Sixtus Quartus de Ruere, cum homo Ligur mentem altam dirigens ad Sanctimoniales regionis illius, & cohęrentis insubrię, adq; Genuenses pręsertim reformandas, quarum status patulas vias perditionis instrauerat;

ſtrauerat; tantam prouinciam, tamq; laborioſam, tali tempore dubiam, implicitam vni Boſſo commendatam voluit. Subijt ille, mærens, ſed volens, ſarcinam, atq; multo portauit euentu. Res ab ipſomet expeditius excipietur Epiſtola 87. ad Auguſtinum. Quod ego ſemper optaui, qui Genuenſem patriam iſtam ſingulari pietate, atq; conſtantia ſum proſecutus, tuis literis audio fieri Auguſtine venerabilis, atq; chariſſime. Ciues ſcilicet iſtos ardenter curare, atq; moliri, vt tandem Monialibus ſuis iſtis minus honeſtè, minuſq; ſobriè, ac religiosè verſantibus modus adhibeatur, adhibereq: iam ceperint. Dignam rem profectò eorum ipſorum amplitudine, & dignitate, & quæ præſertim Deum immortalem hac vna cauſa fœda, atq; teterrima ſæpè laceſſitum, nunc ſibi concilient, & abſtergant è frontibus ignominiam veterem illam, quæ paſsim peruagatur, & volitat grauis, & ſordida per Italiam non modo totam, ſed per omnigenas nationes, & gentes, ad quas Genuenſium nomen peruenit aliquando, ac penetrauit. Ego quo tempore Sixtus creatus eſt Pontifex Maximus, quantam iſta in re nauauerim diligentiam, & operam, quantum exudauerim, quantum dimicauerim, quantum deniq; ad diſcrimen vſq; famæ, & vitæ contenderim, potes tu ſatis meminiſſe. Poſſunt & clariſsimi illi ciues, & optimi, ac Patriæ Patres, qui concionibus noſtris, quas crebras tum priuatas, tum publicas habuimus, vel interfuere, vel præfuere ſelecti nobiſcum ſimul ad opus, ſi quis eorum adhuc ſupereſt viuens. Quæ planè res Chriſto propitio, & magiſtratibus ſuffragantibus omnibus eo tum loci peruaſit, atq; ijs fuit vallata, & conſtituta præſidijs, vt qui deſiderabatur, exitum prorſus foret habitura, niſi vrbis tunc præſidens alienatus magna vi munerum, quod maximum eſſe ſolet ad omne ſcelus incitamentum, à nobis turpiter defeciſſet, cæptaq; omnia perturbaſſet, & quæ erant iam acta ſanctiſsimè, auarus ille, atq; infidus euertiſſet. Verum quod ſcribis modo concordi, publicoq; decreto quæſitum, ſimulq: definitum omnibus, atq: propoſitum, ne puellæ videlicet ea ipſa in monaſteria vllo modo amplius excipi poſsint; videtur mihi ſanè optimus modus, optima ratio, ac paruo ſtrepitu in lucem emerſura, quæ ſalutaris, ac ſancta diuturnitatem vtinam capiat; quæ ſperari, vt mihi videtur, facillimè poterit, adiuncta ciuibus ipſis ſpe iſta Lucelli, vt emigrantium dotes, vel earum quota redeat ad progenitores, & proximos. Addunt æquè fœminis iſtis magnæ opes, & ingerunt fomenta libidinum, ambitionis, delitiarum, & ſumptuum, quibus ſi vel ex parte caruerint, in his fortaſſe frigeſcet ardens, & petulca luxuries. Tu verò etiam fidelis Chriſti miniſter, & Præco pro tui Domini Saluatoris honore, pro quo vitam hactenus, & ſanguinem expoſuiſti, pro animarum zelo, quas cæleſti verbo pauiſti, pro ampliſsimæ præterea, atq; inclytæ, tantæq; vrbis ornamento ſalutari, laudeq; perpetua, & maxima, tum cohortando, tum concluden-

do, tum inflammando, ac quicquid in te est ingenij, auctoritatis, & virium impendendo, rem adiuua. Quod absens ipse orationibus, & gemitibus agam. Vale, Fesulis x. Augusti Quamuis autem vltimam manum, absolutæq; perfectionis coronidem negotio perquam difficili haud imposuerit ex causa alienati munere Prętoris; non magno animarum lucro tentata moles est, & beneficia plurima vndiq; sunt ingesta, se paulatim insinuante veritate, sensim irrepente sanctimonia in cordibus plurimarum pridem disciplinam respuentium: & quod infectum remansit penes vniuersitatem, egregiè elaboratum fuit in singularibus complurimis excitante præsertim mentes Deo per aculeata verba, perq; sanctissimos pręconis sui mores, ac per vitæ inculpatissimæ normam. Quam verò instructè factus esset ad huiusmodi aggrediendum, perficiendumue opus, tam natura, quam studio mella nunc, nunc ignes effundentibus, & eliquantibus; clarè innotescit ex ijs, quæ Epistola tertia scripsit ad Isotam Nogarolam Virginem Christi eruditam: & deuotissimam, parcè de, cautèq; versando Sanctis etiã cum viris ad violantem Seraphicam Cæsenæ Epistola 100. ad Cassandram Fidelem, ne deficiat animo per diutinam valetudinem Epistola 232. ad Antoniam Regiensem Epistola 131. de meditato monasterio, deque varijs ornamentis, quibus initianda sit prius: ad Margaritam Mantuanam Epistola 226. de illius singulari ingenio, memoria, & doctrina: ac demum perquam sublimiter ad Paulinam, de feruenti deuotione ad Deum habenda, & quantis aquiritur modis, quamq; etiam amititur facilè, nisi inuigiletur. Nauatam egregiè operam Sixtus factis commendaturus, ac verbo, semel iterum, atq; tertiò Episcopalem eminentiam præcipuarum Ciuitatum obtulit, suasitq; ardenter reluctanti, & quietem religiosam compræcanti acceptationem. Preualuere tamen summæ preces, humilitatisq; sinceriter professæ gemitus Pontificio sensui, qui virum Ordini suo, Ecclesiæq; vniuersæ proficuum, atq: frugiferum, & dignitates renuentem permisit viuere sibi: Huiusmodi terrenarum rerum despicientia, mentisq; ab dignitatibus abalienatio constantiam impertiebat, alacritatemq; christiana libertate dignam, nunquam errores prætereuntem à quocunque commissos, si vel in patens, communecq; vergerent scandalum, aut si præiudicium inferrent Ecclesiasticæ libertati. Sale tamen discretissimi iudicij, verborumq; obnubilata proprietate, atq; acrimonia, sic condiebat quæ diceret; vt medicamentum videretur propinare ab ægrotante nullo, nisi insaniente, aut frenetico reiciendum. Sanciuerat decreto Innocentius Octauus Summus Pontifex Religiosos quosq; cuiusuis Instituti portionem quandam annuorum prouentuum debere Clericis persoluere cameralibus, quas Annatas vocant, maximo quidem cum Religionum, Claustralium præsertim præiudicio, & detrimento. Aduersus huiusmodi legem insurrexit Matthæus

acer-

acerrimè, obstrictoq; calamo sacer obiurgator grauiter inuexit in rem durissimam. Hinc Pontificem ipsum sic inter cætera per literas alloquutus est. Ad tuam iam sedem, Beatissime Pater, veniendo, quam crebrò nos illa per omne tempus, casusq; omnes decimauit? Quamtoties & tu ipse, Innocenti Sanctissime paruo curriculo? Qui & imperasti vniones, & gemmas, quibus sponsum tui filij decorabas, per nos solui Venetijs mercatori graui censura coactos? Nunc verò, Beatissime Pater, ad has nostras tam graues, & miserandas ęrumnas intollerabilem, si etiam istam oppressionem addideris contra naturam, moremq; pristinum, ac benignissimum tuum, & misericordiæ pectus super peculiarem Domini gregem trina in Petro tibi voce commissum obduraueris, & cogitata tuorum magis, quam tua perficias; quid, Supreme Deus, & Optime, nobis superesse iam poterit, nisi postrema desperatio de Sede ista Sublimi, Sanctaq; tua? Quæ si ad aulicos respicis, quorum multorum cupiditatem, ardoremq; nullæ opes, nullus quæstus, nullumue aurum vnquam extinxit; iacta est de nobis alea. Periclitamur, exterminamur, extinguimur, radicitusq; delemur. Ascendat clamor, & Cælum illachrymet, donec succurrat, qui nos vocauit post se potentissimus, & misericors Iesus. Ad ambitiosam talium profusionem non Annatæ iam istæ satis esse quidem poterunt, sed neq; si sanguinem, animasq: dederimus. Vtrorumq; fortunam, & conditionem tibi ante oculos statue, Beatissime Pater, illos pingues, illos incrassatos, illos dilatatos, illos & nitidos. Nos autem oues occisionis, & victimas holocausti agnoscet Sanctitas tua; nobis eo deuenientibus, vt per inopiam rerum, & famem Monasteria sint deserenda, in quibus cælibem vitam professor vixisse conuenerat. Deniq; Beatissime Pater, existimet prudentia maxima tua, terrarum Princeps, atq; populos, charos, gentilesq; nostros graui sine scandalo, & Sedis istius Sacræ tuæ querela tacitè præterituros; cum suas viderint dotes, eleemosynas, vota, testamenta abire quo nolint, & pompis, lasciuijsq; inseruire, atq: ijs ambitiosis impensis superaddi, quas tacemus honestius, quam prosequamur? Ad diuinas tuas aures non erit fortasse lamenta qui perferat. Difficillimum est enim in summa potestate reperire qui sibi verum dicat, nisi quod dicitur admodum placeat. Sed fabulam tota sumet Italia, & vsq; mulierculæ garrient, & murmurabunt, cum solito cultu, solemniq; seruitio destituti viderint altaria templorum, quæ dotauere, & basilicas, quas construxere; de superfluis eleemosynas pauperibus ex more non porrigi, hospites nullos admitti. Verum quale dedecus, atq; prodigium, cum Sanctimoniales ipsæ Christi tui sponsæ, quæ Abbatias suas habent, Parochiales etiam Ecclesias, & beneficia vnita non pauca, ante suorum ora flebunt mœstissimæ, & eiulabunt? Quid mendici, atque inualidi cum clausa Xenodochia per Annatas sibi repererint? Taceant per

Deum homines. Astra ipsa detestabuntur mores istos, & tempora. Quantam etenim habeat indignitatem, & quam improbam notam res ista, ego, Beatissime Pater, vltra non dixerim. Hac summa dicendi libertate, hocq; non alligato spiritu Summum Christianorum Principem, ac plures alios allocutus est, vt mirari animi confidentiam non desinam. Et quidem dira impositio hæc annatarum altiores tentauerat pridem firmare radices, quæ euersæ satis, non omninò auulsæ fuerant. Nam cum ad easdem imponendas & Paulus Secundus excitatus fuisset anno Pontificatus sui quinto, causam agente pro Regularibus Optimo, ac Reuerendissimo ex Cardinalibus Bessarione, atq; Sancti Marci, Pontifex ille, alto vt erat animo, destitit cogitata peragere, quin potius vtilitati antetulit pietatem, & sui nominis gloriam. Sunt & qui addant (si ita res est) admonitum illum Oraculo cuiuspiam Sanctissimi Viri, triste aliquid ei euenturum, Religiones si opprimeret, & exhauriret, concepti piguisse propositi. In tanto discrimine accedentibus Romam selectis ad hoc negotij cuiusq; Ordinis Patribus, inualuit longè grauius cōtra eos bellum, putante Pontifice illos (ut petierat) habuisse commissa legittima, publicaq; mandata ad obstringenda Monasteria singula quindenniales eas fisco Apostolico pēsitare Annatas. Quod cum factum minime esset, excanduit, cępitq; minari. At Congregati contra iuduxerunt Patres, Ad ea te noluisse, quæ nullo modo possent obstringere; quod quippe sit grauius promittere, & non reddere, quam quidem nunquam promisisse. Nec teneri quemquam vlla vel naturæ, vel gentium lege ad ea, quæ à se fieri non possunt. Ab acutissimis Cameræ Apostolicæ Clericis vrgebantur acerbius. At Sacrorum Principum, & Reuerendissimorum Cardinalium eis studium, miseratioq; non deerat. Nullum tamen illos maius tuebatur præsidium, quam Italiæ Principum, & Potentatuum omnium tantam cupiditatem inuisam habentium, suasq; tanto censu spoliari Vrbes, & quæ Templis ipsi sacrauerunt, ad ambitiosam curiam rapi nullo modo ferentium. Profectò à singulis missis ad agendum suis pro Ordinibus nihil omittebatur; sed Matthæus omnibus superior innotescebat repugnans congressibus difficilioribus, comminusq; decertans. Felici demum exitu causam perorauit Sanctissimus patrocinator maxima ex parte. Si quidem cum decretum decursorum temporum emolumenta peteret, & imponeret futurorum, deleta prima parte, secundæ institerunt, instantq; adhuc inexorabiles exactores. Non minori libertate vsus est cum Theodoro Paleologo Cardinali Montisferrati nuncupato. Is graui quidem iniuria Ordinem affecerat, nullo sibi competente iure, sed neque culpa lacessitus vlla, Canonicos nostra de Ecclesia Castelletti armata, & quasi ostili pellens manu. Hoc autem tanto acrius perculerat Congregationis animos, quanto ab eminentiore viro proficiscebatur Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali,

nali, Sereniſſimo ex Imperatorum ſanguine progenito, Marchionis Guilelmi fratre, quiq; noſtro olim hoſpicio, noſtroq; contubernio & ſæpè, & amicè vſus fuerat incredibili charitate, veneratione, cultu proſecutus. Eapropter cum ad illum Patres miſiſſent quoſdam ex Canonicis graues, & idoneos, qui & amorem, & aſſuetam compræcarentur gratiam, ac benignitatem, docerentq; Eccleſiam ipſam prorſus Ordinis eſſe, ſemperq; fuiſſe, à fundamentis poſitam, dicatamq; Regularibus nobis, ac deinceps per omne tempus poſſeſſam, curatamq; & poſtremo ipſo Marchione annuente, annexam ſeu membrum Alexandrino Monaſterio, ille vna hac reſponſione vacuos reiecit, ſe reliquos inter Cardinales tenues redditus habere, conductam pretio domum habitare: quærenda ſibi in Gallia, aut Britania beneficia non ea, cum ea domi haberet, quæ alieni occuparent. Atq; ideo fallacem prætextum ſumpſit, ſubreptitiè, & improbè factam vnionem, quod verum valorem Apoſtolico compræcatores non expræſserint. Receptam igitur iniuriam calamo ſic Matthæus obſtrinxit apud vtroſq; fratres, vt practicè illud docuerit, Vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Sunt eius verba ex plurimis ad eundem Cardinalem, Si nos laceras, te etiam laceras, & quod eſt grauius, fædas, quem tanta in luce, & gradu collocauit Optimus Deus, vt non poſſis violare iuſtitiam, exercere improbitatem, aut indignum aliquid pro libidine gerere, niſi tuo cum ſempiterno dedecore, & indelebili calumnia laudis, & nominis, à qua labe teterrima, næuoq; fædiſſimo magis debet abhorrere dignitas tua, quam ab ipſa profectò morte; cum ſatius equidem ſit mori cum laude, quam vitam cum ignominia ducere. Hinc Purpuratus Pater in veterem gratiam non modo amicam Congregationem admiſit, & quam inclementer ſpolium tulit, tam clementer reſtituit; ſed etiam cum augumento, & fænore. Eſt enim in Marchionatu Montisferrati collis, quem incolæ Cretam appellant, & in eo colle ædes poſita Virgini Matri, vbi ſignis, ſalutaribuſq; auxilijs abundat pia ſic, atque benefica, vt eo non modo confluant indigenę, atq; finitimi, ſed vndiq; etiam remotiſſimi populi. Hanc Ordini contulit incolendam, vbi poſtmodum ſucceſſu temporis inſignis Canonia extructa eſt, dante Domino cum exultatione prouentuum. Demum in hac parte candidæ libertatis apponere lubet, quod ſcribit Matthęo Alexandrino Epiſcopo de exturbata prędicatione popularibus, ęqueſtribuſq; ludicris. Longè ab officio receſſiſti tu Pater vrbis, & Pontifex, qui almo Palmarum die pulpitum ſanctum exturbari permiſeris. Res quidem indigna, & à vero Paſtore neque parum aliena, quem non decet ab vberibus agnos pubeſcentes auellere; nec in Domini agro boui trituranti os infrenare; niſi Euangelio Chriſti theatrales Diaboli prætulerimus ludos. Non potui non aquieſcere his actoribus, ea ſocietas mihi deditiſſima eſt, egoq; illi, audio

te di-

te dicere. Est (quęso vir sapiens, & Pontifex sancte) affectus vllus tantus, aut gratia tam dulcis vlla, propter quam quis bonus ab honesto, veritateq; discedat? Nihil porrò minus. In multa luce te Episcopalis dignitas posuit, quæ egregia virtute tuenda tbi est. Quin debes existimare plebem tuam istam à Domino creditam tibi esse, vt illi pabula sancta, non ridendos ludos exhibeas. Pone tibi parumper ante oculos omnium inspectorem Deum, pone virtutem, pone officium; agnosces tu te sapientissimè quantum commiseris. Quod amico ego tibi calamo malui indicare, etiam humiliter, quam in concione latrare, quod à meis moribus tam sit alienum, quam omne teterrimum scelus. Vale, & epistolam libera à charitate profectam, tu quoq; libero animo lege, ac pro me ora. Ab alto huiusmodi ardore in rebus quibuscunq; curandis, absq; tanta hac solertia cumulabantur in eo dignitates Ordinis ad tędium vsq; quas tamen reijciendas non duceret, tali assumpta cruce ad perfectionis exercitium, qui viuere sibi peroptaret amica delitescens in solitudine contemplator semotus, studijsq; fruens. Quinquies censoream potestatem (quod est Visitatoreum munus) gessit: semel, ac iterum, deinq; confirmatus Generalem Ordinis Procurationem in Romana Curia, cui solidè factus, extraordinariè sępius delegatus pro temporum, & rerum exigentia adesse cogebatur, beneficium auctoritatem illustris eloquentię, bonęq; pridem genitę, & enutritę opinionis exercens. Hoc idem gestum est cum Federico Feltrio Vrbinatum Duce religiosissimo, itemq; fortissimo. Hic enim cum præcipua religione, ac bonitate remissam Cathedralium Ecclesiarum veterem sanctitatem, & in communi vitam, subq; Pręposito vno patre sinceram obedientiam extinctam cogitasset in omnibus suæ ditionis Ciuitatibus in lucem reuocare, & ad pristinum Apostolorum, & sanctissimorum sacerdotum statum excitare, qui primitus tali lege vixerant, Deoq; post habitis curis omnibus sęcularibus militauerant; ad supremam Ordinis Synodum Ferrarię congregatam datis literis Oratorem delegauit, vrgens qua prece, qua auctoritate vt Canonici nostri paterentur se præfici Pontificali Ecclesię Eugubinę. Atq; vt commodius, otiusq; quod animo conceperat ad exitum perduceret; exposuit se & Episcopi, & Pontificis Maximi assensum impetrasse, conuenisseq; cum Regularibus adhuc Canonicis vt loco cederent seruatis prouentibus illi, qui communem vitam, & ritus iuxta nostrorum formam seruare nolluisset. Res huiusmodi nulli Principum, nulliq; Rerumpublicarum eo tempore procurata, perspectaue, monuit maximè Patrum animos, in longasq; & dissonas traxit consultationes. Licet enim omni decore plena, summęq; Ecclesię vniuersę vtilis appareret, vtpotè quæ repeteret Canonicum Ordinem ad antiqua iura, adq; pręteritas sedes, pollicente pręsertim Principe alias Ecclesias, aliosq; prouentus

haud

haud dispares eidem reformationi suppositurum ex iam tentata negotiatione; non tamen æqualiter iudicabant omnes ob innumeras emergentes difficultates. Quidem cum ij, quibus sermo in consessu dabatur, verba facere, & de propositione, & de proponente cæpissent; omnes omninò pependerunt ab illis intentione mirabili, & effusa lætitia, gratias agentes Deo, qui se tam gratos Serenissimis Principibus manifestaret, tamq; probari communes mores, ritus, ac vitam aperirèt. Verum cum ventum esset ad dicendas sententias, atq; discutienda consilia, in ancipiti per aliquot dies versatum est. Maior enim pars, quæ & iuniorum, atq; ideo numero, & æstu confidentior acceptationem extorquebat, cui summum suffragabatur, alioqui degeneres nepotes se declarandos tot, tantorumq; sanctissimorum Auorum, qui omni conamine Reformationem vrsere, & introduxere anteactis sæculis non minimarum, & inferioris sedis Canoniarum modo, sed præcipuè, ac maximè Cathedralium: præstareq; vni pro innumeris exemplo insistere Beatissimi Aurelij Augustini, cuius Regulam profiterentur, qui Episcopales Canonicos, Cathedraliumq; possessores ad veterem Apostolicum ritum præ alijs adduxerit. Sanior verò pars, quæ & seniorum, temporum conditionibus ad aurariam trutinam reuocatis, contrarium euincebat non exemplo, sed rationibus rerum experientia in Lateranensi Patriarchio confirmatis. Tandem pariformibus suffragijs conclusum fuit, E re Ordinis non esse tantam subire sarcinam voluntariè præsertim, atq; spontaneæ. Demum Bosso demandata responsio literarum est, electusq;cum Ambrosio Mediolanensi Collega Visitatore Orator ad coram gerendas gratias, adq; componendam deuotissimi Principis mentem, quod & Numine fauente ad votum peractum est. Expedit ad Posteritatis documentum hoc loci adtexere in natiuis lineamentis, quæ ipse ad Federicum responsiua adduxerit, tanquam ea quæ repudij rationes continent. Quoniam vero (inquit post multa) quod modo excellentia exigit tua, conditionem habet, atq; naturam, vt fieri minimè possit, aut etiam si fiat, minus quidem sit permansurum; hebescimus animo, cruciatuq; disrumpimur, obtemperare non posse voto sanctissimo tuo. Et ego quoq; vel erubesco, qui tibi notior, & charior esse videor, & ad quem spe potiore Oratorem direxisti tuum. Ecclesiarum etiam Pontificalium, atq; matricum sic hodie est comperta conditio, sic consuetudo firmata, vt ad regularem, & arctam illam, quam nos sequimur vitam, iam coaptari minimè possint. Nos claustrales nostris Institutis, communibusq; decretis solitudine, cellulaq: gaudemus, intenti præclaro legendi, meditandi, orandiq; otio; illę uerò Maiores Ecclesiæ consuetudines, familiaritates, deambulationesq; non respuerunt, sed vltrò præueniunt. Nos certis horis silentium non violamus; illę taciturnitatem nullam didicere. Cum decernuntur supplicationes populares,

pulares, aut rogationes annuæ concelebrantur, nos vrbes non collustramus; sed cathedralis omnis Ecclesia prima est semper in acie, quin & cæteros ductat. Nos curatas Ecclesias inuiti suscipimus, aut ex necessitate si susceperimus, sacramenta intra vicinas domos per sæculares sacerdotes ministrari sanè facimus; Cathedralis verò non vnius modo vicinæ, sed totius populi, atq; diæcesis curatrix vna, atq; præcipua est. Nos cęremonijs admodum castis, collo, oculoq: demisso rem nostram gerimus; in incessu illa, habitu, motu, rituq: omni dispar est nobis. Adde nuptias, quas benedicit, puerperia quæ purificat, Chrisma quo admotos omnes in frontibus signat, & huiusmodi cætera, à quibus propter frequentiam puellarum, & mulierum tanquam à pestifero, mortaliq: periculo sic abhorremus. At verò cum proficiscetur, aut deambulabit Episcopus, cum subiectas visitabit Ecclesias, Monialiumq: Cęnobia, quæ omitti non conuenit: an illi non oportebit nos & ministros, & comites fieri? quando nulli pręter nos Episcopo, vel Clerici, vel Canonici relicti erunt? Quę singula ita aduersantur professioni, & sanctionibus nostris, vt aduersari magis nihil possit omninò. Eugenius Quartus beati nominis, & sempiternæ gloriæ Pontifex in Lateranensi nos Æde reposuit, quippequi sponsę suę rationem sibi habendam putabat (est enim Constantiniana illa Basilicarum omnium prima, & Magni Patris Episcopalis Sedes, sponsaq: legitima) voluit & illam esse nostri Ordinis caput, & ab ea nos Canonicos Lateranenses nominari perpetuò, & illius dignitatibus, priuilegijsq: potiri. Dum vixit Beatissimus ille nihil Romæ venerabilius nostro Ordine fuit. Sed illo emortuo à Romanis, qui eum nobis locum inuidebant, vix Nicolaus successor tutatus est, quo humanis exempto, à furente immanius populo nos Calixtus seruare non potuit. Profligatos indignè Paulus Secundus iterum in propriam sedem restituit, quo emigrante, iterum pulsi. Persuadere ne etiam tibi potes summa prudentia, summoq; ingenio Princeps, vel Romanum Patrem, vel tuum istum Episcopum hac in re vltro assentiri tibi? Nihil sanè minus credito. Sed tanta est auctoritas tua, tanta apud omnes gratia, & reuerentia nominis, vt negare nesciant, quod præstāt inuiti. Eadem mente ciues esse, & clericos omnes existima. Sed cum te desiderabit posteritas, (neque enim dieī vnius præsens negotium est) Quid in nos tum animi homines putas habituios. Quis clamor, quis furor, Deus, excitabitur? Quis concursus clamantium vndiq; Facescite colla obliqua, pannosiq; homines: abitæ nostræ Ecclesiæ, nostrarumq; dignitatum occupatores. Auitis in bonis filij nostri, nepotesq; comunicent: quę nostra sunt alieni non absumant, foras tandem, foras externi. Nihil exploratius, nihil certius (mihi crede) illustris Federice potest præcaueri. Tu tamen sapientissime hominum ex tua prudentia de rei totius exitu, cogita, atq; delibera, qui nostrum omnium acepisti sententiam.

tentiam. Ego ad paucos apud te fore ſpero dies, per Piecenum Apuliam iter facturus. Tum de tota re plenius. Æternum interim in Chriſto Ieſu vale, felixq; eſto Principum decus. Ferrariæ Kal. Iunijs. Qui verò felici cum exitu cauſam Eugubinam peregit, non item Nicoſienſem Piſanam quiuit abſoluere, miſcente ſcilicet lætis triſtia, & proſperis aduerta Deo, vt in humilitate auita nō ſibi ipſis confidentes perſeuerarent ſeruuli, quibus vera, legittimaq; habitacula manerent Cælo. Nicoſienſis Canonia Diuo Patri Hipponenſi nuncupata, dudum ab Hugone Piſano Cypriorum Nicoſienſium Epiſcopo innocentiſſimo fundata, atq; inſignis apud Piſas Ætruſ-ſcas in valle Calcis, cum in varias calamitates, atq; iacturas ex temporum eorum nequiſſima conditione decidiſſet, cum altera ſibi annexa Sancti Michaelis de Brancoli intra Lucēſem Ciuitatem vnionem depræcata cum Lateranenſi Congregatione, ab Generali Conuentu aſſenſum obtinuerat, atq; procuratorem in Romana curia ad negotium pertractandum, & perficiendum Gregorium Florentinum Feſulanum Canonicum. Hic vafer ingenio vir calliditatem hipocriſi non ſatis vſq; tum comperta contegens, vt primum Vrbem attigit, artibus improbis rem in deteriora torquens, componenſq; ex aliqua interiecta difficultate, ſuperabili tamen, Pontificem vnioni non aſſentiri, ſatiſq; fiſus ſuper familiæ nobilitate, Monaſterium ſibi ipſi ab Apoſtolica Sede nequiter impetrauit. Inexpectatus autem exitus huiuſmodi diſſidia complurima effudit inter noſtros, atq; Nicoſianos Canonicos, cum vtriq; fraudati cauſarentur contra initas conuentiones. Noſtri rem ad ima vſq; præcordia ſentientes, ſub quorum fide videbantur Nicoſiani circumuenti, decepti, venundati, ac ferè iugulati; veteratorem, & impoſtorem ad Generalem Synodum indicta die iuridicè vocauerunt rem ex æquo diſcuſſuri. Ille verò ſibi conſcius, quiq; volens, & lubens defecerat, impetrationi fidens, & iuſſa neglexit, & acceſſum declinauit. Quare ex communi ſuffragio Matthæus tum Abbas Feſulanus, & Angelus Placentinus Viſitator ab eadem ſynodo legantur Oratores ad Laurentiūm Medicenm, vt inclyto viro patrocinium, clientelamue honeſtiſſimæ cauſæ aduerſus inuaſorem compræcarentur, ac ſuaderent. Verum & ſi Laurentius preces exaudierit, pijſſimoq; negotio auxilia ſpoponderit; res tamen in deterius verſa eſt ex artificijs aulę, exq; ſubminiſtrato aduerſantiū quorundā procerū fauore. Sequentes tres Epiſtolę Boſsi rē vniuerſam punctim proſequuntur. Prima Epiſtola eſt 39. ad Laurentiū Medicem ex perſona Patrū Generalis Capituli, Non qualem optauerat ſollicitudo, & pietas tua, exitum habuit vnio nobiſcum, atque coniunctio Nicoſiani Monaſterij, Laurentij magnanime, ac pientiſsime, ſed (quod dolenter agnouimus) homini alteri Nicoſia facta collatio. In quo fratres illi, qui ſuo cum Monaſterio cauſa frugis melioris ad nos tranſituri erant (hæu ſcelus, heu proditio) & circum-

uenti, & falsi, & venundati si non verius iugulati nostra sub fide, tuiq; spe à veteratore,& hypocrita isto fuere. Qui si nobiscum esse nequibant, quia Pontifex nollet, vt ille dissimulat, dimittendi tibi ipsis equidem erant,non autem vel istius, vel alterius cuiuspiam, qui liberi erant, sub iugo mittendi. Quod non iuuare, & auxilio illis esse profectò extitit, sed perdere eorum animas, atque mactare. De integritate, deque fide hic agitur nostra, de tua verò, Laurenti, salute, laudeque, & gloria. Quod si res ista processerit, tu cogita virorum sapientissime, & Patriæ splendor, quantum detrimenti nobis sit inectura, & rebus cæteris incorruptis, & illustribus tuis caliginis offusura. Rem ipsam cum gereret, exitum in quem desinebat, nos celauit homo vafer, & callidus, & ad Generalem Synodum nostrum inuitatus venire neglexit. Ea tanta de causa, Laurenti magnanime, misimus ad te Concanonicos venerabiles nostros, atq; probatos Matthæum Veronensem Abbatem isthic Fesulanum, & maximè tuum, & cum eo nostræ Congregationis Visitatorem Angelum Placentinum, acturos tecum de tanti mali, tantęq; perturbationis, & scandali aliquo opportuno remedio, quos & audire benignè, & ijs fidem habere sinceram dignetur excellentia præstantissima, & clarissima tua, cui & benefactori, patriq; & Domino nos omnes humiliter commendamus felicem in Domino Iesu te semper optantes,in quo & perpetuum vale. Rauennę nostro in Generali Capitulo Nonis Aprilibus 1490. Secunda est ad eundem Nicosianorum comploratio. Vt olim Ieremias,alijq; Prophetarum nonnulli captiuitatē Hierosolymitani populi durissimè defleuere,& desolationem templi amaro prosecuti sunt gemitu, ita modò liceat nobis benignitate, & clementia, Laurenti clarissime, tua apud te deplorare,iniuriam, calamitatem, seruitutem, opprobrium, & vitæ, atq;salutis nostræ postremum exitū, quod non tua,vt credimus, bonitas,sed vulpes fraudulenta illa,cui fisi sumus nobis infert, tuæ auctoritati, atq; potentiæ annixa, & fratris astu,artibusq; suffulta. In tanta proditione,atq;iniuria tuam imploramus fidem,imploramus conscientiam,imploramus opem,imploramus misericordiam. Solus seruare nos potes,& à tam infanda oppressione vendicare,atq;tueri,qua nulla vnquam audita est vel indignior,vel quidem miserabilior.Vt nulla culpa,nullis commissis, nullis erratis,neq:vllo sub iudice die nobis dicto, neq; prolatis vllis in nos libellis,nulla deniq: fulgurata sentētia, et Prior ipse priuetur, et Concanonici simul liberi vni homini,qui ad animarum regimen nihil habet idoneum, nulla virtute, nulla doctrina, sed sola malitia præstans omnes homines superat,aut seruire cogantur,aut supplantatore illo regnante excedere domo,aut grauius aliquid experiri. A nobis illi fidem,conscientiamq:mentito vnio nostrorū locorū cum Religione Lateranensi Sacratissima facienda commissa, demandataq:fuerat: et hic sibi ipsi hæc impetrauit:

vtrunq:

vtrunq:Ordinem eludens Lateranum,& Nostrum. Et quos de nobis nequit ad parendum sibi vel blandiendo allicere, vel comminando exterrere,criminationibus insectatur, & iurgijs, rabidè ferens nos ad te, Laurentij, confugere. Et custodes rerum nostrarum, ac defensores, prædones insimulat, & excommunicat temeritate, qua fulget inuerecundus, non auctoritate, qua caret iniurius. Ad tantam improbitatem excruciamur, Laurenti, atque disrumpimur, & fellis atque absinthij nostræ plenæ sunt animæ. Dum spirabunt, & viuent nostri sæculi homines, dum loquentur historiæ, & monumenta Tuscarum rerum extabunt; palam tam sordida hæc fiet iniquitas, & in omnium ore tragica ista peruagabitur fabula, ni tua virtute singulari, ác solita bonitate, Laurenti, huic malo grauissimo occurras protinus,ac medearis. Atqui summi nempè viri,ijdemq; optimi hoc commune cum Deo felicitatis habent, à quo potestatem acceperunt,vt facilè possint malum in bonũ cõuertere,& perperam acta corrigere. Excipe itaq;pio,ac patrio sinu supplices,tibiq;prostratas animas nostras, & ad clamorem miserabilem nostrum molescat generosus,& inclytus spiritus tuus. Tolle de medio nostri furentem inter pacificos hominem istum, qui non Pastor, sed Lupus, non reformator, sed inquinator rectius nobis est appellandus. Qui quoniam peccatum suum non agnoscit, sed temerarius magis gliscit in dies; virtutis, & æquitatis, Laurenti, munus est tuæ illum celeriter abigere, atq; propellere, & iugo nos pessimi hominis soluere. Quare perdulces tuos pregenitores, qui religiosos semper viros coluere, & æternum sibi nomen per virtutem propagauerunt, per tui ipsius, liberorumq; salutem, & gloriam, per crucem etiam, & sanguinem Christi, in quo redempti singuli sumus, per quicquid denique tibi faustum exoptas, & à Deo prosperum speras, Laurenti inclyte, atq; magnanime; aut nos consocia Lateranensibus Regularibus nostris, aut verò esse permitte, vt antea, nostros, & à violento isto homine liberos. Alioquin te auctore, Laurenti, iacta erit alea de nostra re tota, & Nicosiæ Pisanæ extremus, ac funestus subibit interritus. Vale summorum hominum decus, & patriæ columem. Florentiæ sexto Idus Aprilis. Tertia demum est item ad eundem Laurentium ex persona Generalis Rectoris. Ex quo primum perlatum est nobis Nicosianorum Monasteria non quidem ad nos, vt curabas, Laurenti, sed ad fraudatorem, cui mandata res erat, deuenisse, & id non sine illorum seruorum Dei miserabili calamitate, atq; iniuria, nostraq; simul ignominia, atque dedecore; nullus mihi dies (testis est præcordiorum explorator Deus, quod tibi Laurenti non mentior) nullus, inquam, nisi hodiernus iste iucundus arrisit, quo de studio, sinceroq; proposito mentis rectissimæ, atq: optimæ tuæ super isto negotio literas vt optatas, ita gratissimas accepi ab Matthæo nostro isthic Abbate tuo Fesulano, & ab

Angelo Placentino Prouinciali Censore, quos ex Generali Capitulo nostris cum literis ad Senense balneum vsque, vbi te proluebas, transmisimus. Factura est opus, Laurenti, dignatio præclarissima, atq; magnanima tua in primis gratissimum Deo. Nobis verò non aliter charum, ac pretiosum, quam lucem ipsam; tua quoq; vel virtute, vel laude dignissimum, qui à præpotente equidem Deo, à quo potestas omnis ad mortales illabitur, eo in loco merito positus es, vt iam non tibi liceat omittere aliquid, vel negligere, quod ad illius maiestatem, & cultum, tuamq; dignitatem, ac veram, & solidã gloriam spectet, sine censorio morsu, & caliginosa tui clarissimi nominis labe. A quo modo grauissimo magis, quam ab ipsa quidem morte debet abhorrere generosus animus, pius, atq; inclytus tuus, qui hactenus ad pietatem, & magnarum rerum gloria continue deflagrauit, his optimis, atq; sanctissimis progenitoribus satus, vel institutus, qui per virtutem omnimodam præsertim verò religionem, & pietatem in domicilio Beatorum (sic opinamur) relati sunt, vbi cum Christo felicissimè regnant, perq; ora mortalium dum erunt sæcula cum laude volitabunt. Maximum quippe est & diuinis laudibus proximum, malum in bonum reuocare, atque conuertere. At verò tibi proposita modo, Laurenti occasio sancta, & pulcherrima est, vt suffragante cælesti tibi gratia, immortale possis meritum, simulq; & maximam laudem adipisci facillimè, in quo quid acturus sis expectant sanè in te conuersi quamplurimi. Quod si felicitatem ipse tuam non fefelleris, atq; neglexeris, rei perficiundę impendes quicquid in te est ingenij, facultatis, & virium; Nicosianosq; Religiosos istos tanquam ab interritu ad incolumitatem, & vitam rursum exsuscitabis. Quod vt ardenter, atq: impigrè facias per Iesum Saluatorem supplicamus tibi, Laurenti clementissime, atq; magnanime. Tota de re, menteq; nostra Celsus noster isthuc à nobis proficiscens latius est tecum acturus, quem audiat, atq: exaudiat singularis, & altissima bonitas tua. Æternum iam uale, felixq: in Domino uiue, & nos inter tua gratia dignos enumera, cui patrono, & benefactori præcipuo admirabili fide, ac reuerentia dediti, & in Christo sacrati singuli sumus. Vale iterum hęros, & meritò Patrię Pater. Ferrarię xjv. kal. Iunij. Tametsi uerò infeliciter perorata fuerit causa Nicosiensis huiusmodi, atq: ideo unione infecta post aliquot annos Iulio Secundo principante Monasterium illud à cęteris mutilatum diuerterit ad Saluatorienses de Bononia Canonicos: non ita tamen accidit in altera Veneta ęquè forti, ac vniuersaliore apud Bernardum Iustinianum summæ auctoritatis, & sanctimoniæ Patritium Venetum. Ab anno iam sextodecimo Serenissima Venetorum Aristocratia Ecclesiarum, piorũq; locorum omnium census sibi vendicauerat: exinde binæ decimæ singulis annis in fiscum conferrendæ iussæ, ac item bimestre quoq; datiarium onus, deq; rebus

rebus omnibus quantumlibet minimis simul, & tributa, & vectigalia iugiter pensitata. Graues profectò exactiones, & supra quam tempora homines, loca, ferre possent; sed quæ multo grauiores ex adiacentibus circumstantijs redderentur. Si quidem binæ decimæ (etsi ab Apostolico, vt ferebatur, permissę) plusquā trium haud dubiè valorem, & rationem excedebānt. Nam quibus datum exactionis negotium fuit, Primum Ecclesiasticos ita lędebant, quod frugibus omnibus, etiam quibuscunq; vel minimis, quæ sub decimatione iure venire non solerent, maiora pretia constituebant, quam vendi, commutariq; vllo iam modo possent. Pręterea omnem illam partem, quę per tributa, atq; dacia in publicum iam cessisset ętarium, iterum decimabant, vt planè res eadem dolosè, improbè, & iniquè bis sub decimatione ueniret. Rursus contra diuina, humanaq; decreta, de redditibus impensas nullas detrahendas censebant, cum tamen sine impensa nullo modo fruges legere, & assequi quisq; vtiq; posset. Sed neque tempestates, neq; siccitates, neque pecorum mortes, neq; villarum, tectorumq; ruinas, neq; deflagrationes, neq; vim fluminum, neq; plantationum; insitionum, stercorationum dispendia excipi patiebantur vlla. Insuper vt primum cępissent arua flauescere, vt vitis botros ędere cogebantur Ecclesiastici de soluendis decimis vadimonium dare, quod qui per amicitiam, gratiamq; non inueniebat, necesse illi erat prętio emere (ita vadimoniorum inuenta noua mercatura erat, admodumq; lucrosa) alioquin interdicebatur frugibus statim, & datam post breuem temporis moram fiebat indepręcabilis pœna. Vendebantur tandem publica voce pręconis, neq; inducijs, commodoq; religiosorum hominum ullus erat locus ab improbo ministro, diroq; satellite. Sed neq: tantis malis, ac detrimētis satis plena, satiataq: Respublica, in extremū Cleri exitiū decē uiros ultimo loco decreuerat, quibus huiusmodi onerum aggrauandorum adhuc datum negotium esset, qui uniuersum Ecclesiasticum Ordinem, gradumq: & dignitatem ad suum forum, suaq: subsellia Venetias euocabant, nulla cogitatione adhibita id liceret, necnec, quas euocati distractiones, & rerum detrimenta subirent, quas ipsi euocantes censuras incurrerent. Hij primum Ecclesiasticarum libros rationum, & iura exhibere sibi mulctatos cogebant, ut quotquot uiderent à sextodecimo anno Ecclesiarum prouentus auxisse, rectè, fideliterq: tractasse, hos mucta grauiore afficerent, quasi qui rem suam benè agebant, pœna, atq: supplicio digni esse viderentur, commentantes ab inde citra, & insimulantes de impositis decimis, taxis, & quotis ętarium fuisse fraudatum, atq: ideo innoxios uexabant, inauditosq: condemnabant, cum esset tamen nemo ita humilis, aaq: sordidus, ita ridiculus, aut certè nefarius, qui ad iudicium si raperetur, inauditus damnaretur, defendi non permitteretur, & si ipse posceret, in iudicio contradictorio non sisteretur. Hoc itaq; pacto

illustrior

illustrior Christi soboles, & peculiarior Domini grex, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis explodebatur inauditus, vexabatur, angebatur, spoliabatur, probris, conuitijs, minis, terroribus seruiliter afficiebatur, & quos Senatores semper honorauere: eorum tunc serui dehonestabant, atq; ludificabant. Est per se odiosa semper omnis exactio, cum autem exactioni additur vis, adduntur iniuriæ, adduntur & contumeliæ, cum improbis oportet curuari ministris, & ante hos nudis astare capitibus, congeminatur pæna, augetur supplicium, gliscit offensio. Ad aueruncandas igitur, & auuertendas tantas huiusmodi clades iniurias, & calamitates, vel ad eas declinandas, aut saltem minuendas Ecclesiastica omnis familia per deputatos suos cætum Paduæ habuit, vbi communibus suffragijs definitum fuit, Legatos aliquot ex Congregatorum numero ad Serenissimum Senatum destinare, qui iniquam rerum conditionem ob oculos ponerent, complorarentue, Regiam manum deposcentes, opportunumq; remedium compræcantes ab ipsomet Purpuratorum consessu, contestantes religionem, obtestantesq; pietatem singulas per generationes eo in mirabili Principatu probatissimam. Cum verò Matthæus tum Abbas Viridarianus notoria floreret auctoritate dudum sanctissimis artibus apud plerosq; primi ordinis Patres conciliata, impulsus est Petro Baroccio Patauino Episcopo acriter suadente, cæterisq; compræcantibus eosdem Oratores officijs suis per epistolas efficacibus sociare, & præuenire ad corda tanti Senatus suauiter, fortiterq; disponenda. Hoc autem præstitit ille copiosa, pretiosaue epistolari solertia, præsertim verò ardentissima ad laudatum Bernardum Iustinianum compræcatione, qua illum hortatur ad suppetias opportunas, legittimas, necessarias, piasq; Sacris Ordinibus Christi in Senatu ferendas, ad Oratores intento animo exaudiendos, consilio dirigendos, auctoritateq; adiuuandos. Quæ vniuersa, & singula tanti pendere ad exitum rei, vt multo adhibito moderamine solutionis, recisisq; exactorum iniurijs, & insidijs dignitas sacerdotalis sit sartatecta custodita, paxq; & quies sacris indicta militijs. Hanc eandem quietem, & pacem adnixus est Bossus inducere, serere, fouere, & enutrire in omnium causa grauissima Monastica, quæ tunc temporis summo fragore, ac strepitu ebulliebat conflagrantissimè, non multos ante annos abortiuo, verèq; monstruoso partu per ambitum patrem, & humanæ fragilitatis laxitate genita, atq; prognata. Causa hæc non singularem aliquam personam respiciebat, sed binæ Regularis Reipublicæ dignitatem, atq; gradum: contendentibus scilicet Monachis in Ecclesia Sancta Dei Primatum Monastico Ordini ex antiquiore origine, seuerioreq; disciplina deberi: contra verò vrgentibus Canonicis Regularibus nostris, Potiorem esse Clericorum huiusmodi sortem, nobilioremq; locum, quorum nunquam interrupta, in-

tercisa

tercisa, refractaq; series à primis primitiuæ Ecclesiæ exordijs hæreditatem patrum in se ipsis veris, ac legitimis descendentibus deportasset, & transfudisset, Primatum, & ab cæteris quibuscuuque prærogatiuam. Ita digladiari tum contingebat qua calamo, qua lingua Canonicos, Monachosue. Nec mirum quando legatur quoq; de Apostolis, Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Sensus autem, optionesq; pacis, & quietis, quos Matthæus & habebat, & ferebat, colligamus curiosè quidem, sed non absq; profectu ab sequentibus eius Epistolis. Prima est 105. ad Celsum. Quoquo modo iam itura post tantos conflictus res sit, te semper hortabor, & quidem magnopere, venerande, & sapientissime Celse, ab iniuria Monachorum te, quantum quidem potes, abstineas; etiam si qui eorum intemperantius te sanè lacessierint. Præstat enim flagitium ferre, quam inferre, vt in Comedijs legisti puer. Meum consilium semper pacis fuit, ac fraternæ in Domino charitatis, eritq; dum viuam. Denique quid est illud, de quo contenditur, lana gallica, an fumus, et aura? & obrobrium victoris, & victi? Mira, & inscrutabilis res. Monastici Patres, nostri etiam, neq; pauci, neq; non præstantissimi, modestissimiq; Canonici communem istam detestantur insaniam: & ecce sibi nescio qua freti turpi temeritate, atq; iactantia vtriq; in commune dedecus, & multorum scandalum, facti pueri anhelamus. Sed rerum ordo sic poscit, qui pulcherrimus & Angelos in Cælo distinguit, & quæ deorsum militat, Ecclesiam Sanctam exornat. Non abnuere, aut negare id equidem possum, quin constent omnia ordine, sintq; inordinata indecora, atq; turpissima, modo hac in parte non grauius detrimentum res profectò religiosa subeat. Minus sæpe malum, vt Aristoteles putat, in rationem boni concedit. Lites quoq; et sapientes gerunt, et sine iniuria ius quæritur inter amicos. Hoc ego velim, hoc ego præcor, hoc & vtinam Deus inter nos faxit, vt nullum charitatis dispendium, nullum honestatis, honorisq; periculum faciamus, sed amicè, paceq; incolumi de præsidentia horum duorum Ordinum decernatur, & isto te loco nihil, mi Celse, deterreo, quin tuam exeres manum strenuè, atq; fortissimè: & quę acutè, & copiosè in causa scripsisti iura firmissima, medio proferas campo, & illorum contra defensiones, pręsidiaq; consideres sine felle, vel bili, quem neque aliter puto esse facturum, quippe qui benignus natus es, & per omnem semper ætatem benigè vixisti. Cum Protectore, Seruatoreq: Reuerendissimo nosto ac in re cōmentatus sum multa, per quę Ordo iste, et æquitas esset cum pace quærenda: & tandem est visum vtriq; de nobis, qui primi in vrbibus Monasteria habuere, primis etiam honoribus habeantur, rei satis fore consultum, in quo laborabit egregiè dignatio sacratissima sui, et tu Celse vt huic opinioni adhæreas equidem probo, qua ad pacem, atq;

ordi-

ordinem ſimul, qui tenendus inter nos eſt, nihil planè aptius, atq; facilius video. Quod ſi hunc in portum nauis iſta induci non poterit, verebor dum altum tenet, & inter hos æſtus enauigat, impacta ſcopulis naufraget tandem. Quod poſtremum malum nulla, aut amplius ratio, aut conſilium, ſed ſine remedio pænitentia vendicabit. Quare per virtutem, et ſapientiam tuam, per Religionis charitatem te, mi Celſe, oro, et obſecro, tuam omnem cogitationem, et operam conferas ad communem honorem, et pacem. Illud impugna, illud contende, illud enitere, vt per Deum Saluatorem pax inter nos ſit. Vale Florentiæ Nonis Nouembribus. Hæc erant pacis meditata, hæc quietis inſtrumenta, quibus non modo ſe, ſed et alios animabat non ſteriliter, vt ex ſequenti colligitur ad eundem Celſum. Tuæ literæ ſemper magna cum uoluptate à me leguntur, uenerande mi Celſe, ſed quas ad me dediſti hodie non uoluptate modo, ſed exultatione equidem maxima legi; quod eum cum Patribus Monachis modum ſeruas ſanctum quidem, & tua prudentia, atq; virtute digniſſimum, quem ad te perſcripſi, obteſtatus per Deum, tuus vt ita faceret animus. In qua ſententia non ſum ipſe ſolus, fuit Archangelus cum primatum gereret, eſt hodie Seuerinus, & ipſe Generalis, qui mecum hoc ſancto deſiderio ardet. Eſt Eſaias Generalis Procurator vir in re ſua omni prudentiſſimus. Sunt & innumeri penè præſtantiſſimi, & modeſtisſimi Patres, qui non in carnis pasſionibus, ſed in cęleſtibus deſiderijs ſuam gloriam collocarunt; qui & didicerant virtute ſingulari ſua nõ bellare, ſed pace bella ſopire; vbi qui vincitur victor euadit, ea glorioſa, maximaq; victoria, qua vincitur malum in bono, qua & coronati ſunt omnes olim martyres Chriſti ab eo, qui diſcipiat gentes, vt ſcriptum eſt, quæ bella volunt, à qua innanitate plus quam à morte viro bono, & Dei ſeruo eſt abhorrendum. Vale. Hinc ad ſilentium, amicamq; compoſitionem omnia deſtinata erant, non vltraq; progrediendum credebatur in disſidio, cum noua ecce oboritur, excitaturq; procella, eo acrius feriens, quo impenſitatius aggrediebatur, & præter ſpem, opinionemue ad extremam vſq; nominis, ac dignitatis internecionem digladiabatur. Adſit Epiſtola 221. ad Gabrielem. Tuo hortatu, Gabriel, vna cum Celſo Patre ea conſilia legi, quæ pro Monacis aduerſus gradum, & dignitatem Ordinis noſtri Collegia quædam Conſultorum noſtri temporis hominum publicauere. De quibus hæc mea ſententia fuerit, hos diſſertaſſe multa, cauillatoſque fuiſſe à vero, honeſtoque aliena. Eorum ludum, qui venales, ac proſtitutas ſibi compararunt ingenti ſtudio linguas, & qui veluti mimi in ſcęna, aut gladiatores media arena inducti mercede, non certis, & valentibus, ſed irritis, atq; inanibus magno ſono veberant ictibus aerem. Qui neſcio quamfrontem illi habeant, dum aduerſus candidam veritatem, & Solis ſplendorem atras offundunt;
nebulas

immituntq; caliginem, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, vt de talibus inquit Esaias. Doleo sanè plurimum, & vix inhibeo lachrymas, quod contentio, quæ extincta, vel sopita iam fermè videbatur, nunc tanquam oleo superinfuso in maiores flammas erumpat; & vterq; forsitan Ordo, si non malè ominor, daturus sit pœnas vanitatis, atq; iactantiæ. Quippe qui nisi proprius nos amor, & ocij, atq; opum stimularet audacia, paci studeremus, & charitati, & disceptationes, ac rixas cum pusillorum scandalo tanquam scelus deuitaremus. Ego enim quibus annis procurationem Generalem Ordinis egi Romæ, vt est tua paternitas memor, paci seruandæ, & fraternitatis dulcedini studui, & perpetuam operam dedi, quod effecere Patres reliqui mecum, qui tum religiosam rem nostram capescebant, & gubernandi fræna regebant, Celsus ipse maximæ, Hieronimus, Raphael, Seuerinus, tuusq: modestissimus germanus Archangelus, qui simul omnes conditionem nullam vnquam repudiauimus, quæ foret honesta, & putaretur Patribus Monachis grata, etiam ad gradus descendentes longè humiliores, quam teneremur. Sed eo tandem defendendi sui causę, rationesq; excessere, vt nostri diutius homines laturi hanc indignitatem præssis sibi auribus tantopere parum forsitan sint, exciteturq; tantus liuor vtrinque (habet enim suum quisq; prurientem genuinum) vnde graues inter nos rixæ, contentiones, discordiæq; nascantur, & inter homines sæculi despectus, exibilatusq; de nobis, & incedamus pudore sufiusi, susurium illud exaudientes, si sal terræ euanuerit, in quo iam salietur? & si tenebrosa facta sunt Ecclesiæ lumina, in quo videbunt tandem cæci homines lucem? Adde quantum nobis impendat periculi, atq; ruinę tam pristinæ gloriæ, quam rerum ipsarum, si incrassati, dilatati, & plenè pasti videamur calcitrare. Qua nos territabat admonitione, dum viueret, plenus pietatis, & fidei, ac Sacrorum pileatorum prudentissimus, atq; sanctissimus Sancti Marci Cardinalis, & Dominus, & qui adhuc viuit eiusdem dignitatis, & præcipuæ laudis Senensis Reuerendissimus, ambo Religiosorum hominum patres, & honorem, cultumq; diuinum mirè zelantes. Ero longiusculus, si das hanc mihi veniam in tanto negotio, Gabriel. Notauit iam plurima istis in consilijs Celsus noster, quę dixi, quæ partim omninò falsissima, & ei, & pleriq; sunt visa, partim insulsa adeo, ac puerilia, & lectori mediocriter vel erudito admirationem, & stomachum moueant: Quę si detexerit, atq; reuicerit, Mars ecce hinc, inde Bellona sine ferro togatos Christi ministros, & humilitatis professores cogent in arma, atq; duellum, aliam neutris allaturam victoriam, quam ruborem, & pœnitentiam. Nostras si ipsi discordias vel componere ad vnitatem, vel sopire ad ædificationem, qui discipuli Saluatoris Christi sumus, & in populis vocitari Rabi gloriamur, nō didicerimus, atq; ita vt faciamus; quæso quis magistros erudiet alius, medi-

cosue curabit ? Ego sanè partes nostras iustissimas esse arbitratus sum semper, qui cessi tamen, & honore præueni Monachos tam quidem publico, quam etiam priuato,neq; per me vlla vnquam est orta contentio. Cæterum quid Patres reliqui optimi, & sapientissimi facturi sint nostri,obseruabo neutralis. Puto enim à pluribus esse retundenda, quæ aduersum nos minus dignè, ac minus verè scripta, inuectaq; sunt, qui sobriè, atq; castissimè omnem etiam contumeliam dissimulassent, quæ perpetuis monumentis, & scriptis Ordini non esset inusta. Durum quippe est perpetuam ungulis, quæ vrit, non scalpere aliquando pruriginem, & dentem in dolore lingua non lambere. Vtrorunq; fuerat frenare principia, finemq; prospicere, didicisse quoq; beato illi Saluatoris Christi obtemperare præcepto,Quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse,erit vester seruus. Cui & monitum illud rectissimè consonat, Qui inuitatus ad nuptias fueris, vade, & recumbe in nouissimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi Amice ascende superius, tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus; quia omnis, qui se exaltat humiliabitur, & omnis qui se humiliat exaltabitur. Porrò si ex dignitate maiorum, aut accubitu, sessioneq; meliores nos esse putamus, & non magis ex virtute, humilitate præsertim, insanimus, & pueriliter nobis illudimus. Apud Plutarchum in Symposio Septem Sapientum Laconem quendam prudenter fecisse proditum est, qui cum in choro multorum locus sibi à chori magistro vltimus assignaretur, nullo rubore mutatus, iraue permotus, Rectè, inquit, magister egisti, qui partem hanc chori hoc pacto honorasti vltimam. Pari laude Thaletis responsum eodem in Symposio iure laudatur, cui cum Alexidemus Milesius Thrasibuli Tyranni ex amica pellice filius tristis indicasset se dolore teneri, quod à Periandro tentus in cœna indigno loco factus esset discumbere,Thales respondit, tu ne times, vt astra se ipsis fieri aut meliora, aut deteriora ex locis, quibus insidunt Ægyptij nugantur, sic te pro qualitate loci clarum, aut obscurum reddi ?. Non enim aduertere debemus quo loco, sedeq; discumbimus, sed potius vt apud conuiuas decenter apti, suauesq; simus. Sed, ò rem miram, viros non modo Italia, sed toto orbe Christiano clarissimos, humilitatisq; antistites ita desipire, & suæ professionis obliuisci, vt quod alijs prohibent, ipsi committant, & non videant, quam periculosè labantur cœci, & miserandi. Quæ deliramenta quoniam ad sanitatem iam reduci posse perdifficilè mihi videtur, lauo inter innocentes manus meas, mi Gabriel,mundasq; ad Deum attollo,qui quicquid actum est,agendumq;fuerit, bene vertat. Vale,& de tuo nos studio admone. Hic erat controuersię status, hęc pijssimi, prudentissimiq; viri sententia, cuius vltimas voces, & preces obaudisse, exaudisseq; Numen exitus comprobauit. Siquidem dum

lauit

lauit inter innocentes manus, mundasq; ad Deum extulit, vt quicquid actum erat, agendumue foret benè vertere, se dissidijs non assentiri satis laudabiliter aperuit. Qui verò amauit periculum periuit in illo. Nam post septuaginta fermè annos Pius Quartus Mediceus æternæ memoriæ Summus Pontifex vtriusq: Ordinis vices miseratus, qui ab dissidio, abq; aduocatis, & Procuratoribus deglutiebatur, & degluriebatur, formatissimo iudicio, in apiceue iuris discussa diù causa coram tribus Illustrissimis Cardinalibus ad id deputatis, litem terminauit, deq; plenitudine potestatis Canonico Ordini nostro Primatum adiudicauit. Sed hæc satis multo post accidere. Interea Bossus, qui tantis ex partibus vniuerso Ordini proficuam operam exhibebat, Montani sui Monasterij Veronensis haud oblitus, eiusdem diligentiæ pretiosa testimonia illi non subtraxit, per quæ successoribus insinuaret etiam ad oculum, quanti Res curanda Publica sit. Præter eas lites enim, quas Cypriano Quirino Concanonico Patritio Veneto curatore Venetijs agitauit, ac felici exitu terminauit, Theutonicam, Clericalem, Cendranam, Lineacam loci postremo exitio imminentes; cum Celsus Maffeus Generalis animum adiecisset ad claustrum sacris picturis ex vtraq; Diuina pagina exornandum, demandata Bosso executrice prouincia, ille ardore assueto animi sic opus extimulauit, vt quod imperfectibile credebatur ex defficiente nummo, tandem ad optati exitus palmam reduxerit suppetijs, hinc inde optimo loco quæsitis. Eandem & picturam insignibus elogijs castigatam eloquentiam loquentibus, summamq; pietatem exprimentibus, & admirabilem ingenij acutiem repræsentantibus exornauit, vt à proxima Ciuitate ascenderent, & conuolarent quicunq; eruditionis nomine pollebant ad illa, & perlegenda, & animo firmanda, atq; imitationi transcribenda, plurisq; absumebatur diei in his meditandis, quam in pictura ipsa conspicienda. Delubro item pijssimo Ecclesiasticos ornatus adiecit plurimos, & qui clarissimorum pictorum eius qui amicitiam coleret, Costę, Franciæ, Mantineæ ab immortali illorum pennicillo icones obtinuit ipsa morte maiores. Hæc quidem pauca sunt sub ex pluribus, quæ vir maximus Ordini præstitit prudentissimæ gubernationis commoda. Quæ verò ad fœturas intellectus eius attinent ipsa laude maiora sunt. Lubet tantummodo summatim actiones scriptionis attingere. Mundi fugam, & contemptum in Philippo Parmensi illustri Phisico ingerit quibuscunq; salutis cura, religionis meditatio, & vitæ purioris secessus superna irradiatione infunditur. Adolescentiam in Alberto Zobolo Æneæ patritij Regiensis filio instituit præscripto monitionum, consiliorumq; Canone, in quo breuissime attingitur quicquid iuniori aptè formando conferre posse moralis doctrina decernit. Vota æterno Deo promissa solertissimè, citoq; reddenda rationibus elegantissimè explicatis Anselmo suasit, qui super Religionis Cano-

nicæ peracto voto sibi dispensari moliebatur. Sacrum Christi præconem quemcunq; instituit in vnius Iustiniani Veronensis formatione, dum non modo ex præceptis prophanorum Rethorum, exq; emunctæ eloquentiæ luminibus, sed ex praxi etiam ipsa in se vno expertorum docet quibus virtutibus pollere, vitijs carere, quantaue doctrina, & arte verus Christianæ legis bucinator præstare debeat: vt breui prorsus compendio omnia omninò compræhendat, quæ plurimi postmodum successores Italicè lauto conuiuio apposuere. Et qui per ægretudines assiduas à pulpito citius ammoueri passus est, quam exoptaret, in fouendis ex iuuentute Ordinis insignioribus declamatoribus Marco Veronense, Michaele Astense, Ioanne, Vercellense, Valerio Vicentino, & Raphaele Placentino egregiè admonuit, Congregationem his vnis, si mores eloquentiam committentur, tanquam perystilijs æternitati fulciri. Studia literarum religiosè colenda peruicit in Religione constitutis ad Hyppolitum, et Leonardum ardentissimos Christi Tyrones, assignans eis methodum, qua scientiæ perdiscendę sunt, eo secretiorem à cæteris, quo seiunctiores Clerici Regulares à laicis suopte instituto sunt. Siquidem vna, inquit, sapientia est, singularisq; doctrina, quæ prima adiumenta ad felicitatem nobis parit, longèq; suppeditat, vt nullus uerè Dei seruus, idoneusq; minister habendus sit, qui idem aliqua uel mediocri eruditione non pręstet, etiam si reliquam bonitatem habeat omnem. Phalaridem dudum Agrigentinum Tyrannum ab oppositionibus Benedicti Calchi Concanonici tutatus est occasione Epistolarum quas ille scripsit, in quibus præter eloquentiam raram, atq; mirabilem, multa grauissima, multa Sanctissima, et summo Philosopho, et Christiano digna comperiantur. Sacerdotium temporale Christi Domini Apocrisam cantilenam euidentissimis rationibus confutauit scribeus ad Policletum Phisicum, quam tamen ineptissimè Bartholomæus Cassanæus in suo Glorię Mundi Theatro inseruit ex libello ineptiore. Mulieribus ornatum, uarum, mundumq; superfluum ędicto interdictum, restituendum non esse peruicit tam Oratione ad Bessarionem Cardinalem Nicenum Bononię Legatum, quam Epistola ad Guarinum Veronensem, in quibus uim omnem eloquentię sanctissimę effudisse conspicitur. Siquidem cum Thimotheus Maphęus is de quo supra, quadragesimalis Bononiensium pręco in uitia sęculi acritet inuehens inter cętera egisset ex pulpito, ut publico decreto petulantior mulierum cultus, et inundans uestimentorum luxuries comprimeretur inuentus est tum temporis quippiam Euangeliomastix, qui si non honesta, attamen eleganti satis oratione quadam apud Bessarionem Cardinalem Tusculanum, Apostolicumq; Legatum Fœminis cultum restitui debere, ausus fuerit disputare, quantaq; potuit vi persuadere. Id autem cum accidisset post Pascalia solemnia, postq; expletum prædicationis munus, Timothæus

mothæus in Ætruriam profectus abierat, qui & ideo neq; refellere, neq; hominis deliramenta purgare nequibat. Interim oratio in ore, & manibus omnium versabatur. Multis applaudebat, ijsq; maxime, quibus magis illecebræ probabantur, quam præcepta iustitiæ. Alij verò quorum sanior erat mens, rectiusq; iudicium, dolebant ornamentorum licentiam iniuria continentiæ, pudicitiæq; discrimine literis illustratam. Quare ij magna ex parte ad Matthæum tunc Montanæ Canonicę Pręsulem confugientes precibus institerunt, vt aduersus scripta illa insurgeret calamo, staretq; pro magistri declamata veritate. Is verò causam suscepit, itaue oratione tutatus est, vt per omne id temporis, quo Bessarion præfuit vrbi, lex atq; decretum manserit semper inuictum. Quanto magis verò voluptuosam illam Aristippeam, quam Christianam superat Philosophiam Libellus ille, ex eo facilè percipi potuit, quod operi ob turpitudinem nomen non cuderit Auctor suum; verum ingenuam matronam Nicolosam Sanutam loquentem adduxerit omnia muliebri querimonia replentem: cui ignotum gratiam, ne an iniuriam fecerit, cum nobilissima fœmina magis præseferre videretur pudicitiam, honestatem, frugalitatem, antiquos mores, atq; animi constantiam, quam lasciuiam, & immoderatum ornamentorum affectum. Bessarione autem Legatione functo emersit Epistola quædam Guarini Veronensis viri literarum doctrina clarissimi ad Sanctem Bentiuolium auratum equitem, primumq; in Republica virum, quæ pristino loco reponendum muliebrem mundum suaderet, inueheretq; accerrimè in aduersæ opinionis assertores. Ideo Matthæus vt Conciuem, & amicissimum ad saniorem mentem reuocaret Epistola exactissima materiam sic refricauit, vt ad frugem meliorem illum omninò efformauerit, quod ex responsiua illius Epistola per eundem Bossum relata summatim colligi potest. Quid demum doctiores quiq; de operibus eius sentirent, quodue ferrent iudicium sequentia patenter indicant testimonia. Philippus enim Beroaldus ita de illo scriptum reliquit, Scriptionem Ecclesiasticam pleriq; existimant consimilem esse virgini valentulę, in qua plus lacertorum sit, quam formositatis, plus roboris, quam nitoris. Ex quo fit, vt interdum talis lectio delicato lectori fastidienda fiat, & aspernabilis. Sed nuper Matthæus Bossus dogma Ecclesiasticum adeo pigmentis oratorijs venustauit, adeò omni concinnitate elegantiarum expoliuit, vt tersius, mundius, purius vix quidquam reperias. Multiplici, variaq; doctrina scatent eius Dialogi, Orationes, & Epistolæ. Oblectat, tenet, capit lectorem minimè lassessentem; vbiq; luculentus, & emunctus; & quod cum primis Ecclesiasticum hominem decet, sanctitudinis consultissimus est. Lector, ita lege, vt perlegas, ita intra, vt spectes. Sunt enim hæc non à limine tantum salutanda, sed etiam, atq; etiam introspicienda. Caue, quæso, ne quod canis in

Ægypto

Ægypto bibere, aut fugere videaris. Iason item Maijnus Legum Cæſarearum, & Pontificiarum ſui temporis oraculum ita tulit in Epiſtola ad Auguſtinum. Accepi ab te ſuperioribus diebus, mi Auguſtine, Epiſtolarum libellum, quem Matthæus Boſſus Canonicus Regularis elucubrauit; opus quidem varium, acre, ſublime, & elaboratum, multa cum venuſtate, mundiciaq; verborum, totiuſq; ſermonis comitate, & gratia. Miſiſti deinde alium eiuſdem Matthæi ad me libellum, quem De iſtnituendo ſapientia animo, non minus feliciter, & diſertè, quam maturè, & grauiter abſoluit. Nunc tertio aliud opuſculum tranſmiſiſti, quod idem Boſſus, De veris, ac ſalutaribus animi gaudijs perpolitè, ac diligenter, ſtylo ſuaui, & moderato edidit. Donaſti me amplè his muneribus, quibus nihil gratius, nihil acceptius, nihil iucundius, nec tu dare, nec ego accipere potuiſſem. Maximam in dies concipio voluptatem, quoties inter legendum Boſſi noſtri graues ſententias libo; ſenſus reconditos ſcrutor, vim perſuadendi, ſubtilitatem argumentandi, reuincendi, diluendiq; obuiam facultatem, ac promptitudinem admiror. Eius lectio multum oblectat, nec minus prodeſt, vt iam incertum apud me relinquatur, vtrum ſermones eius ſalubriores ſint, an diſertiores. Demum Angelus Politianus eloquentia, & doctrina incomparabilis ſingularem operum eius excellentiam Laurentio Mediceo aperuit in hæc verba. Sapienter vt cætera, Laurenti, facis, qui ſanctos iſtos eſtremæ quadrageſimæ dies conſumere in Agnano tuo malueris, quam Florentiæ. Quis enim tutior portus, in quem de tantis occupationum fluctibus enates, quam Thyreni litoris ameniſſimus iſte ſinus, atq; ſeceſſus, vbi quaſi quoddam naturæ certamen ſit, & gratiæ? Sed ego quoq; imitatus exemplum, ceu fugitiuus vrbis, aſſiduus in Feſulano fui, cum Pico Mirandula meo, Cœnobiumq; illud ambo Regularium Canonicorum frequentauimus, Aui tui ſumptibus extructum. Quin Abbas in eo Mattheus Boſſus Veronenſis homo ſanctis moribus, integerrimaq; vita, ſed & literis politioribus mirè cultus, ita nos humanitate ſua quadam tenuit, & ſuauitate ſermonis, vt ab eo digreſsi mox ego, & Picus, ſoli propè modum relicti, quod antea ferè non accidebat, nec eſſe alter alteri iam ſatis videremur. Hoc ille, arbitror, ſentiens: dialogum nobis à ſe compoſitum De ſalutaribus animi gaudijs obtulit, quaſi vicariũ, cuius materia, ſtyluſq; nos ita cœpit, vt quandiù quidem legebamus, facilè Auctoris pręsẽtia careremus. Eum igitur ego Dialogum mitto ad te quoque, Laurenti, quem ſubter pineta iſta legas ad aquæ caput. Delectaberis, arbitror, argumento, ſenſibus, indole, nitore, varietate, copia; nec in eo domeſticas quoq; laudes deſiderabis. Verum à nemine expeditius, liberiuſq; expiſcatur operum eius iudicium, Epiſtolarum præſertim, quam ab ipſomet in eo, quod ſcribit ad Auguſtinum, ſcriptitationis etiam conſilium aperiens latè in hęc verba. Prudenter

ne

ne equidem satis, operosèue effecerim, qui tum ad legendum tum ad scribendum aliquanto propensius, otium, tempusq; contulerim, mecum Augustine reputaui nonnunquam. Et sanè vis conscientiæ, exemplumq; quorundam me sæpè, & vehementer exterruit, quos, conspicarer spretis omnibus toto se studio addixisse cælestibus, & omnis ferè per horas orationis dulcedinem, efferuentissimas lachrymas, intimosq; singultus fuisse sectatos, quorum ab humanis semotus tantopere animus, & nihil extra se quærens, solitudine, taciturnitate, secretoq; gauderet, & iugi cælos meditatione pulsaret, ac lamberet. Quos optimam sibi profecto partem cum Maria delegisse omnes probarent, admirantes suspicerent. Fateor & quidem ingenuè debuisse hos in primis mihi proponere, his magistris insistere, & eorum similem vitam capescere. Sed ita comperta natura hominum est, & diuersi ita cuiusq; à consuetudine mores, vt non facilè quisq; quælibet possit. Verum inscrutabilis prouidentiæ donoalijs datum est Deo inhærere, & alta prænoscere, alijs nobis prophetare, alijs arcana interpretari, alijs in Ecclesia ad populum loqui, alijs sanitates, alijs scientiæ, alijs doctrinæ concesse. Quę facit omnia, vt scriptum est, Sanctus in nobis vnus, atque idem mirabiliter Spiritus prout vult partiens ea cuique, atque communicans. Siquidem ego ad maiora ista non assumptus, nec satis compos, atq; idoneus ad peruolandum supernè alta per sydera putaui per lectionem haurire deorsum, quę possem, quando sublimiora mihi sint denegata, & scribendo tempus ab ignauia, otijq; iniuria quoquo modo vendicare, ad hoc ab illis vehementer impulsus, qui vehementer me dilexerunt, Timotheo olim prima, & consumatissima (cęterorum cum venia dixerim) sui temporis pulpiti gloria, & meę salutis primo post Deum auctore, ad euangeliumq; magistro, Cambio Bosso deinceps, ac Seuerino, quem nuper ante oculos nostros emorientem adhuc alloqui videor, viris omnibus prudentissimis, atq; sanctissimis; sed nunc maximè à te, Augustine, & meo Ioanne Philippo, qui mihi estis, alter in Domino Pater, alter natura Germanus. Nec minus innumeros illos imitatus beatissimos sanè viros, qui tanta in Ecclesia Dei legerunt, vt nihil visi sint preterijsse, aut tanta scripserunt quanta fermè nemo potuit videre saltem, ne accurate quidem perlegendo. Quod si etiam ab diuinis istis longè absum ingenijs homunculus ipse abiectus, & vilis, nilq; ago prestantius, hoc tamen quicquid est laudis me assequi puto, quod vitam mortuo similem otiosè, non duco. Varones singuli, aut Cicerones, aut Hieronymi, aut etiam Aquinates esse non possumus. Sed illud minimè etiam vel honestate, vel laude carere mihi planè videtur, cum quis quantũ omninò potest absc exigit fructum aliquum ingeniti seminis, industriæq; suę, nec per inertiam abuolare, & sibi deperire omninò patitur tempus, quò à Deo ipso nihil prestantius, ac pretiosius

tiosius hac in vita receepimus. Vastissima igitur alij arua prosеminent, & collectis vndique granis horrea ad summum impleant. Ego agellum emensus, illum excoiam sola vel manu, opus aliquanto nobilius, quam eorum ipsorum, quibus sine literis sunt munera rustica ceræ, aut qui post orationes, & sacra ministeria quicquid est vacuum fiscellis iunco, & calathis scirpo contexendis impendunt, aut verò (quod deterius est) diuagantur vt Scythæ circumforanei, ac triuiales cum ignominia habitus Christi. Quare cum nuper allatæ mihi fuissent meæ non paucæ familiares Epistolæ, quas partim sororius, fraterq; seruauerant, partim quidam ex iunioribus Clericis Regularibus nostris studiosè collegerant, ac me rogarent imprimendas, vt traderem, tuusq; intercederet, Augustine Pater, hortatus, atq; auctoritas; non vobis assentiri non potui. Eas itaq; diligenter inspectas, & secundam ad limam relatas publicam in lucem emitto. Quod rectè ne tamen faciam, sit arbiter alius. Fallitur enim de se ipso perfacile quisq; & iniquus sæpè iudex est oculus proprius. Illud tamen attestamur cum argumenta, causæq; scribendi familiares, ac quotidiani vsus, & styli maiore ex parte existant, non tanto cothurno istas se se attolere, quanto pleraq; fortasse, quas edidimus antea. Neque verò togas semper, armaq; pangimus, sed interdum ad aquæ riuulum subter corileta, & salices molles imflamus auenas. Habetur & in literis suus Apologis honor, nec repudiantur, si sint liberales, facetiæ, atq; fabellæ. Et Christus magister vnus veritatis, vereq; Deus in parabolis locutus est terris. Quarum rerum scite, vtiliterq; dum fiant, neque est inglorius labor. Attamen verò magnos in literis viros, qui per Academias incedunt insigniter tunicati, & balthea auro grauia sibi præcingunt, qui per se possunt ad grauiora conscendere, & cum dignitate, laudeq; docere, non ad eas transmittimus, nec inuerecundè conuocamus. Quas tamen si dedignati non fuerint, in Christo lætabimur congeminato veluti fænore. Sed Regularibus studiosis, & Deo famulantibus nostris graui tuo, Augustine Reuerende, iudicio, & amicabili, vt ante dixi, suasu destinamus in primis, quos sanctum post tyrocinium ediscendi cura plurimum allicit, vt habeant nostro hoc ex domestico stylo, vnde ad graues, & religiosam ad rem pertinentes ascendant Epistolas, quas Augustini, Ambrosij, Cypriani, Bernardi, & qui in arce eloquentiæ regnat, Hieronymi. Quod (si lubet) addatur & Anęus, quo nemo est Christianę veritati proximior inter Philosophos. Siquidem candido nostro, factoq; proposito non aliter puto Ciceronem, ac Romanos alios conuenire in epistolis, quam quę nostra non sunt, tametsi adhuc sæculo addictos eas delibasse non improbem quidem. Nunc verò Reipublicę euentus, Imperij mobilitas, varia Senatus decreta, alta ciuium pectora, vafra consilia, inuaticinabilesq; obscuritates, ac factiones, quibus

suas

ſuas illi referſerunt Epiſtolas, quid nobis tandem per Deum afferunt vel bonitatis, vel ſapientiæ, vt non longè potiora habeat noſtra Religio? Accipiant igitur tua diligentia noſtri, Auguſtine, tyrunculi hoc Epiſtolare munuſculum, ab ijs ſuo vſui putatum percommodum, Reuerendiſſimo autem Sacrorum Flaminum, & ardentiſſimo in Eccleſia Chriſti fulgori Ioanni Alexandrino Cardinali dicatum, quem ſemper inſpexi mea ſcripta cum voluptate legiſſe, & ea non modo probaſſe, ſed nobilitaſſe etiam teſtimonio grauiſſimo, & ampliſſimo ſuo per cuius, ſummam dignitatem, atque auſpicia honeſtior operi fauor accreſcat. In quo ſi quid vobis applauſerit, acceptum refertote totius boni largitori munifico, & inexhauribili Deo. Sin minus id commemineritis, neminem vnquam votis cuiuſque per omnia placuiſſe, nec aliquid eſſe quod legentium animos ęque detineat. Senecæ, quem ego ſemper magis obſtupeo, nonnulli inconſiderationem, & temeritatem impimgunt, & vim tam diuinam, & pondus exibilant. Maroni quoq; obiecta ſunt quædam, & data ludubrio. Sed & Cicero eloquentiæ fundamentum, & gloria, & inter philoſophos non quidem obſcurus, quam noſtro ſæpè à Lactantio pungitur, atque inceſſitur? Cui vices retulit cumulatas, & impias qui inde Lactantio maſtix, eſt appellatus Antonius ille Raudenſis. Cur ergo non patiar de me cenſuram, & ſatyram, qui neq; ſum Seneca, neq; Maro, neq; Cicero, neq; Lactantius? Prò nihilo porrò mihi ſit ſors nominis vel læta, vel triſtis, tantum ſi obſecutus ſum ijs, quos vna in Domino fides, vna charitas, vnus Dei honor, vitaq; vna conſociat, quoſq; vt me ipſum æquè dilexi hactenus, & in Domino felices optaui. Vale. Atq;hęc quidem fuere clariſſimi viri in æditione operum ſuorum cogitata, ijq; ſenſus. Quibus tanto plauſu,tantaq;auiditate peruolauit legentium cuiuſcunq; ordinis curioſitas, ac delectatio vtilitati permixta, vt ipſo adhuc ſuperſtite qnaternis vicibus pręlo ſubiecta fuerint a quæſtuoſis calchographis. Quorum ipſe tandem miſeratus vicem, quod hic inde diſſeminata vagarentur in minores partita libellos, in vnum tandem collegit, formauitq; volumen egregium, quod Recuperationes Feſulanas inſcripſit, atq; Ioanni Mediceo Cardinali à ſe pridem coronato nuncupauit, cuius recuſſionis motiua ab ipſo ad eundem ſic propalantur. A pleriſq; ſæpè rogatus, vt opuſcula quædam, & diuerſarum rerum Orationes, atq; Epiſtolas, quas multas hactenus ſcripſi, colligerem, & officioſa impræſſorum manu, atq; induſtria, & omnia ante recognita, accuratèq; digeſta communia pluribus redderem. Negotium, mecum aliquandiù cogitans hæſi, diſtuli, torſique me tiam. Ea enim ipſa erant partim ita diſperſa, vt receptui claſſico nullo quidem ſigno ad vexilla reuocari amplius poſſent, partim etiam in fratrum manibus habebantur per Italiæ totius diuiſa cœnobia, partim cæcis noſtræ cellulæ angulis, ſitu, ac puluere pene tabeſcentia dici iacuerant,

rant , procul à mente , omnique memoria, ut difficillimum ſanè mihi uideretur in corpus aliquod unum tot membra diſiecta componere. Meas cogitationes quoque non magno ſtudio lucubratas ſatis placere poſſe diffidebam ijs præſertim, qui ſtricta libella omnia appendunt, & corrugata fronte , ac rinoceronteo naſo aliena tanquam odorant . Atq; ideo interim cæpi in lucem emittere , prætentaturum iter, facturumq; diſcrimen, Dialogum noſtrum, De ueris, ac ſalutaribus animi gaudijs, qui impræſſoria arte diffuſus in plurimos, vt ſe cępit oſtendere probatus (vt vidi) atq; dignè habitus eſt. Et poſt pauca. Hinc animata, hinc ſuccenſa mihi fiducia, vt cætera iſta, quę diximus, ita ſparſa quęq; ac diſſeminata in vnum congereremus. Quod cum fecerimus, quę ex multis deperditis inuenta, receptaq; ſunt, quas Recuperationes appellare poſſumus Feſulanas, tuo ampliſſimo, & ſacratiſſimo nomini merito dedicanda putauimus. Ea propter ambitioſo propè literatorum procerum concurſu notitia,& amicitia eius expoſcebatur, & colebatur. Pręter vnos enim Ioannem Picum Mirandulanum, Marſilium Ficinum, Angelum Politianum, & Hermolaos Barbaros ſeniorem, atq; iuniorem patruum, ac nepotem, illum Epiſcopum Veronenſem,iſtum Patriarcham Aquileienſem,Federicus Sfondratus,Iſidorus Cartuſienſis, Hieronymus Campagnola, Nicolaus Tegrinus, Ioannes Garzonius,Hector Theophanius,Franciſcus Paſchaligus,alijq;innumeri doctrinarum ſplendore,nobilitatiſq;prærogatiua clariſſimi datis Epiſtolis intimam viro inclyto obtulere,popoſcereq;familiaritatem. Neq; minore auctoritate,grataue beneuolētia apud Principes floruit,qui eius opera conſilio,& ingenio ſępius res arduas, negotiaq; difficillima compoſuerunt,vt liquet ex ijs,quę ſcripſit ad Sixtum Quartum,& Innocētium Octauum Summos Pontifices,ad Beſſarionem Conſtantinopolitanum,Ioannem Alexandrinum,Ioannem Mediceum, qui poſtea Leo Decimus, Theodorum Montisferati, Franciſcum Gonzagam, Ioannem Arcimboldum,Marcum Baldum,Iulium de Ruuere, qui deinde Iulius Secundus, Raimundum Gurgenſem Cardinales, ad Mutinenſem,Alexandrinū,Belunnenſem, Volateranum,Regienſem, Aretinum, Mitilenenſem,Mantuanum Epiſcopos,ad Federicum Feltriū Vrbini Ducem,Gulielmum Marchionem Montisferati,Auguſtinum Barbadicum Ducem Venetiam, ac demū ad Laurentiū Medicem Florentinū Patrię Patrem. In horum verò animis ſibi, ac rebus ſacris conciliandis pręuia quędam diſpoſitio erat natiua corporis eius habitudo,cui forma aliquanto amplior ſic cōtigerat,vt proceritate artuū alienos oculos raperet maximè,eiq; plurimum afferret venerationis,cū præſertim ipſa in allocutione animū omninò proderet ingenuū, minimèq;fucatum, qui nuda in ſimplicitate ſemper hilari,ac mira oris dignitate, corporiſq; grauitate elegantes abſque arte mores ſpirabat,atq; integerrimos. Tandem cęlo per longas ægretudines,

per

per assiduos labores, perq; perpetes pijssimas actiones maturatus, veræ sanctitatis opinione superstite animam Saluatori Deo reddidit anno MDII, ætatis septuagesimo quinto Patauij. Cum funus curaretur in alma Diui Præcursoris Basilica Franciscus Maria Feltrius Vrbinatum Princeps militari, & Imperatoria laude clarissimus honorificentissimis verbis, lachrymisq; prosecutus est. Summa populi pium cadauer venerantis, precesq; apud Deum, & intercessionem postulantis frequentia illum Sancti Spiritus habitaculum extitisse ex communi iudicio demonstrauit. Sit Deus benedictus in sæcula. Ibidem tumulatus pluribus relictis disciplinæ suæ alumnis tanto præceptore dignissimis, inter quos eluxit insigniter Leonardus ille Veronensis, qui Congregationi Canoniam Nolanam Sanctæ Mariæ de Parete acquisiuit. Nos laxiore calamo res eius prosecuti sumus gratum obsequium exhibentes benefactori clarissimo, qui Cæsenati Monasterio fundos Sancti Pellegrini à Ceruiensi Episcopo (vt ipse scribit ad Cambium Bossum) aquisiuit, qui post Principis Malatestæ vltimi obitum publicati fuerant, & fisco adscripti. Hæc autem series operum eius est.

*De Veris, ac salutaribus animi gaudijs, Dialogi in tres disputationes partiti ad Timotheum Mapheum Summum verbi Dei Præconem.* Lib. I.

*De Instituendo Sapientia animo, Dialogi in octo disputationes partiti ad Seuerinum Calchum Mediolanensem Generalem.* Lib. I.

*De Tolerandis aduersis, Dialogi in duas Collationes partiti ad Ioannem Philippum Bossum Fratrem.* Lib. I.

*De Gerendo Magistratu, Iustitiaq; colenda viginti capitibus comprehensum ad Ioannem Ludouicum Bossum Iure consultum, & Equitem.* Lib. I.

*Ne Fæminea ornamenta Bononiensibus restituantur ad Bessarionem Cardinalem Bononiæ Legatum.* Lib. I.

*In Azimorum die, de Beata Domini Cœna.*

*Item De Beata Domini Cœna.*

*Item de Beata Domini Cœna tertio.*

*In Magni Patris Aurelij Augustini Natalem Festumq; Diem.*

*De Sanguine Domini Nostri Iesu Christi, qui piè Mantuæ colitur.*

*In Solemni omnium Cælitum Die. Orationes variæ* Lib. I.

*Primarum Epistolarum numero 135. ad Diuersos.* Lib. I.

*Secundarum Epistolarum numero 233. ad Diuersos.* Lib. I.

*Elogiorum variorum hinc inde diffusorum, in vnumq; collectorum.* Lib. I.

*Hæc omnia Typis primum impressa partim Florentiæ, partim Bononiæ, Veronæ & Brixiæ, deinde simul Florentiæ tandem recussa fuere curante Reuerendissimo Marco Antonio Manetto, & expurgante Iulio Ambrosino Mantuano Bononiæ, in elegantioresq; formas digesta Anno 1627. Apud Victorium*

*Benatium, atq; nuncupata Serenissimo Ferdinando II. Mediceo Magno AEtruriæ Duci.*

*Item scripsit Commentaria in Rethoricam Ciceronis.* *Lib. 1.*

*Item scripsit Commentaria in quinq; eiusdem Ciceronis orationes.* *Lib. 1.*

*De his ipsemet testatur in Epistola sextadecima Ad Bartholomeum Placentinum, quæ vtrum fuerint Typis impressa ignoramus.*

Celsi Monachi.

IAM nouus ecce Plato Latij consurgit ab oris
*Bossius, ecce iterum alter Apollo reddit.*
*Orpheus en supero Cæli demittitur axe,*
*En redit, & Phæbus, Mercuriusq; simul.*



MAT-

# MATTHÆVS BRVNAMVS CREMONENSIS.





IX quinquagenariam ętatem excefsit Matthęus Brunanus Cremonenfis diuturniore omninò vita dignifsimus. Huius annos vigintiquinque habuit Congregatio, fermè decem Epifcopatus, cæteros vita fæculi. Triplicis ftatus exercitationem dignifsimam operatus eft, fortuna ingenij vbertatem obfecundante, hoc eft Numinis prouidentia propitiationem largiente. Viuidam adolefcentiam tranfegit nunc Cremonæ, nunc Mantuæ, ab confanguineis in fpem multum erectis aulæ destinatus, penes quam certo nomine commendabantur: atq; ideo omnibus excultum curabant artibus, quæ gratiora obfequia Principibus viris imprimunt. Mens cunctarum difciplinarum colores exfugebat, lineafq; ab præceptoribus obfignatas in tabulæ complanatæ morem facili admittebat negotio, lingua, voce, manu, pede ad vniuerfa promptus, quorum ętas admitteret executionem. Pręeminebant verò cęteris Rethoricæ exercitationes, quarum affectu folitudinem exquirere cæpit, fiue vt minus in acomponendo præpediretur, fiue vt inmemoriæ obfignandis compofitis faciliorem animus aditum, imprefsionemue conueniret. Declamationes hinc cum frequentiufculè ad oblatas occafiones haberet, vtriq; Ciuitati præ cæteris notior factus eft coęuis adolefcentibus. In eis fequeftrationibus cordi paulatim imprimendis aliud erat confilium apud Diuos, quorum tutelæ commendabatur. Delapfum aliquando ex equo, altèq; diruptum, noua inuenere cogitata, quæ folitudinis pręcedentem curam non fine caufa immiffam detegerent. Religionem decumbens concepit, fanufq; peperit ad Columbini Raparij tunc Vifitatoris munere fungentis hortamenta, & complanationem. Herculi Gonzagę Protectori Cardinali gratam fuiffe eius accefsionem exprefsit non diù poft adiecta gratia, vt Patauinis ftudiorum moderatatoribus dirigeretur excolendus: ipforum namq; iuuenis affinium fibi, Marchionibufq; Mantuę obfequio iunctorum preces, nec non & ab pluribus con teftatam illius aptitudinem fcripfit, id primum in eum amoris pignus promeruiffe: at pignus primum extitit, & vltimum, nam anno fequenti Protector decefsit Tridenti OEcumenico Pręfes Concilio. Ibi verò Brumanus vigilias illas, illofq; labores pofuit, quos apprimè ne-

cessarios

ceſſarios nouit quiſquis Lauream proponit non metam, ſed medium ſibi, proximoq; iuuando. Archangelo Mercenario operam dedit domi, ad Diui Lucæ ſcholas audiuit Franciſcum Picolomineum, Marcum Antonium Genuam, demumq; Fridericum Pendaſium ſummos Philoſophos, atque poſtremo non deſijt aſſecla numerari etiam cum ad Theologica tranſiuit ſub diſciplina Hieronymi Vielmij Veneti, & Ioannis Ambroſij Barbauari Mediolanenſis. Dominicas aduenientis Domini, aduentatiq; ex Eccleſię ritu ſolemnitates poſuit primitias ſuæ prædicationis in patria ad ædem Agathę, maturitate, ſaporeq: illo reſperſus, quæ prodeſſent, oblectarent-ue pariter. Quadragena grandis ieiunij prima Caſalenſium Montisferacis aures oppleuit, corda contriuit, quem ita probauit Ambroſius Aldegatus ex Prędicatorum dogmate Epiſcopus, vt & eundem audire condixerit anno ſequenti: verum morte pręreptus locum Benedicto Erbæ ex eodem inſtituto aſſumpto reliquit, qui prędeceſſoris explens promiſsa, in Brumani penu ditandum veræ virtutis gaza, deinceps plura contulit; ita nanque aiunt, adamantes ſolis adamantibus perpoliri. Erat Benedictus quidem dux verbi, ſed vitę ſanctimonia maior, & vtraq; dote ita probatus communiter, vt in lucri boni locum computarit Brumanus ſe illi totum permittere dirigendum, inter cuius potiora ſibi collata ornamenta cum primis enumerauit Caroli Borromei Sanctiſſimi Archiepiſcopi, & Cardinalis clientelam eo obtentam introductore. Dum ad horum exemplar vitam perpoliret innocentiorem, auxit & ingenij ſuppellectilem, cuius vt alios redderet participes, Mediolano duplicem quadrageſimam poſuit, Albæ, Aſtę, Bononię, Papiæ vnicam: ęſtiuum, vernum, autumnale tempus aſſuetum concioni Mantuę vt plurimum, Venetijs, Cremonę dedit. Populos miniſterio huiuſmodi excolentem Guilelmus Mantuæ Dux ſenſim obſeruauit, qui vt acutiſſimus, acerq; virorum librator ab natura, arteq; factus, nouit in eo non communia talenta, quæ in fractione familiaris allocutionis ſtantem adminiſtrum, ad omniaue præſentem exhiberent. Gratia, & beneficijs impetit, & ſurrigit, vt aptiorem reddat; ſed & ipſo eodem tempore plura ſibi dirimi poſtulat animum obſidentia, & inſ ubditorum gubernatione implexionem euomentia multiplicem. Quid contulerit in tollendis propoſitis nodis in dies apud religioſum Principem, multiſcium, ac non facilis aquieſcentiæ exemplo ſunt Tractatus de Eccleſiaſticorum redditLuum iuribus, & origine, Item De Matrimoniorum validitate, & inualiditate penes omnem ætatem praxi, iureq; inducta, quos eidem dicatos illo ipſo poſtulante elucubrauit. Ad idem probandum conferunt momenti grandis negotia eiuſdem fidei, dexteritati, prudentiæq; commiſsa, quæ eius nomine penes ſummum Pontificem Orator pertractaret. Eo mediante munere innotuit ita ſacrorum Præſidibus, vt adhuc Principe vrgente inter

Epiſ-

Episcopos ab semper excelso Sixti Quinti Hierarcæ iudicio assumi meruerit, Ecclesiæq; Nicomediensi præfici Mantuanæ suffraganeus. Tantam lucem Congregatio non sub modio absconderat; sed (quod in se erat) ad candelabrum erexerat: per diuersa nanque officia probatum, & Abbatialibus infulis redemerat, & in ea Rauennatensi Synodo, in qua Rector Generalis Petrus Franciscus Riua Veronensis fuerat renunciatus, illum Visitatorem dixerat, Collegã Ascanio Martinengo Brixiensi, Hyppolito Anguisolę Placentino, & Desiderio Mediolanensi. Quare ad Episcopalem Cathedram translatus in Dieta Romæ congregata officia suę fidei, curæq; commissa ressignauit, ea habita oratione, quæ & lachrymas sibi, & congregatis Patribus vberes expręssit, & nos aliquando apud Placidum Blancardum Cremonensem virum probum, & eruditum Ferrariæ Abbatem manuscriptam vidimus plenè affectum tenerrimum in Congregationem matrem, & de se benemeritam exprimentem. Generali, Collegisq; eius Pontificia auctoritas officia ad annum prorogarat certis ex causis, ideoq; illi successor ibidem datus fuit in Visitatoratu Andreas Pauarellus, & in Abbatia Sancti Petri de Pado Sigismundus Cremensis. Post hæc Mantuam repetijt ab Principe benefico ad condictum pollicitationum reuocatus, quem in dies exornandum suadebat, & auctoritas, qua pręstabat, & animi propensio nusquam languens; sed post paucos menses de viuentium numero Guilelmus deletus est nondum quinquagenarius, anno octuagesimo septimo sęculi ad diem professum Virginis Deiparę assumptę. Quare inter dignos męrores ex primis Episcopalis dignitatis muneribus extitit funerum benedictio, & decor illius, cuius vitam diuturniorem proprię decurtatione redimisset: ad Diuæ enim Barbarę sacram humum illato Alexander Andreatius Mantuanorum, Ludouicus Aquensium, & Matthęus Brumanus Nicomediensium Antistites bene pręcauere. Vt verò per rerum humanarum vicissitudinem lęta tristibus permiscentur, post hebdomadum hebdomadam nouę interfuit Episcopus actioni, quę & Mantuanorum Ciuitatem, & Serenissimam familiam gaudio, & Ecclesiam vniuersam fructu, ornamentoq; cumulauit indelebili. Cum enim Franciscus Gonzaga ex Principum Bozzolanorum lineà Ordinis Minorum de Obseruantia professus per sex annos Generalis minister Reipublicę integerrimè laudatissimèq; pręfuisset, & officio ressignato ad optatissimam solitudinem confugisset; Sixtus instante Philippo Secundo Austrio Hispaniarum Monarca extractum Cefaludiensi Ecclesiæ Siculę Antistitem dederat. Ad nouum ergo Pręsulem inaugurandum Mantuę ad Diui Assisiatis electus fuit Nicomediensis assistentium Episcoporum alter, vna cum Iacobo Rouelio Salodiense Feltrianorum infulato, sacros ritus Alexandro Andreasio perficiente. Vincentius interim Guilelmo non Principatus solum, sed & munificentię successor egre-

egregius, licet aliqua loco dimouerit, quod vicissitudinum huiusmodi commune est exordium; circa Brumanum tamen eandem, quam parens exercuerat, tenuit propensionem, vtpotè cui abundè nota essent viri merita, laboresque. Hinc & eius translationem iuuit à Nicomediensi ad Melphiensem sedem, quæ in Regno Neapolitano clara, & residentiam dabat opportunam, & prouentus non tenues ad gradum, personamue sustinendam. Contigit id dum pro eodem Serenissimo Legatione fungeretur apud Innocentium Nonum anno nongentesimo primo sęculi die nona Nouembris. Vixit paucos ibidem annos gratissimus, vtilisq; plebi commissę, atq; dum reparationis multa moliretur rebus benè prouisis defunctus est anno quarto à millesimo sexcentesimo. Habemus ergo

*De Ecclesiasticorum Reddituum Iuribus, & origine Libros duos.* Lib. ij.
*De Matrimoniorum Validitate, & Inualiditate iure, praxiq: inducta penes omnem ætatem, & gentes Libros duos.* Lib. ij.

Ioannis Baptistæ Ambroni Cæsenatis.

*OLfacere æstiuos Brumali tempore flores*
*Fulgentes canas, purpureasq: rosas,*
*Cernere frondosos in eodem tempore ramos*
*Pendula tunc propria carpere poma manu,*
*Granaq: spiciferam producere tempus omne,*
*Omnibus, & Baccum vina racemiferum;*
*Nil mirum effectus sunt Brumæ iurè benigni,*
*Quem penes anfractus non malus vllus adest.*
*Accipies, adeas si excultum Præsulis hortum,*
*Brumæ qui in medio fertiliora dabit.*
*Floridus est hortus Brumæ, stabitq; perennis,*
*Nam fuit ætthereis iam madefactus aquis.*

MAT.

# MATTHÆVS PERIVS PISTORIENSIS.





VI D verò inter diuersa constitutus peragam, Matthæe Peri pijssime, dum hæc scriberem, vita hac mortali functe? Num te surreptum nobis lachrymabor, an potius cęlitibus aggregatum confidens, plausu excipiam diem noui natalis felicem? Vices certè meas dolebo, qui vtinam imitarer, quæ in te admiror, ac laudo præstita, vitæ finem, ardentesq; fausti occubitus causas. Doleo quidem qui in hac lachrymarum valle inter diuersos fluctuum anfractus quid superueniens paritura sit dies ignoro, ac paueo, sanctèq; decedentes deuota, vt opinor, inuidia prosequor. Dum quos simul transegimus dies, memoria repeto, nihil humani à me alienum reputans fletibus ex corde indulgeo. Cum enim Pistorij Abbatem ipse agerem, tu vero ibidem à Fesulanæ Prælaturæ triennali gubernio de more maiorum quiesceres, tuis adeo moribus sum delectatus, probaq; conuersatione lætatus, vt in multam lucri appendicem annuum illud incolatum enumerem. Præ cęteris autem tuæ charitatis exercitijs tyrocinium tum inchoasti vitæ alienis commodis addictæ, quasi præscius eius termini, ad quem in stadio currens tenderes. Nam vt in palestra quappiam te exerceres, Nosocomium insigne, quod tui conciues Cipum appellant, inuisere prius, & post pauculam diem adamussim pertractare, vt tibi indulgeretur, à me contendisti. Aliquando etiam tuorum ipse conatuum spectator præ tuo suasu factus iuuit manum admouere operi, adiutricesq; vires coniungere, eum imitatione subsequens, cui pręcedere decuisset. Quot verò desperatione abactos erexisti? Quot desolatos prouexisti? Quantorum vulneribus oleum, & vinum infundens eodem temporis momento animabus, corporibusq; medelam miscuisti? Nunc dissidia intestina compressa, nunc capitales inimitiæ sublatę tuo ministerio locum reddebant frequentia, venerationeq; insigniorem. Veteri quidem laudatissimoq; instituto per Canonicos Regulares Lateranenses (vt ex pluribus conijcere opportunum est) introducto ad statas concurrunt horas nobiliores quique per vices suas, vt infirmis apponant, ac ministrent siue ad prandium, siue ad cœnam; sed tum id præstabatur vberiùs cum te vniuersa sermone, exemploq; incendentem contuerentur. Gratissimum pro-

fectò Superis spectaculum tot procerum ciuitatis adolescentes filios pallium in ipso vestibulo complicantes, seq; linteis præcingentes ad promptius seruitum intueri, sed grauius contingebat ijs diebus, quando ipse omnibus notus, sancta æmulatione animos exciebas tantopere, vt vix domus illius famulis quidpiam factu vilium,ac minorum quoq; ministeriorum remaneret. Neque silebas interea solemnioribus quibusq; noctibus ad diuersa accersitus sodalitia Atti, Catharinæ, aliorumq; vt sermonibus congregatorum animos pia concione promoueres. Per aduentum quoq; Domini, in Apostolinorum templo orans deficiebat minor Ecclesia frequentissimę, nobiliq; concioni. Atq;hęc quidem tecum prolocuto mihi liceat de tuo ad nos accessu, vitæq; breui curriculo paucula quoq; promere. Petro Bonsignorio Reipublicę principante ab Ludouici Lucensis Abbtis Pistoriensem Canoniam tum moderanris manibus stolam Canonicam est indutus: innouaturusq; nobilis parentis Physici iam vita functi in se memoriam de eius nomine Matthæus est appellatus. Seminario Fesulano adscribitur sub Marco Antonio Manetto, tum primum Abbatiam gerente, vt prima Religionis sub illo rudimenta poneret, sub cuius maiore præfectura inter Abbates ipso promouente cooptandus erat. Post trienne tyrocinium sanctimoniæ, moribusq; adipiscendis lege præscriptum, Philosophicis, Theologicisq; perpolliendus traditur Ticini Ascanio Arbizano Veronensi, & Angelo Morbiolo Mantuano Doctoribus. In sibi Congregandis opibus, quas postmodum in famelicas turbas distriberet iugis fuit non pœnitendo labore. Coegerat quidem adolescentior intra pectoris scepta rudimentorum latini idiomatis satis vberem suppellectilem, qui Sfortia Erosino Conciue viro peregregio vsus præceptore, manis haud quadam à doctissimo viro remitti potuerat: atq; ideo euanescebant maioris ædificij difficultates idoneo illo stante fundamento. Doctoream stato tempore vna cum alijs pluribus obtinuit, Comitijs censentibus de illius, & condiscipulorum merito, statimq; post illam per publica Congregationis diplomata contestatam Pistoriensis Senatus liberalitate donatur honorario illo, quod gloriosæ memoriæ Nicolaus Fortiguerrius Eminentissimus dudum Cardinalis regio munere per tabulas supremas cuicunq;ciuium ad eum gradum euecto legauit in perpetuum. Qui verò plurima felici naturę debebat, constantis tamen soliditatis, firmiq; cuiuspiam animi decreto carebat, siue quod non omnia vni conferantur à Superis,siue quod leuius quoddam genium hęreditarium, quod aiebant, haberet, aut, quod magis crediderim, quia sic luberet interiores diuitias læta fatuitate contegere: vnum robur in exercendo spiritu, & in colenda pietatis studijs religione perennis retinuit. Cætera morum, & liberalis conuersationis næuo leuitatis apud seueriores respergebat: nec deerant simplici alioqui viro censores ex familiaribus maximè, qui muscarum in morem pupugissent, quæ præstabat.

ſtabat. Sed neque iſthæc offecere, neque diſtulere meliora Senatus iudicia, quin ad gradus,& officia iuxta ætatem aſſumeretur nunc Pręfectus neophitorum Congregationis, nunc Præpoſitus excubiarum, quem Priorem dicunt, vtrobiq; integer, promptus, & innocens. Per hæc autem ſtrauit ſibi acceſſum ad Abbatiale decus Marco Antonio Manetto Feſulanam pręfecturam illius tum gubernationi demandante per ea Comitia, à quibus ipſe ſupremum Ordini caput renunciatus eſt. Sed viro non ſatis fortunatè ceſſit exaltari, vel forte quia præcocius obtigerit prouincia (quæ tamen intra ſpacium legibus debitum data eſt) vel quia non opportunè paratus accedebat circa cenſus, & annui penſi adminiſtrationem, qui ab inferioribus adminiſtris eludi potuit, tum maximè cum ad exitum anni poſtremi demandati muneris ipſe apud Sanctam Mariam Maiorem Florentiæ quadrageſimam concionator ageret. Quodq; poſtremum vniuerſa peſſundedit ille ipſe adminiſter fato cedens, quæ commiſcuerat, huic inextricabilia, neque ſatis gnaro reliquit. Hinc illum ipſum Manettum paſſus eſt cenſorem difficillimum, quem antea parentem ſortitus erat amantiſſimum. Neq; aliud quidpiam eum iuuit, à quo rationes dati, & accepti poſtulabantur, æquè, ac qualis, qualis interceſſio noſtra, per quam Piſtorij ſatis, aut innoxium, aut ſaltem abſq; prauitate animi deliquiſſe exorauimus. Vt verò vias Domini nequaquam mens humana aſsequi poteſt, quæ obtigere aduerſa Perio, animum ad ſaniora pepulere conſilia. Siquidem preſſo igniculo adeundarum in poſterum præfecturarum, adminiſtrandæq; Reipublicæ, totum ſe vouit ſuggeſtui, à quo ſecuriorem mercedem reciperet, & in cuius ſinu tutius foueretur, ac quieſceret. Profecto munera deſuper indeptus erat ad id oneris non vulgaria, quorum periculum pluries præſtiterat apud ſuos ipſos Piſtorienſes, apud Lucenſes, Pratenſes, Volateranos, Florentinos, Feſulanos exitu non pœnitendo. Ea propter nobis curantibus, & Marco Antonio Gentili Abbate annuente Montana Euangeliſtæ Ioannis pomeridiana concio Bononiæ ei præſcribitur; atq; hinc in interregno Viuoli Præſidis à Vicepræfecto Pongoleno ad Lucenſia Diui Frigdiani roſtra per ſummum quadragenarium ieiunium tranſmittitur, poſt quæ vna cum alijs ſeptem eligitur, qui in eo Placentino conuentu, in quo Laurus Aſtulphus Generalis acclamatus eſt, exoraret ad populum. Alexander de Scappis Ciuitatis Epiſcopus, & Conuentus Apoſtolico nutu Præſes inter tot egregios profitentes magè Perio, quam cæteris delectatus illum prece à Patribus impetrauit annuum ſummi templi Eccleſiaſten. Propinauit de cęleſtium ſpiritu populo ea vbertate, quæ animos per ſanctam quandam ebrietatem à ſenſilibus ad diuina amandaret felix, & vtilis Præſule ſummè lætabundo, ac profectibus opem egregiam conferente. Per eam verò tanti Pontificis virtutem conſpicuam, ſummamq; benignitatem illectus

 orator

orator, vnum eum sibi in Mœcenatem elegit studiorum suorum, atq; laborum prouectorem, ac patronum: quod præ alijs significationibus testatum voluit eius concionis sacro, quam in amplissimo Lucensis Reipublicæ Senatu super Adulteræ Euangelio habitam, cum prænobili totius consessus plausu, Iustitiam Clementem attitulauit. Id breue est quidem eius ingenij indicium, atq; reliquorum illius fœtuum arctissima tessera; quæ tamen satis demonstraret, quantus tum foret, quamq; ad metam prævalidè cucurrisset, si diuturnior ætas dono danda Superis cordi fuisset. Cur ex omnibus vna semerserit hæc in lucem concio, vsus iam fermè per aliquod annos inductus in causa extitit. Loci enim, & auditorum amplitudo Regiam maiestatem in summo conclaui præseferens, quæ semel in quadragesima vnum quemq; Ciuitatis præcipuum hortatorem adhibet ad sibi vias Domini ingerendas, & suadendas, & acuit charitatem, ingeniumq; dicentium, & seclusæ plebis, & absentium curiosam pietatem allicit, vt quærat lectione tenere, quod oratione nequiuit, substituatq; occulorum vsum aurium functionibus. Ab Placentinis ad Cornelianenses deportatur, vt ab estremis bacchanalibus ad dies vsq; ressurrectione Domini solemnissimos verba de more populo faciat, præferatq; in angustijs, & acerba annorum egestate lucernam plebi durius per iratum legitimè numen exercitæ. Inde regressus ad Placentinos, vt indictæ inibi Synodo ex numero scelectorum concionatorum e suggestu proloquatur, in dies suspicione, rumore, effectu epidimiæ apud Parmenses conterminos vires acquirentibus, neque adhuc satis Placentia intacta credita, cogitur figere inaniter gradum vna cum alijs Prælatorum permultis, qui conuentui nomen dederant præsignato tempore, dum interea Bononię translata Comitiorum iura, & actus Dictatorem Reipublicę pręstituunt, Prouincias partiuntur, Pręturasq; ac officia distribuunt. Vix demittuntur Bononię congregati, cum raptim student prolabi, ac proripere se se qui Placentiam tenebant, ne quadragenari ibidem per contumaciam, quod plerisq; accidit, ac interdicto aqua, igneq; à finitimis populis, eodem vti domicilio per summa incommoda cogerentur. Quo rerum momento ita sæuit, sic debacchatur lues pestifera Parmę, vt alijs super alios decedentibus (& cum primis qui ex Religiosorum cętibus pręsto erant pereunti populo in sacrorum administratione) nullus omninò aut per rarus appareret, qui se commisceri morbo tactis pateretur. In tam alta operariorum egestate vnus charitatis igne succensus Perius missionem petit ad Parmenses, impetratq; ac vitam suam aliorum vouens, dicansq; commodis cò properat, unde (paucis aliorum aliquorum ordinum exceptis) omnes diffluere conspiciebantur. Difficillimum fermè relatu, est quæ mira egerit nō in conspectu modo eius, cui pręerat Sancti Sepulchri paręciæ, sed totius omninò admirantis Ciuitatis. Omni

prosus

prorſus morbi, mortiſq; timore depoſito, ſiue viuere, ſiue mori ſolum ſibi Chriſtum, lucrum reputans, vnus pro quam multis operabatur, eloquio, exhortationibus, exemplo miſerrimæ turbæ, deſolatis omnium ordinum familijs occurrens omolegeſi, ſinaxi, vnctione, piacularibus linphis, ſupremi ſpiritus pereuntium commendatione. Sui omninò immemor, in exactumq; virum climatus, charitate perfectiſſima formante, ardentiſſimis prece, eloquio ſolabatur, erigebat, comitabatur vix tactos, deſperatos, mortuos, per dies, per noctes hinc, illhinc. Diſcurrens, ieiunus, inſomnis per incruentum ſacrificium ſummo manè, per iaculatorias preces cæteris horis in ipſo pietatis exercitio irati Numinis miſericordiæ, infinitæq; benignitati confugiens, ac iuſtitiæ admirans, celebranſue tot annis perrenni ſcelere prouocatam indignationem. In hiſce tantæ pietatis operibus, neque vires, neq; vita ſufficere: defecit tamen iſta prior, illis ſemper viuido in animo pro ſtatu corporis colluceſcentibus. Tangitur ſolers operarius communi infectione, Deoq; euocante plenus bonorum operum tertio anno quadragenario minor ad æterna præmia, vt pium ſperare eſt, comportatur, vniuerſa Ciuitate tanti operarij amiſſionem ueris lachrymis, ſummiſq; laudibus proſequente. Ex eius penu diffluebant Piſtorij noſtris ſuaſionibus Libri tres De Oratione in genere, de Vocali, & Mentali, quos tamen lux typica adhuc non aſpexit.

Supereſt ergo tantum eius ingenij monumentum, quod ſupra attigimus.

*Iuſtitia Clemens, Italicè, concio habita in Excellentiſſimo Reipublicæ Lucenſis Senatu Placentiæ apud Iacobum Ardizzonum Anno* 1629. *Lib.* 1.

Gregorij Brunelli Mediolanenſis.

*VNica ſanxerunt ſociata fædera dextræ,*
*Et rigor, & pietas, quæ ſacra dicta ligant;*
*Emicat hinc pietas ſocio coniuncta rigori,*
*Inde rigor ſocia cum pietate viget;*
*Infligitq; rigor pœnas pietate miniſtra,*
*Cuius ad imperium diriguere minæ:*
*Præſulis egregij dignum Paradoxon habeto,*
*Imperet vt iuſta cum pietate docet.*

MI.

# M· ANGELVS DE CVLTELLIS A LIBVRNO·





IN breui tempora multa cõſumatus expleuit Michael Angelus de Cultellis Liburni inter Canapicios ortus. Hic in eo delectu, quem acutiſſimũ habuit Camillus Becius Caſalenſis anno ſuæ Pręfecturę ſecundo, inter tyrones ſub alpibus perpetuo frigore damnatis ad ponenda ſacri certaminis exordia tranſmiſsus, pręcoci maturitate non ineptam eiuſdem breuioris vitę pręſenſionem de ſe excitauit apud veteranos, iamq; bonam militiam tranſuadatos Patres. Ingenium nanque eius ſupra omnem humanitatis conditionem quodammodo eleuatum videbatur, dum non ſolum commonſtrata quæque leuiſſimo abſorbebat negotio, & velut in naturam tranſmutabat; ſed & in nunquam edocta ſolo genio duce ſe totum effundebat pari cum iudicio, ac eloquentia. Mores verò candidiſſimi adeo ſe faciles exhibebant ſeueriori diſciplinæ recipiendę, vt nulla pars eſset Canonicæ normæ, quam non totam quaſi triarius exprimeret, & quandoq; obſtupeſcerent qui ſeminario præſidebant, tanta tam exilem ætatem perferre poſse. Ab profeſso dogmate Canonia Apoſtoli Andreę Vercellenſis recipit nouas plantulas, vt fæcundiore ſucco, & feliciore cęlo in futuros fructus eis alimenta anno tertio præſtet. Ea domus illa eſt, quæ ab diebus vſque Sanctiſſimi Vliſſiponenſis Minoritę Antonij, paulo ante Ferdinandi Regularis Canonici, ſcholas ſuas celeberrimas habuit; Patauino de hinc viridario inferruntur. Floriano Nanio Bononienſe Theologorum Coriphæo præ cęteris irrigante, Deoq; incrementum dante proceræ arbores in gemmas iam erumpunt, iam flores fructus parturiunt, inſigniores, Gabriel Pennottus Nouarienſis, Petrus Nicolaus Lucenſis, Conſtantinus Phaſeolus Laudenſis, Michael Angelus Malchiodus Placentinus, Thomas Prouana Taurinenſis, Euſebius Paternus Cremonenſis, Secundus de Pallijs Caſalenſis, alijq; non nulli ab his non multum abſimiles. Quiſq; natiuam ſuauitatem, & indeptam maturitatem ſine inuidia partitur, fiuntq; omnes occupantium certatim hinc, inde populorum, Michael Angelus vixdum Leuita, inuoluitur ſcholę ducendę. Imberbem explodebant ſeueriores Cenſores ab actu, non à iure ſuggeſtus, qui legitimè promerent, auctoritatem officio dignam non exprimi ab penè ętatula, neq; ſe morum

ducem

ducem offerre posse eum, cui vim non conciliaret experimentorum opinio. Mediolani gymnasium habet in celebri Passionis Collegio Dialecticam aggressus explanare, vt ex imis ipsis ad supremam ascenderet Theologiam enodandam nouenni curriculo. Hæ rationes erant Patrum, ijsq; subscribebat obtemperans Leuita, præclarius secum agi reputans, qui non de suo sensu, sed de alieno imperio futuram vitæ semitam dirigeret, viresq; tanto sibi alacriores affuturas desuper consideret, quanto promptius reluctantem aliquo, eoq; honesto titulo voluntatem fregisset. Verum aliud fata digerebant circa iam proximius maturandum Cælo. Vixdum anni illius terminos conficit, quod ipse penè conficitur morbo tam acri, tam valido, tam repentino; vt probè impetus doceret, non nisi secretiore vi quadam illum immissum. Medicorum ordinatio est, vt abstineat ab illo omni studio, quod vires animæ speculationibus infringere posset. Relinquit interpretamenta, sed non sine bono Religionis fœnore. Fuere eius Logicalium discipuli inter alios Ioannes Andreas Tacchinius Cremonensis, & Ascanius Ordeus Mediolanensis, nobilissimum par iuuenum, quorum postmodum decora Canonicæ Vniuersitati ornamento fuere: vt satis superq; pateat, ob optimis dialecticorum fundamentis cunctam scientiarum structuram iure pendere. Gemit interea ille sub medicamentorum mole, conflictaturq; diutius cum morbo ita, vt vix demum emergat alicui non sanitati, sed valetudini, quo in tempore Vicaria potestate fungi iubetur sub Cretano præfecto. Ibi repetit pro viriũ qualitate aliqualia studia, & abdicatis de integro speculationibus, se totum describendo sanctissimo monti confert, eiusq; deuotis structionibus, sacrisq; hinc inde fusis aris graficè repræsentandis, & vno atq; eodem contextu pascendæ curiositati, ac pietati. Opus deinceps edidit, vt confluentium populorum esuriei cibo non importuno occurreret. Cum tamen nec montanam illam habitationem salubrem satis experiretur, licet à natiuo climate non distantem, procul à patrijs oris salutem venari suadetur tum per amicorum monita, tum per medicorum animaduersiones. Neapolim se confert, vt ab præclarissimo Cęlo illo clementiam indipiscatur, & Puteolanas aquas, cæteraq; proxima pertentet medicamenta, diuertatue rerum, & regionis viror, ac pulchritudo quamcunq: animo conceptam mæstitudinis amaritudinem. Sed per hæc ducebatur à Superis in decretum vitæ finem. Ibi apud Sanctum Petrum ad aram diem claudit extremum lætissimus in spem optimam melioris futuræ vitę, qui sub momentanea hac nihil pręter ęrumnas curauerat.

Edidit

*Historiam De Sanctissimo Monte Cretano Virgini Diuinissimæ Matri dicato in Montisferacis ora.*

MI-

# M. ANGELVS MALCHIODVS
## PLACENTINVS





ICET non attigerit,nõ longè tamen aberrauit à ſcopo,quẽ ſibi prę̨ſtituerat Michael Angelus Malchiodus Placentinus. Atq;hinc præſtabit inſpicere,quanti ę̨ſtimandum ſit, vt quis in animi ſui alienorumue cura ſuſc picenda, non abiecta, ſed excelſa ſibi expugnanda proponat. Excitus ad concipienda Religionis vota ab celebritate Pauli Malchiodi conſanguinei, cuius vndiq; ferebatur nomen, & virtus; per eas ſibi ſtatuit omnino ſemitas incedendum: primum quidem vt contingit in adoleſcentulis ſolam ſeculi vanitatem capientibus ex ſolo inanis gloriolæ titulo; dehinc, exturbatis puerilibus, & ſolidioribus intrantibus, ex veræ virtutis intuitu. Potuere autem poſteriora hę̨c cogitata anterioribus illis ſubſtitui ob contubernium, & educationem prę̨ſtantiſſimi tyrocinij apud Bugelanos. Camillus nanq; Becius Generalis ab primo vſq; ad clauum ingreſſu præ cæteris, quibus incubuit in antiqua reſtituenda diſciplina, nouitiatuum formam excoxit emunctiſsimè. Atq; ideo huic ex felici illorum numero facto promptè ſucceſsit perdere profanam ſitim latice limpidiſsimo: Latice, inquam, illo, cuius hauſtu egregiam diſciplinæ ebrietatem prompſere alumni cum eo Conſtantinus Phaſeolus, Gabriel Pennottus, Petrus trus Nicolaus, Euſebius Paternus, & Michael Angelus Cultellius, quorum præclariora nomina tum alibi, tum in hoc ipſo habentur opere. Acceſſere verò pijs in Religione cœptis conformia eruditionis alimenta, quibus in virum perfectum euadere poſſet tam ex inſtructa Magiſtrorum copia, & delectu, quam ex ſubſtratis Academijs florentibus, & ſubminiſtrato quoliqet alio ſubſidio in condiſcentium exquiſito contubernio. Obtemperauit traditis ſcientijs ingenium excultum humanioribus literis in ſę̨culo. Ea propter peracto curſu adnotatur in Doctorum,ſeu Prædicatorum album ex Rauennatibus Comitijs Roueſcalæ anno tertio ante proximè exactũ ſæcularem Suſceptũ onus impari conatu geſsit, quamuis animo ſemper grandi, & inconcuſſo. Stylum Pauli ſui æmulari ab exordio non deſtitit, ad cuius formam ſe componere, & exercere pro virili ſtuduerat, ſed cum irritum pleraq; facerent exitum, ſuam ſibi propriam compegit ideam, non pœnitendam quidem quatenus primos illos oleret conatus. Haud paria

ſortiuntur

ſortimur omnes naturæ dona, haud ſimilia acquirimus artis: ſuo quiſq; valet in talento. Neque abſq; piaculo conqueri decet, cur illi quinque, huic duo, alteri vnum ſint concredita: quia diuidit Deus ſingulis prout vult, licet & vnicuiq; ſecundum propriam virtutem. Præter illa, quæ virtutis, & electionis erant in proximorum ſalute procuranda elucebant in Michaele Angelo naturæ dotes, vox clara, feruidum ex ingenio dicendi genus, aſpectus religioſi decor, & ijs ſimilia, per quæ cum approbatione dixit ciuitatibus, quibus fuit in Euangelio. Iuuit porrò, & placuit honeſto magis, quam ſpecioſo auditori inter oppidanos, quibus non exuberant conciones ad æmulationem, & auram; ſed vna eſt panis, & obſonium, ex qua reſſerant vtilitates autumni ſpiritualis, non apparentias veris floridi, & flaceſcentis. Curriculum prædicationis ad annos viginti quinq; protraxit non intermiſſo labore. Per ætatem licuiſſet vltra progredi; ſed quietis amans, vt viueret ſtudijs, ſeceſſum curauit ſibi permitti ex pluribus, quos Placentina domus in eo agro numerat. Obtinuit Siluæ Regiæ oratorium Diuo Antiſtiti Carolo ſacrum. Noluit Congregatio in partem publicæ ſollicitudinis virum aliquando aſſumere (ſi vnum demas Caſæ Dei Prioratum in ſpeciem magis, quam in laborem) ſiue quoniam id illi eſſe videretur in deſiderio nimio, ac propterea non exaudiendo, ſiue quoniam numeroſa natio, & pridem aſſueta pluribus Canonijs ius dicere ex præſcripto legum, iam ad ſedem vnam redacta, non hæc caperet tantos, tametſi dignos. Deſiderata ſunt quoque ſæpius in illo firmiora prudentiæ robuſtioris præſidia in agendis, perferrendiſq; rebus; ſed ignea vis præ feruidi animi, & molimina neſcientis, quod cerneret ſua regula rectum, volebat, vltra quam liceret velle. Deceſſit minor ſexagenario in prælaudatæ ſiluæ regiæ loco, tumulatur in Diui Patris Auguſtini Placentiæ hoc vno ſaltem felix, quod aliquorum menſium ſpacio infelicia debacchantis Epidimiæ euenta præceſſerit. Edidit.

*De Laudibus Sancti Caroli Cardinalis orationem habitam Placentiæ in ædibus D. Patris Auguſtini, Ad Ranucium Farneſium Ducem. Placentiæ apud Paulum Bertoetum Anno 1613.*

*Tractatũ de Oratione habitũ Cremonæ in Eccleſia S. Caroli Ad Petrũ Franciſcum Malettũ Viſitatorẽ. Placẽtiæ Apud heredes Ioannis Bazachi anno 1614. Lib. j*

*Panegirim de Sereniſsima Farneſiorum Familia, Ad Odoardum Cardinalem Farneſium. Placentiæ apud eoſdem Anno 1615. Lib. 1.*

*Epiphonema in protectione Alexandri Cardinalis Vrſini de Congreg. Later. ad eundem Cardinalẽ, latinè. Placentiæ apud Iacobũ Ardizzonum anno 1623. Lib. 1*

*Achroſticon ex quingentis, & ſexaginta apicibus, ſeu elementis hymnum, Magne Pater Auguſtine componentibus. Ad Ioſephum Viuolum Generalem. Placentiæ apud eundem Anno 1628.*

Hyppoliti Fossati Placentini.

*FLoruit vt Mihael celeberrimus Angelus olim,*
*Cui pingenti ætas non tulit vlla parem.*
*Sic nouus en floret Michael nunc Angelus alter,*
*Inclyta Farnesium, qui canit acta Ducum.*
*Scilicet hic tanto fuerit præstantior illo,*
*Quam mutam superat lingua canora manum.*

Philippi Riccij Parthenopæi.

*LVciferum supera Mihael deiecit ab arce,*
*Contulit in cæcis, & habitare plagis:*
*Alter, & hic Michael hominum de pectore crimen*
*Pellit, & æthereas dat penetrare domos.*
*Angelus in Cælis summum celebrare Tonantem*
*Pergit, & harmonicum spargit ab ore melos:*
*Angelus hic terris diuinum robur amoris*
*Pandit, & angelica pectora voce mouet.*
*Iure igitur Michael nomen, iure Angelus ornat,*
*Vos habet vnus amor, vos alat vnus honor.*

Ioannis Iacobi Callabrini.

*DOcte Deo excultis homines accendere dictis,*
*Atq; humili summum flectere voce Patrem,*
*Quem te forte nouis dicam in tua vota trahentem*
*Astra sonis? quem te, si patiare, canam?*
*Inter Syrenum cantus, & pocula Circes,*
*Tu noua Parthenope, tu noua monstra facis.*
*Felix, hos cantus, & pocula quisquis Vlysses*
*Hauriat; hinc cæptum, & te duce carpat iter.*
*Transiliet scopulos, optataq; limina adibit,*
*Diuus, & è limo, si moueatur erit.*

# M· ANG.VS PARPALIONEVS NOVARIENSIS·





LLVM Magnum Stagiritem Peripateticorum Principem, maximumq; Naturę Prothoscriniarium circa annum creati Orbis quattermillesimum octingentesimum quadragesimum, hoc est circa tercentesimum sexagesimum ante Redemptoris Dei Natalem annum floruisse, ex patentiore Eminentissimi Baronij supputatione curiosè perquirenti liquidò constare potest. Ab tempore illo ad ætatem hanc vsque, intra latum supra duum millium annorum spacium, mirum prorsus dictu est, quot, quantiuè filiorum Adam in eius verba iurarint, quot, quantiq; in illus operibus elucidandis, interpætandisue desudarint, Græci, Latini, Arabes, Mauri, omnis omninò penè nationis, quæ sub Cęlo est, ab extremis vsq; noui detecti orbis, Mexicani, Peruani, Goenses, Malacenses, Siamij, Sinenses qua versionibus, qua tractatibus, qua quęstionibus, qua commentarijs, qua tabulis, qua conciliationibus glossematis, limitationibus, ampliationibus, dilucidationibus, & si quidppiam aliud tale legi, reperiri ue datur. Inter autem tot, tantosq; adhuc remansisse locum, quem insigniter ocuparet quispiam, quis credat? Et tamen vnus Michael Angelus Parpaglioneus Nouariensis, si quando in lucem prodire poterit typographicam, prædecessores omnes sectę illius Philosophos superexcessisse, vt se, ipso excepto Auerroe Commentatore, palpabiliter conuincet. Magna nanque mentis latitudine concipiens totam operum illius extensionem, & illam in œconomiam quandam dirigens, non modo sententias, atq; sensa (quod plerisq; contigerat) sententijs, sensibusq; reddens, sed simplicia adhuc ipsa verba in classes suas dispertiens, in vnumq; locum redigens, ac notans, quę pluribus in locis Aristeteles adhibuerat; facillimam aperuit viam quibuscunq; Philosophum illum accedentibus, ipsummet solis eius verbis interpretandi, applicando nempe loca locis, verbaq; verbis. Tabulas quidem in eiusdem Stagiritis, & in magni Commentatoris dicta superiore sęculo ediderat Marcus Antonius Zimara Sancti Petrinas clari nominis Peripateticus, nec non & Iulius Palamedes Adriensis parum ab illo diuersus, quæ in idem collimare videbantur; sed quoad dispositionem, & absolutam excussionem vix in semine opus hoc

prçcesserũt, aut à longè quodammodo illud attigerunt. Simile quidpiã illud verè est, quod super Sacrç scripturç Volumine elaborauere Georgius Bullocus in Bibliorũ Oeconomia, Guilelmus Parisiẽsis, Georgius Ӕderus, & Frãciscus Lucas in Concordantijs Theologi, atq; horũ exempla prçcessisse quodãmodo dicere possumus; non tamen omninò idẽ ille modus est (& sua laus Auctori integra manet) imitatum quidem esse, sed nõ illud idem executum. Porrò, quod omnem superexcedit laudem, vnus est labor eximius, vnaq; memoria inobliuiosa, absq; quorum adminiculis penè reddebatur impossibile, prouinciam tantam attingere, & aggredi. Horrori etenim est, ad enucleandas res, tot adijsse verba, illaq; suppetere valuisse. Vni praxi admirabili illorum voluminum, grandium semper manibus euolutorum, atque contritorum, patere fœtum grandem huiusmodi datum est. Sectum quidem opus illud in libros, & capita, & hæc scimus in textus, siue ab Theophrasto Lampsaceno, siue ab Demetrio Phalereo, siue ab Athenione Grammatico, siue ab alio, quicunque ille tandem fuerit. Verum ad faciliorem indaginem in alias minutiores particulas illud partiri necessum fuit, illasq; numeris obsignare, vt promptius adinuenirentur. Coincidentiarum autem Aristotelarum appellatione desudatum laborem honestauit, in quo edendo adhuc superest difficultas non leuis, & benè præuisa. Prius enim in vnam, eamq; deinceps stabilem formam Aristoteles ipse imprimendus est numeris ijs ad columnares margines obsignatus, qui respondeant Coincidentiarum applicationi. Neque negotium facessere possunt (quod ab aliquibus productum est) variç summi eius Stagiritis translationes ex Græco, dum vna retineatur lectio communius admissa, super qua Coincidentiç fundãtur ipsæ, prout ab Hebræo nihil officiunt Sacris tot traductiones, Aquilæ, Simachi, , Theodotionis, Septuaginta, Pagnini, Targum, Montani, Paraphrastis Chaldæi, & aliorum; quin ex diuersorum lectione profitentibus Philosophis patebit ad diuersas speculationes accessus, & resolutio, tam ex prima parte Acromatica magni Principis continente, quam ex secunda Exoterica complectente, ne genus vnum alteri impedimento sit, & adhuc complanetur via ex vno in alium sensuum expiscandorum, & naturalis ueritatis assequendæ. Solitudo Belliani montis apud Bononiam maturanti Prouinciam tantam profuit, dum nil distracta mens se totam effudit per omnes horas in illa ad amussim exornanda. Quid verò illac comportarit pro expeditione, ex vitæ illius anteactæ cursu petamus; solum enim penè quadragenarius eam aggredi præsumpsit, cum scilicet iam emarcuisset fermè in illius memoria, & intellectu Aristotelis litera. Imposuere maiores illius adolescentiæ tyrocinium Brinate ad Sanctum Georgium in agro Mediolanensi explicandum, quod ab anni exitu per solemnium votorum nuncupationem alacriter obsignauit. Factus naturaliter ad probitatem, culturç

exa-

exactior iuuentam Canonicę sanctimoniæ inficiebat byssino splendenti, cui lineamenta, & omnis generis figuræ scientiarum tenacius imprimerentur. Mediolani, Patauij magistris adhibitis scientia præcipuis, Acroases Naturæ, & Sacra Arcana quæsiuit sedulò, præsertim sub Honorato Roberto Iuuenatense, & Gabriele Pennotto conciue. Exclusit ab ouo Gymnasij Viridariani pullos ad volatum annus ille, quo Maximus Paulus Pontifex ditionem Venetam Sacro deuouerat Interdicto. Volatus eius primus ab pluteo ad cathedram extitit, penna namque multiplex extulit facillimè alta petentem, dum Moderatores Pennotto dirigenti campum literarium aperiunt. Leuita volatum inchoauit inter condiscipulos, & illos adhuc veloces, sed ad alias metas directos. Ticinense Cælum aureum, nec non & Viridarium Patauinum patentem aream, & nullis obnoxiam nubibus per plures annos exhibuere: priore quidem in loco successit Ioanni Francisco Massę Papiensi, quo cum cursum egerat, vt Logicalia professo Physicum subnecteret; in secundo antecessorem habuerat Paulum Bellonum Patauinum ex non nostris virum perquam notum. Atque hæc fortis occasio extitit, iuxta quam se totum infuderit Aristoteli ita, vt per sola illius ora, & ijsdem ipsius verbis interpretem ageret de meliore nota, quam quondam pro oraculis Phœbas arrepta ad trypodem. Tenuit hinc scholas numero, & virtute præclaras, ex quibus expressit discipulos recordatione omni maiores, quorum auditores nunc profitentur magistri, vt in doctam posteritatem assurgant abnepotes. Iam verò mente fœcundata seminis ideatarum Coincidentiarum gestiebat in partum, nec vltra potis erat ipse aluo intellectus fœtum continere; & tamen quotidianam lectionum Lucinam obstetricem patiebatur aduersam, ne pareret, qui semper parturiebat. Quare dimitti obtinuit, & ad vteri mentalis grandem sarcinam deponendam Bellianum Collem ascendit. Loci amenitas non id solum commodauit, sed illum quoque obuiatum reddidit meliore casu. Alexander enim Ludouisius Romani muricis Cardinea dignitate, & Archiepiscopali Bononiensi cathedra sublimis ad ardentissimas ebulitiones æstatis intemperantis declinandas ex ampla diœcesi locum elegit, vt hospes incoleret. Senio, & tenui valetudine debilem delectabat ibi salubritas aeris, auræ suauitas, sequestre silentium ab negotiatoribus, domus honesta amplitudo, & regularis decor, Virginis Deiparæ cultus pius æquè, ac candidus. Hinc factus est Principi viro Parpalioneus intima seruitute carus, dum familiaribus illum detineret obsequijs, & hilaritatem animi nunc faueret, nunc promoueret collocutione grata ex penetralibus Encyclopędiæ. Licet enim Ludouisius diuarum Legum disciplinam excoluisset toto vitæ cursu præ omnibus scientijs Sacræ Rotæ Romanæ Auditor notissimus; tamen ex Vrbana, Palatinaq; assuetudine, & ex patrio genio refertum gerebat pectoris

scrinium

scrinium potiore quolibet ornamento; & satis benè secum actum dixit, vt procul an aulicis, & ab critico Momo in solitudine illa virum secundum cor inuenerit. Quare post paucos menses per decessum Pauli Quinti ad Apostolatus apicem assumptus Gregorij sub nomine Quintidecimi prouolutum ad oscula pedum beatorum excepit benignitate anteactorum memori, & insignitum voluit Abbatiali dignitate perpetua, motus proprij diplomate ad formam domesticorum Prælatorum expedito. Vna fuit plurium opinio ad eos dies, si diuturniore vita functus Pontifex fuisset, hunc Claustra Regularia amissurum melioribus infulis redimitum. Procul tamen ipse ab ambitu vir prudens Apostolici beneficium gratiosum lubens, volensq; Magistratibus Congregationis ressignauit, eo vtique modo facultatis sibi factę vsum admissurus, quo ipsi, & quando pręscriberent, ne nouitatum inuector videretur. Hinc optima omnium venia permixtus administrationi Derthonense alterum Monasterium gubernauit, Sanctimoniales Gratiarum Genuæ per triennium audiuit ad sacram auriculam, Nouariensem Abbatiam administrauit diuersimodè proficuus, & reponens quæ antecessorum incuria aliquando labe infecisset, atque prouidens subiectis Ecclesijs bona non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Quin non modo subiectis, sed etiam longè distantibus munificæ liberalitatis signa contulit, vt de Monasterio Sancti Bartholomęi Mantuano ex suburbijs Germanica clade diruto, & intra Ciuitatem translato innotuit in ea Bononiensi Synodo, ex qua ipse Abbas Romanus, & Generalis Ordinis Procurator in curia renunciatus est. Ab hoc porrò insigni gradu per erumnosa tempora difficillimo qui pro dignitate sustineatur, ascendit ad Censoreum decus ex Apostolica Constitutione illa Piscatoris anulo obsignata, per quam & Andreas Fossa Genuensis summo clauo datus fuit, Collegis Lauro Astulpho Ariminensi, Ioanne Thoma Prouana Taurinensi, & Hyacintho Fagnano Patauino. Almę Pacis ædes ornauit vario, & fideli ministerio, dum eis præfuit: nec tamen ab publico ęrario suppetias abduxit maiores præ illis, quos habuit predecessores; quin & per illud triennium aliquot centena minus sibi passus numerari, vt pręgrauatum quoquomodo pro viribus subleuaret. Hæc de præceptore Philosopho quondam Papiæ, ac Paduæ scribimus animo propensiore, tametsi in eodem supradicto Con, uentu non eadem senserimus circa Congregationis ministeriū. Vnusquisq; enim in suo abundat sensu, dixit Apostolus, alius quidem sic, alius verò sic, diuidens Deus singulis prout vult, & sola Charitas dissecta coagmentat. Scripsit, vtinam pro bono publico quamprimum prodeant,

*Coincidentias Aristotelicas Literæ Peripateticæ duobus voluminibus digestas.*

LY-



# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER DVODECIMVS.



## NICOLAVS DE CVRTE PAPIENSIS.



ALTE' cordibus Lateranenſis familæ infixa eſt memoria Nicolai de Curte Papienſis, altèq; æternum perſeueratura. Hæc laus eſt, idq; præmium virtutis apicem excellentiæ attingentis. Haud minora debentur viris de communi bono ſollicitis, deq; vniuerſa Republica benemerentibus; quin hæc exilia ſunt, licet quæ maxima largiri orbis queat. Quid autem mirum ſi perſtet ipſe in nobis, viuatq; nomen; cum immarceſſibili ſerto penè certum ſit & in cælis coronari? An non repoſita eſt corona gloriæ (quod Diuus Tarſenſis proloquitur) quam reddat Dominus iuſtus iudex ijs quibuſcunque, qui diligunt aduentum eius? Quanti verò Nicolaus pręſtolaretur aduentum hunc, vel ex eo innotuit, quod obuius illi factus eſt cum lampadibus, vt cum aduenience introiret ad

nuptias.

nuptias. Lampades appellamus natalium ſplendorem, aulicæq; cuiuſdam conditionis præſtantiam, quorum fulgoribus vſus eſt ad propulſandas errorum ſęculi tenebras, vt verę vitę ſemitas inueniret. Nam cum iuuenis primos honores facilè cepiſſet, & ſumma ei omnia deſtinaret amicorum opinio; plurimorum caſibus monitus, quam miſerum eſſet inter ambitioſa vota pendere, reſpicere cæpit ad animi libertatem; & ſeceſſurus ad genium ſuum, adhuc tamen perplexus hærebat in limine. Probare ſpiritus vtrum ex Deo: nouę vitæ ſemitas in varietate religioſorum cętuum mente adamuſſim compręhendere: ſceligere ex pluribus ſibi paratiora, hæ eius artes erant, hæc protrahentia cogitata. Vnus Dei pręco mirificus Bartholomęus Columna moras omnes abrupit, remoras expiſcauit, & abegit, annitentiq; puerperium innocentioris hominis obſtetricatus eſt verbo pariter, & exemplo. Id verò tum accidit cum Ticinenſibus, vel potius Inſubricis concionibus non regiam modo illam Ciuitatem, ſed & Prouinciam vniuerſam fęcundauit ſancto diuini verbi ſemine; tum, inquam, accidit, cum eximios illos mouit Leonem Caratum, & Thadeum Binaſchium ad aggrediendam Canonici Ordinis Reformationem mirabilem. Porrò Nicolaus vt tubam illam audiuit claſſicum præcinentem in vitiorum ſæculi monſtra, paraſſe ſibi Numen directorem agnouit, atq; ſancto timore veneratus eſt. Hinc congreſſus, colloquia, ſeceſsus, exercitia cum viro Dei molitus, & aſsecutus, ſe in omnem formam ad inſtar fuſilis ceræ compingendum præbuit. Conſanguineorum, affiniumue moleſtis querimonijs, & illachymationibus ſemeſtri certamine tantus apparuit athleta, vt quo pręſſior, eò erectior conſurgeret palma, Dominiq; palmes. Neque tamen inter eos deerant eminentiſſimi auita quapiam hęreditate ſcientiarum quarumlibet profeſsores, qui hinc inde ſumerent certiora argumenta ad labefactandam viri conſtantiam, quiue ſęculi curas Marthę nomine honeſtarentur, actuoſę vitę commoda voluptuoſis, quę appellabant, otijs contemplatiuę pręponentes. At verò importuniora molimina ab aulicis perpeſsus eſt, qui calamiſtratis vociferationibus aures opplerent aduſq; nauſeam, nunc vitam Regularem probis inceſsentes, nunc longinquam peregrinationem, externarum gentium, aerem, mores, cibarias varietates, nunc Columnij conatus prępoſtere interprętantes; & qui diutina conuerſatione Nicolai animum penitimè noſsent, noxia quappiam confidentia obices opponebant pedibus tam oratione iniqua, quam factis impotentibus vt laberetur. Stetit tamen ipſe, vicitq; donec dierum impleto numero diſpoſitionis pręuię, ad ſedes Frigdionarias vocatus eſt comitibus Petro Rido Patauino, & Galdino Bardo de Placentia. Principem tum Papię degentem in primis, comprobatorem habuit & profectionis, & inſtituti, pręter id quod ſpe conceperat; à quo cum pręddiligeretur, rerebatur id ęgrè ferendum. Quin

comeatu

comeatu se peramplo donandum cum Bardio comite ordinasse persensit ad viæ solatium, atq; ad beneuolentiæ tesseram; quod tamen licuit à quęstoribus non exegisse, qui ad voluntariæ paupertatis otia, adq; sæcularium omnium contemptum properarent. Ad stolæ Canonicæ receptionem numerum illum clausit, quo dudum Apostolica soboles sub Saluatore Domino Iesu ordinata est: cordatè forsan eligentes pijssimi Patres, vt idem coalesceret Collegium in posteriore hac Reformatione, quod pristinum illud institutionis exemplar repræsentaret. Eodem inuisibili capite Christo Deo gauisi sunt, vicem quampiam Barionæ visibiliter tum in eis Beatus Columnius repræsentans. Nullus tamen inter eos (quod vni Numinis misericordiæ, Virginisq; Genitricis intercessioni datur) extitit Iudas, nullus proditor, Scariothes nullus loculos habens. Tum ipse Curtius duodecimam sedem postremè sortitus, alter velut Beniamin minor inter fratres à patre plus cunctis fratribus deligebatur, videbaturq; de cælo maior pars venisse Beniamin, itaut quinque partibus excederet: & cum singulis binę stolæ proferri iussæ rutilarent indutæ; Beniamin trecentos accepit argenteos cum quinque stolis optimis. Id vniuersim prætactum sit ad insinuandas illius animi dotes, eximiamq; spiritus præstantiam. Quippe quod in benedictionibus summi illius Patriarcæ est, Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vesperè diuidit spolia; ad literam impletum in hoc dignoscitur. Prioribus quidem vocationis suæ diebus prædam egit, sibiq; concorporauit, & coanimauit absolutissimæ illius perfectionis religiosæ, quæ latè per arua, per campos, per syluas, per nemora, per solitudines diuagari solet effusa inter abditissimos Anachoretas, inter exactissimos contemplatores, inter illuminatissimos doctores, ac demum inter sanctos quosq; omnis normæ, atq; generis. In prævalido eo infernarum potestatum conamine, quo subtractis vitæ necessarijs omnibus duodecim pijssimi viri tentati sunt, & penè ab inceptis exanimati; vnus iste prædam opprobriorum, vilitatis, contemptuum, irrisionisq; vorauit mēte alacer, prosilijtue in medium vt raperet facto, se ad ostiatim emēdicandam stipem quotidiana sollicitudine proferens. Obstiterūt vero generosę indoli, altisq; pollicitationibus vndecim sociorū, votaquorum profunda humilitas ad idem parata, Canonicalis vitę antiquiorē normā respiciens, decorem nō obliuisceretur domus Dei, in qua alius sic, alius sic ibat; dū ij Leuitarū honos repræsentarent, quorum pars præcisim assignata esset assumptorum in sortem Domini inter reliquas tribus Israel, dumue per Apostolica iura interdictū censeretur clericis victum postulatoriè ex professo curare. Ioannis Columbini pium dogma sectante s prouinciam firmauerunt ex charitate non ficta, quę nō quęrit quę sua sunt. Accesserunt enim curatores, ne deficeret annona duodenariæ familiæ in vinea Domini Saboth laboranti; cum illorum Ordini haud vel

nouum, vel vetitum esset viritim subuentricem dexteram interpellare. Ad vesperam interea Nicolaus ætatis perducitur, in qua diuideret spolia. Ex pulpito Ecclesiastes, ex cathedra Generalis id præstitit. Quæcunq; in ærarijs pijssimę mentis condiderat ex orationis assiduitate magis, exq; contemplationum sacrarum mellifluis dulcoribus, ex studiorum frequentia, atque ex eruditionis multi iugę perennibus obseruationibus distribuit lauta manu, in populis sine inuidia communicans, quod sine fictione didicit. Decennalibus declamationibus illustriora Insubrum, ac Tuscię Episcopalia rostra conscendit, nunquam sui compos factus, suoq; iuri permissus, nisi quantum collegisset laborantis animę contemplator spiritus, illustratorq; radius à Superis. Vtiq; si vacabat à Quadragesimá, euocabatur alibi vsq; ad Pentecosten, & huic annectebatur pro alio auditorio annuale proloquium, cui aduentus succederet ibidem, vel apud alios Orator. Intercidit seriem Sociorum zelus, qui dum sanctam eius inhiabant conuersationem, fidelesq; sermones, paulula tantummodo illius diuersione per annos singulos intra pios loci horrores recreati, ipsum supremo clauo pręfecerunt. Sextus in ordine Rectorum Generalium ressighante Thadeo Binaschio successit quinq; Canoniarum curę iam Congregationi vnitarum in vna Frigdionarię familię demandata prouincia. Nostro calamo haud pręstat sanctę gubernationis singula aut latius prosequi, aut singilatim refferre. Annua sollicitudine gregi insudauit, futuræ gentis dilatationi, quam præuidebat, salubriter occurrens, atq; iura præscribens, communiaue faciens meditata. Vt verò sperauit sarcinam deponere, quam obediens reluctante humilitate subijsset; in annum alterum sibi protractam, confirmatamue agnouit vna euomente communium suffragiorum liberam electionem. Ingemuit, illachrymatusq; est imparem, vt opinabatur, dignitatem, illiusq; ressignandæ sibi fieri facultatem enixè rogauit, sed frustra. Quare & sextum decimum annum eius sæculi in eodem ministerio absumere coactus fuit, spes conceptas coequante fructu. Demum Galdino Bardo suffecto tantus sibi vixit, vt senium omne in prædilecta solitudine transigere sibi datum fuerit. Decessit in omnium lachrymis sanctitatis opinione in posteros relicta. Nos ex senioribus fide dignis non semel recepimus illum scripsisse, Piam admonitionem pro diro schismate tollendo, quo tum Ecclesia Orthodoxa diuexabatur, ad Purpuratorum Patrum Senatum. Habuit autem exauditorem Deum, viditq; sanctam vnionem in Concilio Constantiensi firmatam Martino Quinto Christi Vicario renunciato. Habetur igitur ab eo

*Pia Admonitio pro diro schismato tollendo ad Purpuratorum Patrum Senatum manuscripta. ... Lib. 1.*

Leonardi

Leonardi Sarctij Bargæi.

*QVæ ferat huc apis hybleos mihi sedula flores?*
*Quæ legat aonio florida serta iugo?*
*Quæ mihi cecropio diffundet nectare labra*
*Gratia? quæq; fauo pocula plena dabit?*
*Vt mihi vel plenis currat facundia riuis,*
*Et vireat labris verna loquella meis.*
*Inclyta Nicolai poscit sibi talia virtus,*
*Virtus, quæ proprio munere præstat opes.*
*Res patet: hunc pietas summa ad fastigia vexit,*
*Et tulit ad Cælos, sic sua facta canunt.*



# NICOLAVS MALNEPOTVS PLACENTINVS.





LACENTIAM natiuitati inter Insubres, Neapolim in Campania laboribus, ac premio sortitum Nicolaum Malnepotum scimus, vtrumq; faustè satis, atq; feliciter pro captu, moduloq; fortunæ non infimæ. Quamuis enim neque scientiarum speculatiuarum nomine, neque laude administrationis publicæ rei floruerit cum primis, non tamen latuit obscurus, aut vixit inutilis, sed opera frugi vocationē suam comprobauit. Ex patrijs nanq; laribus voluntariè peregrinatus ad exteros, satis accommodam mercibus ingenij, pietatisq; suæ inuenit negotiationem. Bonam sedem vt plurimum inuenere pridem Insubres nostri apud Neapolitanos, siue quoniam apertam gentis naturam, geniumq; patens, ac semper candidum patulis exciperent vlnis vltro illi inter se callidiores, & præstiores, siue quoniam Ciuitatem tantę molis, tantarumq; nationum deceret allicere aduenas, eosq; colere per ciuile quodcunq; opus, atq; propositum; siue tandem quod messis magna plures etiam exigeret operarios. Haud ideo fuit arduum Nicolao & primum admitti alacriter, & mox radicem figere ad fructus vberes. Comportarat secum ipse vitam Sacerdote dignam, mores instituto Canonico bene formatos, doctrinam, & si vulgarem, accommodam tamen practicæ illi Theologiæ, quam Casuum conscientiæ dicunt. Et cum iam virilitatem in canos declinantem pręseferret, omnia etiam maturæ prudentiæ, robustiorisq; iudicij signa obtutibus exhibebat. Hinc statim ac subselijs sacræ se dedit Omolegesis, percelebris Basilica Diui Apostolorum Coriphęi ad Aram, quæ assueuerat teneri à numerosiore populo ob plurima spiritualium dona thesaurorum in ea existentium tam per Apostolicam liberalitatem, quam ob memoriam Petri in ea primum sacrificium apud Italos Deo offerentis, & Candidæ lauacrum fidei ibi regeneratę; multo promptius ad postmodum assecuta apparuit. Binos posuit annos quasi ad sementem propriarum virtutum fundendam, cętera, quę successere longiora tempora, messem contulere vberem Domino ex vtroq; sexu fidelium. Cunctis erat opportunus, & vna Ecclesia eius videbatur perenne domicilium: nam quas non dabat choro, aut orationi horas, omnes absumebat sella auricularis confessionis, vixq; suppetebat modicum re-

cūm refectionis ſpacium, quod in furti cuiuſpiam ſpeciem ſurripiebat, pręſertim in manè. Nobilium dinaſtarum numero frequentabatur, neque ij minutiorem populum excludebant, cuius vices miſerabatur Nicolaus alacriter, & cui ita fiebat peruius, vt quandoq; etiam illum obuiaret. Alacritate vultus ad paternam verè dilectionem compoſiti complures aliquando ad euomenda peccata inter ſuaſiones, & minas attraxit, qui aliud omninò in Eccleſię ingreſſu cogitabant, quam tantam deponere ſarcinam. Quo fiebat, vt notior fieret in dies charitate officij pijſsimi, & confluerent catheruatim Deo conciliandi. Octodecim annos poſuit in eius vineæ cultura pro ſibi tangente portione, & eius laborum intuitu Canonia ipſa bene habita eſt pluries in ijs, quæ ſubſidia temporalia ſunt, ſiue per Magiſtratuum Regiorum reſcripta lites fauorabiliter dirimentia, ſiue per piorum liberalia munera, & largitiones Eccleſiæ, atq; ſacrario. Ipſe bona Superiorum venia domicilium ſibi ſtruxit, & ornauit ciuile ſatis, & viro religioſo non diſſonum intra turriculam monaſterij extimæ fronti ipſius templi proximam, quod & ſeni commodum ſatis fuit pro illo, quo fungebatur officio, & vnicunq; poſtulanti quaſi proſtaret paratior, & dehinc ſucceſſoribus alijs datum eſt in aliqualem compenſationis ſpeciem. Cæterum vixit parum gratus aliquando nonnullis procerum Ordinis, quos ipſe offenderat ſiue per nimiam libertatem, ſiue per zelum, cui decens prudentia deeſſet. Camillum quidem Becium Caſalenſem Generalatu functum poſtulauit, & adeſſe iudicio coegit ſuper quadam argentea cruce contra leges diſtracta, vt ipſe incuſabat, habuitq; aſſeſſores in eodem crimine, & alijs ſimilibus obijciendo alios quoſdam. Verum in virum illuſtrem, & de Cœtu vniuerſo benemeritum nihil ptofecere quocunq; ſpiritu dictatæ querelæ, ſed abſolutum dimiſere tribunalia, atq; mox Clemens ad Epiſcopatum euexit. Nicolaus verò ſi quidquam laudis promereri potuit ex proba intentione, totum abſumptum eſt ab adhibitis medijs pro illa aſſequenda. Neque tamen diuulſus eſt ab officio, quod per impotentiam extimuit, ſed permiſſus eſt operari iuxta creditam dotem. Deceſſit paulò ante annum ſæcularem milleſiſimum ſexcenteſimum propè ſeptuagenarius relicto ſuperſtite Policarpo fratre, quem exemplo ſuo Congregationi in iuuentute attraxerat. Tumulatur in eadem Eccleſia Diui Petri ad aram inter pias preces, & lachrymas filiorum ſpiritualium. Perincommodè verò accidit obitus eius Monaſterio. Quippe creditum eſt ad eius monita, & ſuaſiones Neapolitanos Proceres enixius deprecaturos Pontificem Clementem, vt, quod vetauerat, reſerari permitteret iuxta morem antiquum in annis Iobælei portam illam, per quam primo ingreſſum dicunt Petrum Apoſtolum ad ſacrificium in eadem Ciuitate, & templo. Scripſit Italicè opuſculum dialogiſticè quod attitulauit: *Theſaurum de Indulgentijs, vel Diuitiæ Chriſtiani ſpirituales*, *Neapoli* 1580. *& Venetijs* 1589.

NI-

# NICOLAVS DE ZANOLINIS BONONIENSIS.





RES Nicolai nomine insignitos, eosq; illustres dedit Congregationi Lateranensi Montana Canonia Diui Euangelistæ Dilecti, diuerso quidem tempore, sed adeò inter se connexo, vt non leuem præbuerit scriptoribus ansam illos adinuicem confundendi vnum pro alio sumentes, & quæ diuersis illis conueniebant vni tantum tribuentes. Eorum medius fuit Nicolaus de Zanolinis hic de quo narrationem instruimus, inter eos quidem & omnimodè clarior tam virtutis conspicuę nominis ue, quam rectè factorum conscientia, & adeptarum dignitatum, gestorumq; magistratuum amplissimo testimonio. Agebatur annus vndecimus ab curata, & admissa Frigdionaria Reformatione in eadem Canonia Bononiensi, & annexa Victorina per Bartholomęum Pasulinum Priorem, & per sex alios Canonicos, cum is illorum albo adiungi, & adnotari permissus est ab comitjs Frigdionariæ habitis Bassiano Priorio Mediolanensi Tertium Generali, anno videlicet vndetrigesimo post millesimum quadringentesimum. Decesserat anno antecedenti piè, & in omnium oculis Prior eiusdem Montani Collegij Nicolaus de Limonis Bononiensis vir omnifariè notus, & qui sanctam illam Reformationem primus Bononiensium sitiens, pro ea promptè subeunda diuerterat ad Canonicos Venetos almæ Virginis de Charitate. Quare ad virum insignem, valdèq; pium suscitandum in posteriorum memoria Nicolaus hic quoq; de eius nomine appellatus est in sacri habitus susceptione. Considerauit anima illius in tali vitæ genere eligendo semitas domus suę, & panem ociosa non comedit. Facta enim quasi nauis institoris de longè portans panem suum, de nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Siquidem cum in ętate plenitudinis Christi diem ageret, Iure Consultissimus, & Naturalium, supernaturaliumq; scientiarum dono diues, sacrisq; sacerdotalibus insignitus, atq; ideo Ecclesiasticarum dignitatum stadium curreret ad spem brauij velocissimè; arbitratus est inania cuncta, vt Christum lucrifaceret. Florebant autem primi illi Sanctissimi Patres sacræ Reformationis inuectores, & qui ab illis Canonicatu inuestiebantur alumni, tanta virtutis opinione, tamq; eximia continentia vitæ sub Italicarum Ciuitatum acri intuitu, & cen-

& censura, vt non diù hæsitauerit de illorum consortio exorando ad beatioris vitæ cursum tenendum secretus ab honoribus adipiscendis. Noscebat quoq; reflorescentem Canonicam normam egere adhuc operarijs, qui continenter in messem Domini starent: atq; sibi talia esse desuper talenta credita, quorum vsu plurimi iuuarentur, si dispertiret, & daret pauperibus castigatarum scientiarum panem tam in Congregatione, quam extra. Res verò ita peracta est. Nam Patres statim admissum conuictorem strenuum Prioratui Sanctæ Mariæ de charitate Venetiarum moderando destinarunt, & anno sequenti in Comitijs Rauenatibus Sribam, vel Notarium Apostolicum constituerunt, quo in munere postmodum per annos plures perseuerauit. Lucebat tum temporis Canonia illa Veneta nomine, famaq; seuerioris disciplinæ Canonicæ conuictus super cæteras penè omnes; atq; ideo, vt in præclarissima decebat Ciuitate inter multam, vberemq; messem, non ad illam socordes operarij, sed strenui, valdèq; pugnaces mittebantur, qui & nota vitæ continentia, & morum dexteritate, prudentiaq; ac doctrina insigniter commendarentur. Hinc qui manipulum dux anteibat, non ex communibus eligebatur, & gregarijs; sed is destinabatur, in quo nulla prorsus ducis egregij desideraretur partium, dignusq; haberetur, cuius imperio parerent tanti alacriter. Sed si repentina electum commendauit electio, multo commendabiliorem reddidit euentus. Tanta enim virtutum apud prudentissimos Senatores, apud pium populum expressit, vt omnibus omnia factus omnium se commodo præberet iuge sacrificium. Auxere anno sequenti Comitia robur, & spiritum benè currenti, vt plusquam in Olympicorum arena victor omnium certaminum athleta coronaretur. Quippe facta ei potestas est vna cum Simone Aliprando Mediolanense, & Ioanne Veneto prędicandi verbi Dei. Qualis, quantusue in Apostolico euaserit munere, vnus penè syncronos exprimat Matthæus Bossus in præclara Epistola illa, quam de instituendo sacro Christi præcone scripsit ad Iustinianum Veronensem. Quid desiderari ad suggestum potest, inquit, quod non habuerit Nicolaus noster Bononiensis diuinitus? Ille sapientissimus, ille humilissimus, ille super omnia deuotissimus, & flagrans ardentissima semper in Deum, inque homines charitate. Pectore lato, ore sonoro, & tanta omnino efficacia in agendo; vt nullo non sermone concio populi manantibus lachrymis, & tritis animis ab audito illo descenderet: cuius doctrina cælestis magis, quam scholastica videretur. Gessit Præfecturam Charitatis per quatuor annos, neque adhuc amoueri facilè fuisset permissus per preces, & importunam procerum, ac populi dilectionem; sed in primum Visitatorem renunciatum sub Thoma Persichello Cremonensi Generali, Orosio de Oxio Mediolanense, & Sancte de Petris Bononiense Collegis;

Magistra-

Magiſtratui collato permiſerunt, habito æquali ſucceſsore Paulo de Maphæis Veronenſe. In ſequenti Synodo reſsignatis Collegis, & in vices eorum ſuffectis Leone de Carate pijſsimo Reformatore, & Paulo Maphęo, ipſe in Cenſura perſeuerare iubetur, & qui præfecturam Collegialem abdicauerat, præponitur Placentino ſodalitio moderando. Non ratio vna electores in huiuſmodi iure penè in inuitum conferendo mouit. Cum enim dono gubernationis præfulgere virum conſpicerent, nefas uacationem permittere; ſed prætexentem ex prædicatione uerbi uberiora animarum lucra reos ſe inſimulandos, ſi non exaudirent, opinabantur. Quare ad utrunq; præſtandum Placentinis exorantibus deputarunt, ut Collegio curato, & ordinato ſummum templum coleret Eccleſiaſtes in omnes anni feſtiuitates, & in aduentu Domini; ab Epiphania verò ad vſq; paſchalia gaudia Mediolanenſibus euangelizaret in principe Baſilica. In ſequenti anno abdicat Viſitatoratum, vt cordatè magis pauculo gregi miniſtret, nec præpediatur ab concionibus, quas per biennem quadrageſimam dat ſuis Bononienſibus. Replebatur in vaſtam latitudinem, longitudinemq; patens Pontifici Petronio dicatum templum (quod vix credibile dictu) promiſcuæ omnis multitudinis: & quamuis bis qualibet die Dominico diceret ad duplicem vſq; clepſydram; non tamen ſatiabantur ſemel commoti animi ad eſuriendum ſanctum prædicationis panem; & in aculeatis increpationibus ipſis melitam dulcedinem tam illi propriam deprædicabant, vt nunquam ſic locutum hominem dicerent. Non vtiq; frequenter contigit ciuem ciuibus gratum, ſi enatet præ cæteris, fortè quia, Nemo Propheta acceptus in patria ſua. Sed deperire hos, & ore patenti ab ore dicentis pendere, qui mentes, liberaq; corda dirigat, quò velit, perrarò omninò datur deſuper. Si aliquoties verò id accidit, profectò non ſemper fauſtè, aut ſcilicet in noua mollienda ruente concione, vel concionatore in ambitum, aut quid tale prolabente. Cognita Nicolai virtus, qui a ſæculo ad clauſtra confugerat vitandi ambitus cauſa, vt coronam conciliabat; ita & in fræna componebat non reſilientem, ac contumacem, ipſumq; ſuper ſe ſtantem, ne caderet, in vna Dei miſericordis gloria, animarumq; ſalute promouenda incumbentem. Per has operum ſemitas ductus eſt ad Supremum Ordinis clauum moderandum anno trigeſimo ſexto eius ſæculi ab Synodo Ferrarienſi, quo in munere quinquennem operam poſuit interpolato, diuerſoq; tempore. Eius ſupremi magiſtratus præclaræ actiones, fauſtaq; fuere Collegia Viridarianum, Feſulanum, Padanum Cremonæ, Florentiæ, Patauij Congregationi per eos annos adiecta, circa quæ inſtituenda, atq; formanda non modicè laborauit inter altas temporum anguſtias, ac nodos. Certè per beneuolentiſſimum Pontificem Eugenium facilius noſtris caſtris adiungebantur monaſteria, ac multo mi-

rò minorem industriam exigebat locorum adeptio, quam adeptorum conseruatio, siue Canonicorum paucitate, siue timore dissolutionis disciplinæ in aucto numero. Pedetentim enim inambulandum censebant Patres Optimi, ne in illos iaceretur per modū scommatis sacrum illud, Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam. Atq: hoc pacto circa eos dies instanter oblata Monasteria Sanctæ Marię de Vado Ferrariæ, Sancti Petri ad Vincula Romæ, Sanctæ Agathæ Cremonæ antiqua Canonicorum Regularium, nec non Diuæ Virginis de Cella Ianuæ & duo alia Eugubij, & Arbengæ constanter reiecta sunt per Generales Conuentus. Non idem verò agi potuit de Sacrosancto Patriarchio Lateranensi. Nam cum Eugenius anno primo sui Pontificatus fermè ab ipsa coronatione illud nostris, tanquam verè originarijs loci, instanter obtulerit reformandum, dum hi repugnant pro viribus, & dum ipse Romam deserit, & in maiora impingitur, per octo annos quiescit ab opere. Peracta verò Ecclesiarum Occidentalis, & Orientalis Grecæ, & Latinę vnione per OEcumenicum magnum Concilium Florentinum, priora reassumit meditata, nostrosq; iterato vrget ad sanctam subeundam prouinciam. Quare per comitia illa, in quibus Nicolaus Tertium Generalis acclamatur, lege sancitur, ut ex præcepto Sanctæ Obedientiæ Pontificis onus pręclarum quidem, sed arduum subeatur. Et quamuis adhuc morę fuerint iniectę, donec per perpete triennium idem Nicolaus Congregationem moderatus est: tamen clauo collato in manus Aurelij de Electis Placentini, sisti coguntur Patres, ipso cum primis Rectore Aurelio Lateranensi Priore renunciato. Interea Nicolaus exorato à Comitijs secessu Beatam Virginem de Casoreto obtinet gubernandam, & post annum sacram de Charitate Venetijs. Sed per interstitium illud maturabant Superi, quod per eum singulariter pręstari de Cœlis datum erat. Nam Aurelio Rectore cum quatuor tantum socijs ex triginta duobus dessignatis per vim morbi digresso ab Lateranensi Palatio, & per iteratam iniunctionem Eugenij regresso, ac per Canonicos Sæculares pulso Nicolaus prior mittitur. Dum autem ipse iniunctum curat opus non minus sanctè, quam solerter, dudumq; parat necessaria aduenturis adhuc alijs, Episcopus Bononiensis inauguratur æquali studio Ciuitatis deprecantis, & Eugenij concedentis. Atq; hęc quidem periodus eius esse debuit, vt per media illa ad dignitates Ecclesiasticas innocenter assumeretur, per quæ eas fugere, & declinare putauerat, sicq; in omnibus lucidissime clarescerct Numinis prouidentia. Quare indepto in Prioratu successore Thoma Persichello Cremonense ex Priore Sanctæ Crucis extra Cęsenam, vt ex electionibus, & resignationibus eius, & anteacti anni constat in Actis Capitularibus, ad commissum sibi gregem pascendum proficiscitur. Sed fortassis exaudiri meruit à Cęlitibus in eo quod semper optauerat, & super quo

tum preces fundebat eo ardentiores, quo profundius ab occasione elicitas. Nam cùm per Ætruriam iter agens diuertisset Frigdionariam, vt aliquorum dierum spacio in eo secessu se componeret, atq; colligeret, vbi spiritum Apostolici viri duodecim Reformatores acceperant, in morbum incidit: quo dum lentè tentatur, & ipse pia corporis flagella non non remittit ieiunij, vigiliarum, & altæ contemplationis, acrius acuit febrium vires, atque ideo Lucam deportatus post paucos dies viam vniuersæ Carnis ingreditur inter manus, suspiria, & lachrymas fratrum, quibus disciplinam in ipsa summi spiritus exalatione verbis efficacibus, & eo transitu maioribus, & sublimioribus commendauit. Decessit quinquagenario minor declinante anno millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto. Scripsisse ferunt super illud Ieremię Prophetę, Ducam illam in solitudine, & loquar ad cor eius. Huic successit post aliquod temporis interuallum tertius Nicolaus de Vrsis, qui de anno septimo supra Sesquimillesimum agebat Vicariatum Sancti Ioannis in Monte sub Augustino de Nouis Ticinensi Priore.

Est igitur ab illo

*De Bono Solitudinis Liber vnus.* *Lib.* 1.

FINIS.



LY-




# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER DECIMVSTERTIVS.



## OCTAVIANVS DE FLORAVANTIS MIRANDVLANVS.



DECVS, ornamentumue tulit quidem, idq; non vulgare Ordo Canonicus ex Octauiani Florauanti lingua, calamoue; at maius multo emolumentum, commodumq; ex ijsdem hausit Literatorum Respublica. Is enim ille Mirandula est cognomento, qui æuo suo Concionatorum primi consessus compar, elegantioris cognitionis professione penè omnes antecedens amænissimum illud Illustrium Poetarum Viridarium euulgauit, quod tanta cum doctorum omnium auiditate, curiositateue editum est, fermè vicies excussum, quodue posterioribus hisce, mutato titulo, atq; ordine tantisper alterato, à nonnullis inscriptum legitur, Illustrium Poetarum Flores. Nam cum in dicendo ab ieiuna illa forma prorsus abhorreret, quæ apud quosdam sciolos rancidam intemperiem

olentis adhuc asseruabatur,atq; ideo ex pęnu memoriæ, quam prodigiosam habebat in omne prorsus propositum, tam in priuatis literarum congressibus, quam in publicis exercitationibus peteret dicta exquisitissima latinorum poetarum; eorum ope mirificè exornabat, placitamq; orationem reddebat: eò præsertim quoniam sal prudentiæ, sobrietatisq; in omnibus superessundens non modo satietatem non inducebat, sed famem acuebat. Hinc operis præclari occasio orta est. Verumenimuerò præstat ab illomet originem, œconomiamq; totam audire, quam sic continenter narrat. Diù à pluribus rogatus, vt illustrium Poetarum sententias clariores hinc inde dispersas, in certum ordinem collectas redigerem, opus consultò distuli: vtpotè quod cum magno labore non parum discriminis annexum habeat, & multò plus temporis, & studij exigat, quam impositæ prædicandi sarcinæ mancipato, & sacris literis vacanti religioso concedi soleat. Præter id quod tam varia, tam multiplex, est almę poesis suppellex, & tam obscura vatum in hoc opere perficiundo sunt pertractanda volumina, vt cuiq; etiam audentissimo terrorem incutiant. Horum enim quędam veluti in vastissimam camporum planiciem omnimoda rerum specie refertam, se tam latè aperiuntur, vt nedum legendo peragrari facilè; sed vix ingenij acumine complecti possint: alia verò in tam densam verborum syluam sensus occludunt, vt nisi studio, & labore vim inferam, se mihi minimè aperiri videntur. Veruntamen priuatam hanc rationem vicit charitatis vigor, quę nunquam quęrit quę sua sunt, diuique Platonis sententia, per quam docemur, hominem non tantummodo sibi nasci: vicit & studentium religiosorum frequens, & iusta postulatio, quibus non absq; iniuria, quod fieri liceat, negari non potuit. Qua propter rem pro virili parte mea aggressus, quę vtilius, & ad humanę vitę institutionem melius prolata esse mihi visa sunt, tanquam de Hesperidum hortis redolentiores fructus in vnum colligens opus hoc confeci. Atque hęc quidem ille de ratione operis sobriè. Philippus verò Beroaldus senior eorum temporum scriptor clarissimus iudicium de Auctore, & eius lucubratione tulit in hęc verba, Mos est studiosorum, & is planè laudabilis, vt celeberrimorum Scriptorum volumina perlegentes, annotent, seligantq; non parum multa, quę memoratu digna videantur. Hoc Plinium illum multiscium factitasse tradunt, qui nihil vnquam legit, quod non exceperet: qui dicere solebat nullum librum esse tam malum, vt non aliqua ex parte prodesset. Hoc studiorum genere Cęsar Dictator est delectatus, à quo adolescentulo feruntur condita ob id dicta collectanea. Nuperrimè quoq; Octauianus Mirandula Diui Augustini Canonicus Regularis sacerdotali dignitate prędiṫus, nec minus doctrina, quam religione clarus, exemplo maiorum ex multilingua lectione collegit, excerpsitq; veluti ex pulcherrimo prato flosculos

hosce

hosce odoratissimos, qui spirant suaueolentiam iucundissimam, qui tanquam amaranthi minimè marcescunt. Sunt hęc ex Sylua Poetarum scitissimè decerpta, quibus aut sententia naturalis, moralisue, aut laus virtutis, aut censoria morum castigatio, aut pręcepta saluberrima, continentur. Opus prorsus non minus conducibile, quam laboriosum. Lector perlege lętaberis, dicesq; te non parum debere Celeberrimo Pręconi Octauiano, qui quę spartim, intercisimq; apud complusculos scriptores interuallata cum labore reperiebantur, ea in vnum quasi corpus redacta collegit, tradiditq; studiosis, vt obuia sint, offerrantq: se se citra morosam vestigationem, citraq; fatigationem. Vsque huc Beroaldus. Porrò egregios Octauiani conatus tanti fecere studiosi, vt doctores illi, qui postremo Dominici Nani Mirabelli Polyantheam tam nouam, quam nouissimam suppleuere,& locupletauere, illos totos in eam suis locis aptè transtulere,non ineptè quidem, si Auctoris nomen à quo cumulatas reperere, & mutuatas voluere diuitias tam vberes, adnotassent, vel pręcauissent rem aliquo loco, vt cuiq; laboris sui pręmium adfuisset. Ipse Octauianus bonorum operum plenus decessit intacta Republica, vt arbitramur, circa annum Domini Millesimum quingentesimum vigesimum. Lubet autem nobis hic apponere non sine causa postrema verba, quibus eundem Arcimboldum in nuncupatoria alloquitur, Opus hoc, inquit, integerrimæ Dominationi tuæ obtuli, dedicauiq; vt qui omni fulges doctrina, & nobilissimis moribus institutus progenitorum vestigijs inhærens sacrum virtutibus domicilium præstas, censor optimus hoc legitimè corrigas, approbes, cæterisq: legendum tua auctoritate præbeas. Simul vt à tua Lateranensi Congregatione munus habeas, quod licet collatis per te erga eam beneficijs longè sit impar; tale tamen est, vt in ipso & summam animi gratitudinem, & tui memoriam cognoscere possis. Scripsit igitur·

*Viridarium Illustrium Poetarum, seu Illustrium Poetarum Flores, cum ipsorum Concordantijs Ad Octauianum Arcimboldum Prothonarium Apostolicum, qui & dehinc Archiepiscopus Mediolanensis fuit, Venetijs primum apud Bernardinum de Vitalis Anno 1507. Lib. 1.*

Iacobi Antonij Baldi Placentini.

*CVltor Heliconij Mirandula collis alumnus*
*Lustraret nitidi cum tuus arua soli,*
*Sicut apes legit varios ibi sedula flores,*
*Ad nos & pleno detulit vsq; sinu.*

*Filia*

*Filia quot Cereris Sicula non vidit in AEtna,*
*Quis odor eximius, perpetuusq; decor.*
*Sed confusa vagas traheret ne copia mentes,*
*Obrueretq; magis se male turba sequens.*
*Ordine consuluit pulchro longumq; laborans,*
*Quosq; suis fixit, disposuitq; locis.*
*Pectoraq: edocuit titulis studiosa paratis,*
*Pulchra quibus faciant serta, quibusue fauos.*
*Quid moror? vnus opes tantas conclusit in horto*
*Aonij nemoris, deliciasq: breui:*
*Quare Pieridum iam non grauis obstet amicis,*
*Et labor, & longæ tædia multa viæ.*
*Huc alacres veniant: quod erat procul ecce propinquum,*
*Horrebat saxis quæ modo plana via est.*
*Reddita confusis facies sua gratia virtus*
*Parnasum inueniet iam lare quisq: suo.*



ODO-

# ODOARDVS RISIVS MEDIOLANENSIS.



BONAM ab initio inueniſſe, triuiſſeq; ſemitam, cuiuſque humanæ peregrinationis cardo eſt, Qui in limine errat, metam ſuſpirat inanis. Præclarè quidem actum fuiſſe conſtat cum Odoardo Riſio per infallibilis Prouidentiæ diſpoſitionem, qui ab infantilibus penè dixerim annis iter ſuſcepiſſe bonum, fidumq; ductorem inuentus eſt. Quippe præcipuæ nobilitatis Inſubræ natus parentibus Sacripante Riſio,& Gabriela Boſſia Simonis duudum Senatus Præſidis genita, regia in ipſa Prouinciȩ Mediolano; matre de viuis ſublata, vt maturè ab tenerioribus diſiungeretur illecebris, puerulus in Collegio Diuo Simoni nuncupato educandus datur. Atq; hȩc initia viarum Domini. Ibi nanq; Aquilinum Coppinum Doctorem ductorem primum habuit,virum nominis celebritate clarum, quem poſtmodum Vniuerſitas Ticinenſis publicè profitentem coluiſſe perlætata eſt. Quȩ ſunt ingeniorum monſtra, non fiunt, naſcuntur. Haud artis eſt feciſſe; perfeciſſe eſt. Annorum decem puerulus (quo tempore infantilitas penè deturpat innumeros adhuc) Parmam Vrbem haud ſatis remotam adire iubetur Ranucio Farneſio principante, educandus in ſpem omnem non crepuſcula, ſed lucem bonam fundentem in Nobilium Collegio. Eo loci inter admirationes prȩceptorum, conuictorum, procerum, ac prȩſidum, & Reguli eius cum primis, luſtri vnius ſpacio Humanioribus, & Rethoricis ad apicem vſq; excolitur, & deinceps aſsuetũ Naturalis Sophiȩ curſum perfecit Hieronymo Serraualle Ieſuita Doctore.Tales ſuſpiciuntur, qui portenta gerunt. Tripenta ætatis trididaſcaliã, vel & tetra didaſcaliam (ſi Poeſim adnumeres) abſorbet. Remota fruges vix credebatur in patria, velut fortè præcox nimis; ſed reuocatus experimentis eò gratioribus, quo frequentioribus grande legitimauit ingenium. Biennio poſt factus ætati, qui omnem maturabat ætatem (ne minor ea prȩiudicium inferret longius migraturo) Bononiam tranſmittitur, vt iuribus operam daret in ea Italarum omnium præſtantiore Vniuerſitate. Dant ſibi amicas manus ſorores ſcientiæ, docetq; praxis, & ratio, vix ad aliquod iuſtȩ, fundateq; laudis decus quempiam aſcendere inter legum interpretes, qui bonæ, ſolidȩq; Philoſophiæ cacumina non attigerit. Quare ab

hac,

hac, pręambulaue Dialectica benè munitus adolescens, quod iter alij in cochleę, vel limacis modum emensurant, ille ad instar aquilæ volatu non solum est assecutus sublimi; sed & in summis nidificatus cacuminibus, pullos suos expressit, quos ad luminis rotam exponens, Solem Parij lapidis loco adhibuit ad auream sobolem experiundam. Theses nanque ex Cæsarei, Pontificijq; Iuris intimioribus fibris educens electissimas, Eminentissimo Aloysio Capponio Cardinali Legato nuncupauit, illasq; in aula maxima Bononiensis Vniuersitatis ab accedentibus ad libitum acerrimis tutatus est impugnatioribus: Pullos non degeneres, pullos, quos concepit, incubauit, fouitq; quinquennis studij calore, Magistris Annibale Marescotto, Camilloq; Gypsio primarijs professoribus, totq; Orbe literario notissimis, inter effusiora potissimum gaudia Hieronymi Bossij vtriusq; Domini Papæ Signaturæ Referendarij, Prolegati, Auunculiq;. Celebre opus, plenęq;, ac doctæ Ciuitatis concursu, laudibusue peractum, quodnam aliud consequenter obsecundabat, quam promeritam Lauream, Lauream Doctoratus quidem, sed & Doctoris maximè. Quod si non hunc, quem coronabis, ò Felsina, tandem? Verum enimuerò decus id tibi, ò Ticine Regie, reseruatum extabat, ad cuius tutanda, prouehendaq; iura, Supremi Regij Ducalis Senatus Insubri cautum erat sanctione, vt quicunque subditorum Longobardorum Catholicę Regiæ Maiestatis redimi penes eam Vniuersitatem Doctorea vellet, is per quinquennium in ea aures profitentibus ibi Magistris dedisse teneretur. Exorauit post hęc adolescens Risius, vt super huiusmodi executione decreti secum fauorabiliter dispensaretur, quod & suprema illa concessere capita. Quare vacante ibi Episcopali sede per decessum Antistitis Ioannis Baptistæ Bilij, Vicarius Generalis Trouamala per Canonicorum Capitulum institutus illum Doctorea redimiuit, præsentante N. excellentissimo Picinardo, is qui postmodum supremi Senatus Insubri Præses extitit, & insignia annuli, birettiue tradente Excellentissimo pariter Emiliano, qui & Senatoria ipse quoque deinceps potitus est dignitate. Dirigebantur autem vniuersa hęc ad aulæ Romanæ plausibilia, per vestes clericali iam adscriptus ille militiæ. Potestas enim Throni eius nusquam terminabilis Orbe vniuerso, soloq; contermina cælo, vt vbique adesse cernatur ad omnia ritè & moderanda, & disponenda, sicut plurimorum valde eget operibus, & sapientia ministrorum; sic & tantos allicit qua virtutis obiecto benè gerendæ, qua potiundi spe (si fata maturent) imperij. Verum, quæ corda filiorum Adæ in manu Dei sunt, illorum ipse fibras vitaliter attingit, inq; illas effingit facies, quæ sibi placitæ sunt: sedes enim eius sedes facierum est, ac dicitur. Attigerat peregrinus Athleta inungendus Risius intermediam Bononiam, Vrbem petens, cum die quodam (die æternum illi memoranda) sacrum notus audit de faciente

Ale-

Alexandro Ludouisio Archiepiscopo Cardinali, illo, qui non satis diu post successor Principis Barionę pro Burghesio Paulo Quinto Gregorius Quintusdecimus appellatus est. Euangelizat de Sacro codice celebrans Antistes Iesum Deum dicẽtem, Si quis vult venire post me abneget semetipsum, & ipse tollat crucem suam, & sequatur me. Bonũ nunciũ est de more, vt suo se nomine prodit Euangelium, & operatur perenniter dictum, licet nunc occultè, nunc palam. Illapsus est ex eo radius beatitatis, & gratię in iuuenili, doctaq; anima peregrinantis, Religionisq; semitã sibi proponi sequendam sensit: quod & alijs pluries ante illum in eis sensisse auditis compertum est. Hoc profectò pati diuina incipientium est. Noui fines, nouiq; termini, & illi tam varij, tamq; à prioribus diuersi, incessum per media inducunt noua, quia qui vult finem, vult & consequentia finem. Maturat ipse secum illustratus, num ne de vero Sole sit radius, an de apparenti, & per nubem roscidam reflexè concepto, vt pluuio quandoq; accidit tempore: nec sibi fidem adhibens spiritualium Methereorum, impressionum tanquam non benè versato, magistros adhibet animarum, discussoresq; spirituum, scientiarũ Domini Paracleti peritè conscios Religiosos. Opportunè, & exactus in Dogma propendit Canonicum, sumitq; Romanam camisiam de manu Tiburtij Bossi Abbatis ad Maiores aras Virginis de Casoreto, Seraphino Verdellio Cremensi Generalem agente. In probatione præstanda Hieronymum Zanucchum de Corneliano præceptorẽ habuit Sacerdotem probum, & bonæ ideæ dominum, qui de Clericorum Speculo Magni Legislatoris, Tagastensis illum reddebat exercentem, vt hauriret ex eo fonte aqua, de quo laica labes omnis detergitur, & quę in riuulos deriuata Constitutionis, sitim ebibentis explet Regularis Canonici. Annuo experimento probatus, & abundè habens inuentus, de triplici votorum funiculo libere vinctus, Celso Marticello Neapolitano Sacram Scientiam Papiæ ad Coelum Aureum profitenti mittitur efformandus Theologus. Eximius Doctor eximio iuuenum manipulo scholam habebat; cumulauit eam ad excessum accessu nouus ductor magè, quam miles. Qui bonum ingenij stomachum habent, non sera tonstrina molunt, sed vorant scientiarum placita, inq; proprij succi substantiam vertunt, non in recrementa. Neque alio pacto cum Risio fieri poterat, de cuius camino acapno Iuris Vtriusque, & Philosophiæ cocta obsonia pretiosiora processerunt, & in subtiliores spiritus agenti ascenderant intellectui. Eà propter breui paucorum mensium interuallo tot sunt ei credita diuinæ illius scientiæ arcana, vt de illis in Theorematum formam perpolitis literarias concertationes solus ante magisterium Magister habere potuerit. Arenam dedere Ticinum, ac Ferraria, vrbes clari vtræq; nominis, vtræq; Vniuersitatis priuilegio munitæ, protensitium vtræq; atq; auditorum numero insigni gloriosæ. Apud posteriorem

riorem hanc Conuentuũ habebant Diętalem tũc temporis Proceres Canonici ad Protectoris Iacobi Serę Cardinalis Legati pretiosora publicę vtilitatis fomenta. Quare & Heros semper venerandę nobis memorię spectator factus iuuenilis tam exactę virtutis, voluit item & panigyristes, & coronator inueniri. Quare Theologali corona ornari promeruit ab ijsdẽ Comitijs eodem Cardinali propositionẽ collationis formante; moxq; manipulus eius doctrina informandus componitur, & assignatur Fasciolo Generali curante. Domibus Placentinę, Brinatensi, Patauinę nunc Philosophus, nunc Theologus illuxit per aliquot annos, eratque proficuus adeo perspicuitate, breuitate, soliditate, acumine, vt ad habendas oppugnatione cathedras, non sui modo Dogmatis, & auditorum, sed alterius cuiusq; alienorumq; precibus accerseretur, maximè ab eis, quorum veritas, non pompa scopus, et obiectum esset. Paucos ex quolibet familia eò conscensuros esse, quo maturante, et perpolliente ætate, atq; exercitatione vir eximius ferebatur, communis erat conceptus, & expectatio. Sed pugnæ exordiens genus aliud ipsis suis cum membris, & corpore; sensim eò conflictus adpulsus est, vt penè expugnatus decubuerit. Certè diuturna molestissima ue perurgente ægretudinis qualitate ex capitis potissimum distillationibus exorta, de cathedra primum deijcitur, mox & de pulpito (quod tanquam mitius, & rarius cogitabat substituere) aut mori, aut vacare medicis vno sensu exclamantibus, atq; ij sunt ingeniorum magni ponderis exitus, probantq; Superi, & in camino secernunt, quod scoria, quodue aurum est. Inducijs autem aliquando cura morbò factis, ad Sanctum Epiphanium Papiæ, ex bonis paternis ad religiosè, & perhonestè habitandum aliquid sibi substructionis surrigit, vt quiete nacta cum veteribus aliquando postea amicis, nempè voluminibus in gratiam redire posset. Nec ipse frustratus est, secundum quam se totum pro sanitate calamo pertractando dedit, vt tertio tali modo se & vixisse, & alijs profuisse lętaretur, & euinceret. Progrediebatur feliciter post Dialecticas expositiones ad Philosophica Commentaria, sacras deinceps elucidaturus Petri Lombardi paginas, cum Clotio Cremonense Generali deturbatus; & de Monasterio, & de lucubrationibus egit volens. Non eadem tenet omnes propensio; quædam enim charitas moderamen inuenisse à philautia putauit. Vt morem gereret maioribus concionem tenuit in comitijs Rauennatibus Arbizani: nosq: censuram tunc resignati, & illum agentem egregiè, & populum, senatumque approbantem iubilantes sensimus. Vberius id satis diu post præstitit à vesperis festorum totius anni in Diuę de Passione. Integret Numen vires, ac valetudinem viro valituro quæ volet. Scripsit

*Dialecticarum Speculationum Libros quinque.* *Lib.* v.

*Naturalium Principiorum Libros quatuor.* *Lib.* jv.

Auctoris

Auctoris.

*DOcte virorum,*
*Circum cui caput*
*Duplici nexu*
*Laurea cingit.*
*Tu te dum sentis*
*Concini nostro*
*Carmine, mitem*
*Porrigas aurem.*
*Num ne rus colens*
*Stridulum sentis*
*Genitum rore*
*Titona senem?*
*Te Legum vastum*
*Chaos non forme*
*Sacriq; verbi*
*Charta te ornant.*
*Te mores vita*
*Innocens, puri,*
*Te quies mentis*
*Plenè saginant.*
*O' si, si semel*
*Digitos reddux*
*Calamo reddas,*
*Risie felix;*
*Roscidæ non sic*
*Apes Hymeto*
*Dabunt, vel Hyblæ*
*Aurea mella.*
*Auidos planè*
*Ipse hinc cerno*
*Posteros vos iam*
*Suggere mira..*

# ONVPHRIVS BREDVS VERONENSIS.





EXPEDIT scripturis nobis paucula de Onuphrio Bredo Veronense prçrefferre, quæ Matthæus Bosſus conclusit in calce Epistolæ De primis spiritualis tyrocinij institutis, scribens ad Philippum Parmensem in hæc verba. Potiora, mi Philippe, collegimus, & quæ tibi magis necessaria fore sumus arbitrati: in quibus parumper cum exercitatus fueris, primasq; difficultates euiceris, quas cuiusque rei pati solent initia, erumpet tibi noua lux quædam, qua intuebere, nescio quomodo, Deus scit, ea, quę non licet homini loqui. Fructumq; virtutis dulcissimum tranquillo, & sedato iam animo degustabis: eruntq; lachrymæ tibi velut nectar die, ac nocte, dum dicetur tibi, vbi Deus tuus est? Senties illabi ad ima præcordia faces Spiritus Sancti, per quem vetere seruitute depulsa, filiusq; adoptionis effectus clamabis Abba Pater, Deiq; solitudinem, & omne secretum desiderabis, & quocunque te verteris solus, ibi offerens hostiam cordis Domino Deo tuo, inclamabis, & dices, quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Psalles mente, psalles, & spiritu, & passim tibi resonabit in ore canticum nouum, quod cantari fas non esset, nisi ijs, qui empti sunt de terris primitiæ Deo, & agno. Quæ mi Philippe, cum tibi degustare contigerit (continget verò fauente Deo, si monitis fidelissimis, atque amantissimis, quibus te sumus incredibili charitate complexi, obtemperaueris) tum, te rogo per Deum, Matthæi tui memineris ad Christi crucem, hominis quidem meritis perexigui, & rebus his omnibus, atque virtutibus tibi propositis indigentis, qui tamen vt ad ista venires suis te vocibus incitauit, & incitatum deinceps, vt potuit, confirmauit. Vale. Vtique nobis hæc minutim refferre necessum fuit, quoniam ab illis ipsis Conuersionis suæ postremam deliberationem Onuphrius idem deriuasse testatus est in prçfatione illius voluminis, quod de Sacerdotis officio ad eundem Matthæum Bosſum nuncupauit. Hic enim Veronæ honestissimo loco natus, & inter ipsas doctrinarum secretiores latebras à tenerioribus vsque educatus sub notissimi Guarini Veronensis disciplina, eò properare cæperat in ipso maturescentis iuuentę flore, quo libido ipsa dominandi as-

ſeclas humani faſtus petere ſolet impotenter. Complanabat autem aſperum alioqui iter ſedulo delapſori Legum inſignis peritia, & Græci idiomatis ſingulare pręſidium, quibus non modo inter conciues florebat conſpicuus, & in patrocinandis cauſis opulenter ditabatur, ſed & lata apud exteros nominis fama nunc ad profitendum in Patauina Vniuerſitate iura, nunc ad forum Venetum adeundum; nunc ad aulam Romanam tenendam inuitabatur non obſcura procerum ęmulatione quapiam. Interea tamen adueniebant vocationis melioris dies, in quibus fędifrago molimine ſæcularia vſque tum prędilecta abigeret oraturus æternitati in Religionis inſigniore Capitolio. Accidit enim, vt aliquando ad ſacrum audiendum in ædibus Diuo Leonardo dicatis montis Donici iugum aſcendens, inſperata, inexpectata, ignorata, non quæſita, ſed opportuna inuenerit ęgretudini ſecretiori remedia verè ſalutaria, verèq; Deo plena. Quippe ab adoleſcentiæ ingreſſu per altos animi angores, & inquietudines diuexari adeo cæperat, ac tum præcipuè, cum fæliciora ſibi contingerent; vt omninò viribus vndequaq; conſternaretur, factus omnium prorſus inappetens, fermèq; ſibi odioſus, atq; vniuerſorum deſpiciens, et oſor: qua in animi conflictatione, cordiſq; deliquio ſi diutius permanere contigiſſet (quod ad horarum breue ſpacium ex Superum pietate agebatur) profectò dementatum reddidiſſent ſecutura tempora. Peracto nanque incruento ſacrificio obuium habuit Matthęum Boſsum illum ex more recipientem, & ſalutantem, atq; ad interiora quæpiam luſtranda comitantem, ex cuius ſermonibus nouam ſibi obtigit ingeri ſuauitatem, recentioraq; aperiri cogitata, dum uir ille Deo plenus deſcendiſset ad diſserendum ex ocaſione de mundi fuga, atq; contemptu, deq; labilibus ſęculi pompis, ac dignitatibus. Quamuis verò tum cęperit excitari, non tamen aperire ſtatim enaſcentia ſenſa probauit, quę ancipitem redderent animum potius, quam decretoriè firmatum, ab ſucceſsu rerum petiturus poſtremas vitæ agendę ſolutiones. Hinc frequentiore acceſſu ſe intimius viro inſinuarat, atq; ſub omni ſolemnitate templum inuiſens emergentes plurimas dubietates paulatim eliminabat adhuc fouens occultè cordis deſideria, quę tamen ſatis à Boſſo inſpicerentur, leniq; irriguo curarentur, donec patulis animi foribus per lachrymas, & verba ſe totum Religioni vouendæ Bredus permiſit. Sed qui alacriter, & maturè Canonico Inſtituto ſuſcipiendo mentem dediderat plurimi ab antiqua conſuetudine vexatus, & ceu clauo trabali confixus ſæculo, in morulas pernicioſiores producebat executionem. Neque tepidam voluntatem igne ſuo promoto Boſſus valebat calefacere, quem longè abeſſe opporteret vario ſocietatis Magiſtratu præpeditum, multoq; Reipublicæ negotio occupatum. In ancipiti igitur eo verſante Matthęus Recuperationes ſuas Feſulanas euulgauit, quæ cum ad Bredi manus deueniſſent, curioſèq;

nec

nec absq; fructu peruolutarentur, aliquando in eam incidit De primis spiritualis tyrocinij institutis epistolam, quam supra laudauimus, cuius acuratiore, sæpiusq; repetita lectione inflammatus omnes sibi prædefinijt abrumpendas moras, vt Christum Seruatorem ex imo cordis, & corporis affectu sequeretur. Tanto siquidem nixu, totq; ictibus verba illa aculeata pulsauere nutantem mentem, vt sibi tandem stare decerneret. Concipiebat enim inter fletus, & suspiria posteriorem pręsertim illam epistolæ partem non Philippo Parmensi, sed sibi esse conscriptam, ac directam, neque pręter se, verius illam alloqui neminem. Hæc ad vnum ipsemet in prælegata sua præfatione contestata vocationis suæ instrumenta, obsistentesq; conatus voluit. Dealbatus est Canonico superpelliceo in die Sancto Pentecostes, vt renouata aduentus Paracleti memoria renouatus homo rutilaret consolatore Numine: & qui Bredus pius appellabatur ex salutaris fontis nomenclatura, Onuphrius nuncupatus est ad secum ferendum Onuphrij Bredi consanguinei viri clarissimi iugem amoris, ac spei commemorationem. Adeo autem virum pœnituit interiectorum vocationi suæ moliminum, vt concitatiore cursu viam perfectionis omnimodè percurrerit. Humilitate, innocentia, obedientia, maceratione tam artuum, quam affectuum, frequentissimaq; oratione tantus innotuit, vt cum paucis omninò comparandus veniret, & qui antiquorum Sanctorum Patrum exempla sibi imitanda in dies proponebat de virtute in virtutem proficiendo, exemplar & tum viuentibus, & nobis posteris efformabatur. Cum iam intra Leuitarum numerum cooptatus esset quinquennis in Congregatione, vt facilius se Sacerdotio disponeret, neue imparatus tam grandi ministerio assequendo accederet, meditari primum cæpit, atq; deinde disponere opus egregium illud, quod postea de Sacerdotis officio inscripsit. Et quamuis sub inchoante archetypo sibi tantum prodesse concepisset, tamen vt thema nobilissimum omnibus numeris absolueret laxiore eruditione, fermè ab ouo illud assumens ad supremam vsq;coronidem prosecutus est. Hinc illud in quinque libros distribuit,in quorum primo pertractauit de officio Sacerdotis in Lege naturæ, In secundo,De officio Sacerdotis in Lege Mosaica, In tertio, De officio Sacerdotis in Lege gratiæ in genere, atq; hoc iterum subdiuidens locũ dedit libro quarto De officio Sacerdotis circa Sacramẽta, atq; demum quinto, De officio Sacerdotis circa sacramentalia. His dum sanctè proměndis in modum soliloquiorum ex animo incumberet in diuturniorem lapsus est ęgretudinem, cum qua trienni exercitio inter egregia inuictę patientię documenta colluctatus tandem sancto fine quieuit apud Venetos nostros circa Annum Domini 1508. Sunt igitur ab eo

*De Officio Sacerdotis Christo Saluatori Deo Sacerdoti æterno nuncupati Libri quinque. Bononiæ apud* *Anno* 1501. *Lib. v.*

ORO-

# OROSIVS DE OXIO MEDIOLANENSIS.



POST primos duodecim illos pijssimos viros, quos posuit Dominus Saluator noster in lapides fundamentales, & in columnas electas reparationis Canonico Dogmati, secunda effulsit gloria cum paucis Orosius Oxius Mediolanensis, tam si quæras innocentiam vitæ, & morum integritatem, quam si attendas regiminis prudentiam, siue Sacrarum Litterarum eruditionem. Primo autem illo tempore rara admodum in vno, eodemq; viro florebant simul vnita tot dona. Quandoquidem puræ simplicitati illi, quæ columbæ dicitur, toto cordis affectu incumbentes primi illi, & optimi Patres; qui se facillimè gubernari patiebantur humillimè sentientes, serpentum prudentiam ad habenas moderaminis temperandas necessariam haud ita curabant. Pluris quoq; erant in illo Apostoli, Scientia inflat, charitas ædificat, ideoq; crassam quandam, sed castissimam, castigatissimam ue potius admittebant ruditatem, quam scientiam vberem vento, atq; fuco viciniorem. Orosius verò Congregationi se contulit iam quippe excultus literis, neque hausit ex nostris eruditionem, sed disciplinam, ac bonitatem, quibus suaptè natura, & electione libera propendebat egregiè. Lucrum Conuersionis eius à sæculo contulit in gazas Societatis ille totius Reformationis Auctor, ac Parens Leo de Carate, qui vt totus semper erat in ordine fulciendo, & exornando, satagebat vndique columnas marmoreas spirituales excidere, quas tantæ moli suis locis opportunè supponeret. Iam presbyteratu initiatus erat Orosius, iamq; (& si perplexo pede, & incerto vestigio) bonam proterebat viam. Hinc facillimè patitur diuelli ab speciosis mundi pollicitationibus, et reponi nouam plantulam in orto Casoretano ad secundum lapidem à Mediolano, vt nouis pateret cultoribus, ac naturali excisus oleastro in bonam se mutaret oliuam pinguedine spiritus diffluentem. Tertius ex ea insubrum Regia Ciuitate accessit nobis insignis, oppletis nempè secundis sedibus à religiosissimo illo Bassiano Priorio, qui quartusdecimus Instituto præfuit Generalis. Id anno decimo octauo ab inchoata Reparatione Frigdionaria accidit, quo etiam tempore instaurantur à nostris antiquæ Canoniæ Sancti Saluatoris in suburbijs Brixiensibus, & Sanctorum

qua-

Quadraginta Martyrum Taruisij, & primum Generale Capitulum Victorinum celebratur in Bononiensibus ex indulto Martini Quinti Pontificis; adeo quod plusquam vno argumento fausti fuerint nouellis surculis illi dies. Exegit tyrocinium athleta fortis eodem in loco, quo & primitias spiritus Patres nostri suscepere, intra parietes nempe Frigdionarios agri Lucensis, exercitatore Petro de Rido Patauino ex duodecim primis illi viro inclyto. Sed qui vitam in iuge sacrificium iam Domino paratam habebat, votis solemniter emissis inter veteranos adscribitur sacerdotio, & eruditione conspicuus. Iuuat paruum adhuc numerum crescentis familię operarius solertissimè, exemplo domesticos, exemplo, & voce exteros mouens. Præ cæteris virtutibus, quibus se totus addixit, eminebat in eo assiduitas orationis eius, quæ mentem tacente labio eleuat in diuinorum contemplatione mysteriorum; ita vt aliquando perennaret ex vespertinis crepusculis ad vsque matutinas preces immobilis poplite coram diuinissima Eucharistia. Perpetuum quoddam ieiunium seruasse videri potuit, non modo quia ab esu carnium, lactis, ac reliquorum vetitorum toto vitæ curriculo se abstinuit (quod tum commune erat Ordini vniuerso) sed etiam quia semel in die cibum sumeret ab necessitate paratum. Anno octauo post initum Canonicatum supponitur oneri gerendi Vicariatus ex pridem sancita lege in Synodo Bononiensi ad Sanctum Victorem, ne per saltum maioribus administrationibus promouendus veniret. Prudenter verò Vicariorum numero adscriptum fuisse constitit, cum munere expleto Casoretanæ Canonię præficitur, quod accidit ad annum vndetrigesimum eius sęculi. Ab illis autem diebus ad extremam vsque horam circulo quodam legitimè instructo pręfecturā semper exercuit, toto videlicet vigintiquinq; annorum spatio. Vtq; Comitia in annos singulos habebantur; per eorum etiam decreta sedes permutabat regiminis, quod aliorum quoq; Pręlatorum moris erat. Atque hoc ordine Collegia moderatus est Montanum, & Victorinum, Bononiense, Viridarianum Paduæ, Montedonicum Veronę, Frigdionarium Lucę, Charitatense Venetiarum, aliaq; Congregationis nonnulla. Ab ipsis crepundijs Casoretani regiminis operarium proficuum opere indefesso se præbuit adeo, vt anno tertio Primum Definitor Primus Generalis Capituli inauguratus fuerit, inq; Comitijs sequentibus Vicarij Generalis sedem tenuit, atq; deinceps semper nouem virorum Magistratui adnumeratus est. Anno trigesimo octauo reformari Ordinis supremum clauum tenuit Rector Generalis, ita disponente Numine benignissimo, vt eo pacto instauratæ remanerent vices Leonis Carati sanctissimi Promotoris, qui ad cæli pręmia eodem anno euolasse noscitur. Id ipsum autem contigit cum primum ad pręfecturam fuit assumptus Casoretanam; quandoquidem per illam ipsam diem Bassianus Priorius decessit Generalis.

Cum

Cum primum licuit ſarcinam deponere dati regiminis;tanta id præſtitit humilitate, ſuiq; ipſius virium exinanitione tanta, vt nullis vltra onerari poſtularet honoribus, qui magis ſibi præſtare diceret animæ ſalutem qærenti ſubeſſe cæteris, quam præeſſe. Sed aliter viſum eſt zelo Domini munitiſſimis viris electoribus, qui & ſi de cætero inuitum ad ſupremas habenas reponere haud æquum iudicauerint; ab aliorum tamen magiſtratuum ſollicitudine non abſoluerunt. Tertium Cenſor inſtituitur : hinc cum Petro Rido Patauino Secundus Ordinis Conſiliarius creatur anno quadrageſimo primo, qui honos nemini poſt hac conceſſus legitur; tum verò neceſſario collatus apparet. Sanctiſſimus enim Pontifex Eugenius quartus vrgebat acriter, vt noſtri Patriarchium Lateranenſe antiquam Patrum hæreditatem reaſſumerent actu curandum, à quo indignè, & per ſummam impotentiam expulſos dignoſcebat. Synodus verò in vtranque partem agitabat propoſitum pro executione negotium tanta ſententiarum diuerſitate, tamq; vario rationum pondere, vt difficillima propemodum ſolutio ſtaret in ambiguis, neque illac mittendi ordinarentur. Ea propter duumuirorum Conſiliariorum Magiſtratus ille creatur, qui mature rem inter ſe totam diſcuterent, ab illorumq; conſilijs penderent cæteri, atq; materiam ſumerent condendi Statuti. Anni item quadrageſimi quarti Synodus Ferrarienſis ad Sanctum Lazarum, cum tractaretur de aula condenda ad Capitulum Generale recipiendum, in ornamentorum illius teſtimonium decreuit, vt ædificaretur iuxta exemplar, quod ipſe & Philippus Vtinenſis tunc Cenſor exhibuiſſent. In ea autem ſanctione illud accedit obſeruatu ſingulare, quod vtroſq; viros Venerabiles appellat, res rariſſima, & fortasſis abſq; exemplo ad eos dies. Lubet autem puræ eius antiquitatis verba id exprimentia reddere. Item quod fiat locus congruus, & condecens Religioni in Monaſterio Sancti Lazari pro loco Capituli Generalis ſecundum deſſignationem quam dabunt Venerabiles Patres Domnus Oroſius, & Domnus Philippus; qui quidem locus perfectus ſit tempore futuri Capituli Generalis 1445. Tantus verò valuit in Architecturæ Religioſæ cognitione, & in fabricis ad dioptram diſciplinę nobilis, vt poſtmodum Senatus conſultum exierit ex Conuentu in eodem Monaſterio habito poſt annos octo, ne abſq; eius diſpoſitione quidpiam vſpiam à fundamentis excitaretur in hanc formam. Decretum eſt, quod quando aliqua ædificia Monaſteriorum, & Eccleſiarum à fundamentis fieri contingет; vt omnia cum maiori grauitate, & vtilitate fiant Rector Maior, Domnus Oroſius, & Domnus Thimotheus Veronenſis conſulantur, & diſponant, & iuxta ipſorum conſilium fiat. Fuit in omnibus ſuæ curæ commiſſis ſolertiſſimæ indaginis, quam ab oratione hauriret ſupra quoduis aliud humanæ prudentiæ adminiculum: ex quo ſatis conſtabat ſobriam

mentem peculiaribus patere radijs, ijsdemq; illustrari feliciter. Qui Diuinæ Scripturæ libros peruolutarat assiduus, & solatium ex eis quæsierat ab actuosa vita sequester, animum egregio operi adiecit quatuor maiores Prophætas interprætandi, quod abundè præstitit octo annorum spacio, vt ipsemet testatur in calce expositionis in Ezechielem prophetam. Vtinam aliquando ex priuatis scrinijs ad publicam lucem præclari labores educerentur liberalitate Congregationis rem communem agentis. Nos pręter pauca illa, quæ valebamus percipere in stadio Sacrorum Voluminum adhuc gregarij, innumera didicimus laude, commendationeq; eruditionis dignissima ab commonstrante, & ponderante Basilio Serenio Mediolanensi, penes quem dicta Commentaria reperiebantur, dum Papiæ studiorum causa versaremur. Vixit Oxius in Religione annos triginta octo, decessit circa annum eius sæculi quinquagesimum sextum anno ætatis sexagesimo tertio. Scripsit igitur

*Commentariorum in Isaiam Prophetam Librum vnum* *Lib.* 1.
*Commentariorum in Ieremiam Prophetam Librum vnum* *Lib.* 1.
*Commentariorum in Danielem Prophetam Librum vnum* *Lib.* 1.
*Commentariorum in Ezechielem Prophetam Librum vnum* *Lib.* 1.

# F I N I S.




# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER QVARTVSDECIMVS.

## PAVLVS ANT. SANMARTINVS BONONIENSIS.



VOD pauca scripserit in posteritatis adiumentum Paulus Antonius Sanmartinus Bononiensis non acriter causandus erit, sed altè consectanda veniet mors ipsa querelis tam iustis (si licebit) quam incessantibus: quæ iuuenem egregiè doctrinis instructum, ac probitate omni nitentem in ipso rerum magnarum initio sustulit, relictis vixdum spei virentis, vel ipsa adhuc inuita, ac reluctante, floribus. O si taliter desuper infrangibilibus prouidentiæ caracteribus adnotatum haud fuisset, in quam magnas vindemias ascendissent fertilis ingenij, ac feracis facundiæ fructus. Vtiq; nobis ocularis testibus, & experientia edoctis fides præstari par est, quando condiscipulatus contubernium exactos nos fecit talentorum eiusmodi indagatores, admiratoresq; Fortè id communiter de pręcocibus

cocibus intellectibus accidit, vt dum celerius maturescunt breuius quoq; consenescant, ac delabantur. Christo nomen dederat nostro conuictui aggregatus anno primo post sęcularem millesimum sexcentesimum excitus domestico exemplo Iacobi Sanmartini Patrui, qui tum probitate innocentis vitæ æquè, ac dignitatum gradibus in Congregatione florere cœperat. Educationem ciuilem excesserat intra paternos lares præstantissima ipsa indole factus ad omnium literarum frugem. Quæ minoris ętatis erant disciplinarum vt attigit, absoluit, commonstratoribus ad ædes Diuæ Lucię Societatis Iesu doctissimis præceptoribus. Latinè orantem in scholis ad classium ordinem (vt apud illos Patres est de more mirifico) excipiebant omnes quasi monstruum plausu, & admiratione, qui supra ętatem supra captum ageret, & absoluti oratoris ideam repræsentaret cum nondum semihominem æquare videretur. Carminis culturam, et perpolitionem ab arte didicit, cum carmen ipsum natura vel renuenti ita dictaret, vt accepto sæpius themate à præceptoribus breuis horę spacio laberentur vberrimè ab ingenio, dum ęgrè exprimerentur à calamo. His præsidijs munitus tyrocinio nostro se subiecit, in quo, dum opus sit, minora huiusmodi generis quęruntur, maiora probitatis: dum videlicet pro innato quoddam eis vento plus inflant, quam ędificant, nec in ordine continentur melioribus subordinata. In eo tamen obdormiere, donec efformaretur ad Canonicę disciplinæ normam, vt tanquam pedissequæ deseruirent religioni & pręponerentur interioris hominis radices ipsis exterioris fructibus. Fesulanas solitudines incoluit primo tempore, vt ibi afficeretur per spiritus pinguedinem, vbi tot clara Lateranensium lumina se Deo, Angelis, & Hominibus spectaculum probatissimum composuere. Parietes ipsi locorum pietate, & religione maximè illustrium reuerentiam, deuotionemq; quasi vita pleni spirant, dum pręteritorum heroum memoriam renouant, & ingerunt. Cum maiorum scientiarum scholas attigit, excitauit illa, quorum ministerio sterneret mensam, atq; floribus exornaret ad sibi, alijsue literarum appetitum opportunius consolidandum. In Portuensi, Padana, Viridariana Academijs Doctor efformatus est sub præceptoribus eruditissimis Hieronymo Carandino, Honorato Roberto, & Gabriele Pennotto. Cum per eos dies Summus Hierarcha Paulus Quintus Venetam Rempublicam Ecclesiastico subiecisset interdicto, inter numerosos adolescentes primus trepidante teneriore conscientia sub alienis Patauio aufugit indumentis: atq; etiam primus facta remeandi facultate, rebusq; piè compositis ex Superiorum decreto reuersus est. Non ita facilè dictu, atq; difficilius creditu est, quanta incœperit, & ea quidem pretiosissima fœcundissimæ mentis opuscula, siue sacras, siue prophanas literas inspicientia. Nos quidem, qui & vsq; modo aliquorum titulorum recordamur, seriemq; disponendorum

rum iam extensa, ab illo vidimus, amico dilectissimo diuturniorem vitam in commune commodum desiderassemus. Macrobij Saturnalia, Auli Gellij Noctes Acticas, Tulij Somnia Scipionis lucidiores legisset posteritas. Oratio Hieremiæ, Cantica trium puerorum Sidrac, Misac, & Abdenego, atq; duorum Doctorum Ambrosij, & Augustini, non vltima eius cogitata erant. Verum aliud in fatis erat. Sint isthæc Conciuibus eius Concanonicis inflammatoria, quorum vita productior semitas exhibet ad veræ laudis aggressum. Ipse prædicatorea laurea redimitus, atq; Patauio amotus quosdam paucos menses superstites habuit, atq; propterea in ipsis seminibus, paucisq; initiorum paginis benè cogitata interiere. Excessit anno currentis sęculi duodecimo Vicarius Ponticuli tumulatus in Montana.

Superest ab eius calamo præcipitata potius, quam culta, atq; fermè ex tempore composita Oratio, quam habuit Patauij ad Petrum Bonsignorium Abbatem Generalem cum eo aduentasset ad Visitationes annuas de more peragendas Collegis Valerio Beltramino Taruisino, & Marco Bandino Lucense; quæ tamen satis ostendat expeditæ eloquentiæ, & prompti ingenij non obsura semina. Vixit annos vigintiquinque: decessit Bononiæ 1609. Est ergo ab illius promptuario educta.

*Oratio ad Petrum Bonsignorium Generalem dum Patauinam Academiam Visitaturus accessisset. Patauij apud Laurentium Pasquatum Anno 1608. Lib. I*

Bonauenturæ ab Alexandris Vercellensis.

*VIuit num rursus terrena mole solutus*
*Tullius? & rursus lucis honore viget?*
*Ah nosco: dulci eloquio sic athera mulcet*
*Hic Paul Antonius, non secus ac Cicero.*
*Dulcia nunc igitur pulsent iam gaudia Cœlos,*
*Cicero adest iterum, Cassius, atq; Plato.*

PAV-

# PAVLVS BACCIVS VICENTINVS.



VMMVM illum Charitatis ardorem, qui te (Deus Optime Seruator) ligno Crucis affixit, vt hominem à te plasmatum, diabolicaue fraude deceptum redimeres, per seruorum tuorum corda diffusum sub quacunque sæculorum latitudine flammas diuas euomentem, mirabilium patratorem effectuum extare, Ecclesia sponsa tua neq; rugam, neque maculam habens semper agnouit. Eius minutior scintilla Paulo Baccio Vicentino infusa in virum posteritatis memoria dignum reddidit vocatione, progressione, exitu. Si enim is charitatis impulsus ab vitæ eius toto secludatur curriculo, ne hilum quidem valuisse dicendum erit, qui non natalibus, non eloquentia, non scientia, non negotio, non regimine ad mediocritatem vsq; floruerit vix attingendam. Quod quamuis egisset, adhuc tamen verum est, quod Gentium scribebat Apostolus ad Corinthios, Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut ęs sonans, aut cymbalum tinniens: Et si habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum: & si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vna igitur ardoris huiusmodi stilla perfusus huic loco, feliciusq; cęlo, quod speramus, maturari meruit. Ad Magni Patris Aurelij Canonem accessit natiua quadam probitate magis comitatus, quam disciplina pro ætatis captu instructus. Atq; licet vtranque postmodum ex instituto coluerit; disparem tamen illarum vindemiam duxit: siue quod firmitas annorum adolescentiam exuens intellectualibus gymnasiorum assuefieri nequiret, siue quoniam plura voluntati moderandę danda ritè cognosceret. Hinc sacram Therapeuticam toto conamine digessit exempla seniorum manducans in panis suauissimi modum, & vniuersa ebibens lętissima praxi, quæ regularem seueritatem sapere sensui solent. Sacerdos inaugurandus, ad vberius se disponendum personæ pro dignitate gerendę biennium, pręter suetum, Leuita insumpsit, scientia quidem sufficienter instructus, sed qui potiora desideraret adhuc talen-

talenta. Et cum patrimonialium nonnullorum bonorum hæres factus esset, vt iuris sic, & facti Monasterium institutum omnimodis voluit, vsu etiam rei sibi interdicto, vt curam abdicaret quarumcunque. Canonias plures incolere iussus parato semper animo peregrinationes admisit, magnam patriam Congregationem appellans, de cuius nunquam ambitu, pomerioue proficisceretur, limites Italiæ ianuas illius dicens. Ab Adriano Cassonio Prælato vt Oeconomum Collegij ageret rogatus, vix precem summam admisit, tametsi officio exercendo à natura factus videretur: & qui perseuerantiam in cęteris obseruantijs Ordinis exercebat inuiolabilem, oneri illi deponendo post biennium totus incubuit. Ætate autem iam prouecta ad Pauli Æmilij Saraceni Præpositi suasiones permisit se populis pro sacris confessionibus excipiendis, quo in ministerio ad obitum vsque perdurauit maiores dietim adaugens animarum iuuandarum conatus. Quare post annum plurima multitudo subsellium eius circumsepiebat non ad statâ solum Festiuitatum tempora, sed & per hebdomadam omnem: & extra tribunal illud monita dabat salutis omnibus accedentibus ad spiritalis alimoniæ fractionem. In conscientia dirigenda mercaturam, præsertim exercentium, valuit luce particulari, quam oratio desuper obtinebat plus, quam iuge studium. Et vbi difficultates suppeterent vix enodabiles, comprecatorem adhibebat Albertum de Altissimis consacerdotem notissimę sanctitatis sibi iunctissimum morum similitudine, æquè ac habitu, & professione, vt darent Superi verum, bonumq; attingere. Strenuum operarium amplexabantur Episcopi ad quos accedebat, & iurisdictionis potestatem nullo limite circumscriptam impertiebant, ne duplici fatigaretur ærumna, qui tantus, tamq; vtilis apparebat. Exercitatio sancta hæc aliam suggessit, quam in panis fractione profuturam valdè cognouit; vt scilicet Generalis Confessionis fiendæ, Eucharistiæ frequentius sumendæ, & Reconciliationis illi pręmittendæ modos perscriberet fidelibus donum scientiæ de integro non assecutis. Id cum breui quidem Libello, sed valdè pio dilucidè præstitisset, per plurimorum manus statim circumferri cępit in exemplaria exceptum. Quare conatum Auctoris benè probans Marcus Antonius Capra Vicentini Pręsulis Generalis Vicarius, fructumq; illius obsecundans, ab Seraphino Merlino Rauennate Ordinis Generali Rectore facultatem exorauit, vt ad commune beneficium cuderetur, sicq; transijt ad posteros, quod Paulus nunquam mente conceperat ante. Exercitatorem aliquando habuit Innocentium Serpam illum Conciuem, & Concanonicum, qui postmodum Polę Episcopus inauguratus fuit, dum domesticæ disciplinę curator existeret: de cuius animo obsecundans promptus, & alacer, nubeculas dispulit, & sibi meritum auxit longioris antagonistę passi. Ab Vicentinis demum ad Venetos instante Abbate Almæ Virginis de Charitate transla-

tus, vt in vrbe domina fructificaret feracius pro pio talento, post aliquas mensium hebdomadas iam eius virtute cognita, & venerata obdormiuit in Domino sexagenario maior. Editus est ab eo

*Generalis Confessionis fiendæ, Sacratissimæ Eucharistiæ frequentius sumendæ, Reconciliationisq; illi præmittendæ Modus, & Instructio, Italicè Ad Illustriss. & Reuerendiss. Dionysium Delphinum Vincentiæ Episcopum. Vincentiæ apud Franciscum Grossum Anno* 1615.


Ioannis Baptistæ Ambroni Cæsenatis.

*IAM colit en Tarsus Saulum, Vincentia Paulum*
*Ille heu Christiadum persequitur populum*
*Omnia contemnit Cæli, nil linquit inausum,*
*Ignarus celebres mittit ad astra probos.*
*Hic vt Christi genas pascat, properetq; saluti*
*Iam triplicata sophus scripta verenda dedit.*
*Ille ruit præceps diuino flamine victus,*
*Surgens mox celeri tendit ad astra gradu.*
*Baccius en Christi sectator tempus in omne*
*Hic trahit innumeros ad sua vota viros.*
*Ille sator fidei præcelso lumine factus*
*Digna trophæa tulit conspicienda Deo.*
*Consilio vigili cælesti reddit olympo*
*Hic meßem veræ Religionis amans,*
*Semper vterq: parit magno miranda triumpho*
*Hic seruans sanctam, quam serit ille fidem.*

PAV-

# P. EMILIVS SARACENVS VICENTINVS.





VIS omninò neget diuinitus vtiq; factũ, vt Viri vitę sanctimonia illustres, & verè populorum apud Superos Patroni Scriptores suorum inueniant operum; si Pauli Emilij Saraceni egregios conatus contempletur in ijs euulgandis, quæ Albertus de Altissimis nostris hisce diebus præstitit mirifica? Dedit profectò Deus de Spiritu suo fœcundissimam pinguedinem innocentissimo viro, vt in tenebris fœtidi sęculi luce præambula fulgesceret, nostrosq; potissimum decoraret Lateranenses sanctimonia vitę, ac roboraret exemplifica conuersatione. Sed & quoq; dedit hunc illi Sincronos, & quadragenarium propè conuictorem admota manu calamo posteris consignare quæ audisset, quę vidisset, quæ expertus esset verissima, & omni æternitatis memorię commendanda. Id verò tanto fortiore impulsu, intimioreq; animatione prę stitit, quanto imparatior erat (secundum hominem dico) earum omnium artium, quæ in emuncto Scriptore desiderari solent. Cum enim nostris se adiunxisset adhuc ferè puer anno septuagesimo septimo super quintumdecimum sæculum Georgio Vedano Vercellensi Generali Rectore Rauennæ ad Portuensem Deiparam, Cornelio Vicentino Abbate; tam grauibus, tamq; frequentibus tentatus fuit infirmitatibus, vt desperata aliquando salute, studiorum speculatiuorum spem omnem in ipsis exordijs omninò deserere coactus fuerit. Vt erat nobili loco natus, & egregia fultus educatione, paratissimam intulerat indolem, ad etiam sublimia quęque; atq; propterea charitas gubernantium Prælatorum omne suppeditauit labenti valetudini adminiculum. Hinc suspicantes ex aeris intemperie ęgretudinem eius vel nasci, vel foueri; ad Cæsenates proximos transmissus est, vt ex loci symbola qualitate cum Vicentinis collibus, deperditas vires reassumeret. Eluxit semiuiuo aliquid spei, ac per productos menses solemnia ibi emisit Religionis vota. Verum aliud in fatis erat, cum diutino afflictatus morbo, meliores ætatis, alioqui viuidę, annos terrere necessum habuerit velut inter spirantia cadauera. Nec remisit tabefacientem vim in naturam quasi conuersa longa dies, donec pluribus euagatis Canonijs confirmata triginta annorum

ætate reuerſa recta valetudo eſt, vnde aufugerat. Senſit ipſe tum demum penitimius tantæ calamitatis incommoda, cum ſe non vltra firmioribus ſtudijs Theologiæ ſcholaſticæ, Philoſophiæq; accommodum cerneret, præſertim ex noſtrorum inueterata conſuetudine. Quare Prædicatoreo excluſus priuilegio ſibi mediocria in futurum amplectenda fore iudicauit, neque multa de genio ſuo pollicenda. Ne tamen totus corrueret, & otioſam diem curare videretur, leniora literarum amplexus eſt. Arithmeticæ præſertim, Męchanicis, ac Spiritalibus ſe totum addixit, in quibus multus euaſit, & plura fortis imaginationis, exactęq; praxis nos inſtrumenta ab illo excogitata, & perfecta ipſo oſtenſore vidimus, quibus & artes iuuarentur, & facilius exequerentur. Noſtros quoq; ſæpiſſimè iuuit tum Romę, tum alibi in partitionibus vel prouentuum, vel æris alieni inueniendis, ac per ęs, & libram diſponendis. Horarias etiam tabulas ad Sacriſtarum commodum, & ad memoriæ fulcimenta ex Aſtronomicis euulgauit. Item & Tabulam Itinerariam Monaſteriorum œconomis peraccommodam in viaticis aſſignandis. Cum verò iam ætate firmata prudentia regulari, & dexteritate floreret in inſtitutis Canonicis, Familiarum Moderator ſępè aſſumptus eſt. Abbas Vicentiæ, Piſtorij, ac Ponticuli, Prior Frigdionarię, Prępoſitus Triuij, & Eugubij: in quibus dignitatibus non modo ſolertem ſe geſſit, ſed & longè peregregium. Dum Prępoſituram Eugubinam adminiſtraret benefactricem conciliauit locò pauperi Lucretiam de Monte Matronam lectiſſimam, à qua impensè & ipſe cultus eſt Magiſterij Spiritus nomine. Demum labente ad ſenium ætate patriam repetijt, vt nempè via ſterneretur futuræ Lucubrationi. Cum enim in poſtremos annos vitæ, & in obitum ſanctisſimum Alberti de Altisſimis viri ſupraquam dici posſit inculpatisſimi incidiſſet; obſeruatis innumeris circumſtantijs, in quæ ſibi complacuiſſe Diuina bonitas videbatur, ſic exacuit intimos ſpiritus iam admirabundos, iam veneratores rerum nouitas, & innocentia, vt animum adegerit ad eius vitam vtcunque ſcribendam, ne temporum iniuria corruerent pretiosisſima, quę imitarentur exempla ſuorum, pręcipuè poſteriorum ætatum Canonicis. Adſuiſſe verò operi Numen, exitus ipſe probauit, cum illa congeſſerit in eo, quę Auctori, haud ineſſe credebantur Eloquij Italici puritas, Dictionis candor, Natiua rerum expręsſio, Ordinis felicitas, Materierum alicubi theologalium quamuis curſim pertractatarum poſſesſio, & quod omnium caput eſt, ſinceritas ſpiritus, & abſoluta ad operatorem ipſum Albertum conformatio. Quibus pręſidijs munere aſſumpto egregiè functus vniuerſam Congregationem, conciueſq; populos commendatores habuit, præter repoſitam mercedem in ſupernis ęrarijs. Vitę ipſi libros duos adiecit de gratijs, atq; miraculis à Deo Alberto interceſſore præſtitis, quorum autenticę depoſitiones in curia Epiſ-

copali

copali Vicentina extarent, licet eos non euulgauerit summo id iure prohibente Romana censura, vsq; dum ad aliud (quod opinamur) prouehatur. Animatus autem ita est ab rei exitu, vt seriò cogitarit de Vitis Sanctorum ab Gabrielle Flamma Concanonico descriptis in integrum supplendis vsq; ad anni totius complementum, quod & nobis aliquando communicauit, nilq; exterruit ab piè excogitato prçter ipsam iam declinantem çtatem. Demum anno quarto post felicem transitum Viri Sanctissimi ab se celebrati Abbas eiusdem Canonię ad illius consortium in çternis amplexibus fruendum (vt piè animus sibi promittit) euolauit Anno 1622. sexagenario maior. Nos viro probo Academicum decus Olmypicorum debemus, cum illo suasore nobis inscijs, Theodoroq; Trissino Comite, ac clarissimi cętus Principe refferente omnium suffragia nos, licet immeritos, in eam Vniuersitatem adlegerunt. Habetur ergo ex illius penu.

*Vita Alberti de Altissimis Concanonici innocentissimi Italicè libris duobus conscripta. Vincentiæ apud Franciscum de Grossis Anno* 1621. *Lib.* ij.

*Item Gratiarum ab eodem Alberto æditarum libri duo sed manuscripti. Lib.* ij.

*Item Tabulæ Itinerariæ Horariæ, & OEconomicæ pro Sacristis, & OEconomis. Lib.* I.



# PAVLVS MAPHEVS VERONENSIS.





QVAM fæcunda pretiosissima illa tua vincula extitere captiuorum Patrone Leonarde Sanctissime propè Veronam in monte Donico Basilica percelebri à populis venerate. O' quantam innocentissimorum vinctorum prędam Sacro Religionis Lateranensis carceri collaqueauere. Iam sinum illum ardentissimę tuæ charitatis aperi, iam vlnas expande, pia mater. Peruolant catheruatim ad ergastula tua per ferreas cathenas illas voluntario seruitio captiui homines, quibus animæ salus adest, alacres magis, quàm ad laxam, vberemq; sæculi delitiosissimam libertatem. Obsolcuerant quidem super monte eo ferrei illi compedes, ac manicæ, rubiginemq; obduxerant tabescentes; dum gubernantium Canonicorum Congregationis Diui Marci de Mantua curæ demandatæ forent, siue animorum otio, & iniuria, siue temporum iniquorum iniuria, atq; labe. Verum vbi Gregorio Duodecimo Pontifici immissum est per supernam irradiationem, vt loci curam deportaret in Benedictum Parcitadium Ariminensem Frigdionarium Regularem Canonicum, illumq; sanctissimum, ac sibi probatum; mox lux tanta splendorq; eiusmodi ferreis illis obortus est constricturis æquiore detersa rubigine, fugatoue tabo, vt piorum quorumcunq; oculi tanti omnino fulgoris intuitu raperentur. Ex primis autem illis, qui ad vltroneam captiuitatem accessere, collaq; suauissimo cathenarum illarum, & sequellæ Christi, Dei, ac Saluatoris supposuere, primus absolutè, & ordine temporis, & prærogatiua ætatis, & merito virtutis Paulus Mapheus extitit. Siccine nobilis, & eruditè vir accurris lubens ad carceres? Siccine splendore nouiter detersarum cathenarum caperis, luminosiq; ferri, vt aliorum antesignanus accurras ad vincula? Quis te furor enthæum facit? Quod nam te Numen repentinum intimè possidens exagitat? Profectò si entusiastes es, profeticum tibi vaticinium erumpet ex ore. Iam autem te audio, iam te capio alieno dictatore dicentem, In montem saluum te fac, &, Qui in monte est non descendat tollere tunicam suam, quia Fundamenta eius in montibus sanctis. Ascendit igitur vir iste ad Montem Donicum, Diuique Leonardi vincula tenuit omni libertate potiora Anno Septimo ab inchoata Frigdionariæ Ca-

riæ Canonici Ordinis Reformatione excitus Benedicti Parcitadij prædicatione, moribusq; mirabiliter illectus, atq; animatus. Ætate iam florebat adulta, qui tres iam annorum decades absoluisset semitas terens secularis vitæ, nullibi tamen acriore vitio coinquinatus, nulla implicatiore labe infectus. Cum enim suo ipse genio quærēdę saluti adigeretur, religioniq; colendæ; satis inculpatè victitare in Babylone ipsa sæculi contingebat. Summo autem id beneficio Numinis, à quo ad arctiora seligebatur, accidit, vt per immaculatam vitæ laxioris seriem sibi indiceret illud in Religione institutum, quod maiori perfectioni ocyus intenderet. Nobilitas ipsa natalium spectabiliorem in populo reddidit accessionem ijs castris, quæ vixdum de nomine nota essent ab vnius tantum, & exteri prædicantis voce. Antonius quoq; genitor eques illustris, ac militiæ ab infantia excultæ gloria inter primiores vrbis enumeratus, longioris, & integræ senectutis priuilegio valdè prudens quo ad mundi dogmata, haud lubens consensum adhibebat petenti Paulo, qui Clericalis vitæ normam sub Episcopi iussis, quod tot æquales actitarent, præponeret, aut saltem alterius cuiuscunq; in Ciuitate magis cogniti Ordinis, magisq; radicati professionem. In manu tamen consilij sui pridem relictum, rationibusq; normam talis vitæ fulcientem dimisit vtcunque. Foribus autem Canonici Ordinis Veronę hoc pacto per ingressum notissimi viri resseratis, pleriq; ex potioribus penetralia lustrantes, in imasq; spiritus fibras reponentes exemplum eius secuti ad eadem vincula confugierunt. Prodigia sunt, at vera, quæritur in captiuitate solatium. Grex ipse Domini nouę fœcunditatis lętus pariter, ac indigens pios accessores hinc inde diffusit, variasq; ad sedes, atq; munia ablegauit, & adegit vno tractu stipendia merentes, ac inter veteranos ad disciplinam condiscendam, pariterq; exercendam adscriptos, & per cohortes distributos. Tenuit Frigdionariam Paulus ex censura Magni Leonis de Carato rum Generalem Præfecturam gerentis Secundum, vt vir omni literarum cognitione florens, ex maiore primorum illorum Reformatorum Patrum numero, & spiritu virtutum flores libaret, ex quibus arte sua industrius fauos componeret ceresæ lucis, & melleæ suauitatis seminaria nexim, & semina. Triennium fermè ibidem in tyrocinij spiritualis speciem absumpsit inter vernantis probitatis ardores, balsamo conseruante, corruptionemq; cauente delinitus, ac supereffusus cum impigræ mentis solatio tali, vt nunquam sibi incolatum permutari expeteret, nisi cum ipsomet per Dei misericordiam Empyreo. Vetum in primum Diomedearum Insularum Rectorem electo pijssimo Leone Patre, ac promotore, Paulus inter paucos eligitur, qui exilium illud comitetur socius laborum, periculiue particeps. Qui prius Frigdionariæ sedi substitui Cælestem tantum patriam ad inhabitandum sibi concupierat, lætissimo animo

malam

malam vicem ſubijt, quam redderet optimam optimum obedientiæ paratiſſimæ meritum, tantiq; præceptoris, & patris comitatus. Cautes illas inacceſſibiles, aſperoſue ſcopulos Artennis fætentibus auibus vixdum habitabiles, & id etiam cum clamoribus infantum eiulatibus ſimiles, poſt multas aduerſi maris fluctuationes tenuere, incoluereq; in ſumma illa rerum omnium ęgeſtate, quę compelleret aliquando Dei ſeruos locum deſerere defficientibus vitę neceſſarijs, hominumq; comercio, à quibus ſibi opem ferri poſſe in extrema conſtitutis ſperare per diurnam ſtipem poſſent. Inter vaſtas enim Adriaci maris vndas vni tantum Cœlo patebant. Patientia tamen rerum domitrice longamina, protractoq; ieiunio aliquando duorum, aliquando trium dierum ſtationem fortibus auſis tenuere. Imploratum Virginis Genitricis ibi cultę patrocinium prece perpeti, ac corporis duro verbere adfuit in anguſtia conſtitutis per corruſcam ſemper diuinę prouidentię pręſentiſſimam, variamq; oſtenſionem, donec melioribus auris ſublato Cardinali Florentino Commendatario effulſit vna dies lęta, quę & pręſentibus, & futuris ęrumnis mederetur, & accurreret in parato bonorum temporalium ſubſidio. Quadriennio tantopere poſito reſtituitur terrę Paulus, quam prędicatione appeteret vſq; quaq; circuens, populiſq; anuncians quę ſpiritu Dei dictata animum implerent, & excoquerent. Accerſierat ſub ingreſſu Pauli ad Ordinem Franciſcus Capello Patritius Venetus Canonicus Regularis profeſſus, ac Diuæ Virginis de Charitate Prior perpetuus nonnullos ex Frigdionarijs ſocijs, qui inſignem illam Baſilicam ab annis iam fermè tercentis antea à Marco Iuliano conſtructam Canonicis Regularibus, curarent chori frequentia, Sacramentorum adminiſtratione, Verbiq; Dei per prędicationem fractione. Siquidem cum ea Canonia unita iam pridem Canonicis Regularibus Congregationis Portuenſis de Rauenna ualdè imminuta eſſet Canonicorum numero, nec ſpes ulla adeſſet ab eadem Congregatione ſuppetias obtinendi, quę ſedes exhaurirent uacuas, & miniſteria opportuna pręſtarent, quippe quoniam idem Portuenſe Collegium commendatum exiſteret eo tempore Angelo Sanctę Potentianę Cardinali, qui nil omninò diſciplinę verſaret, ſed ſolis inhiaret prouentibus; Franciſcus, ut erat animo ualde pius, zelumq; Ordinis habens audita fama ſanctitatis Frigdionariorum, odoreq; inculpatę conuerſationis hinc inde diffuſo, illos accerſierat, qui pręſentibus opem ferrent incommodis aſsignata uitę neceſſariorum portione congrua. Dum igitur res ea ſtrenuè per Frigdionarios operarios ageretur in ſumma popula tiſsimę Ciuitatis frequentia, quę homines nouos arctè ueſtientes, arctiuſq; uiuentes obſtupeſceret, illhac & Paulus demandatus eſt ad Euangelizandum. Quę optimè pergebant officia in animorum curatione, in meliora adhuc ceſserunt tanti athletę acceſsu, & miniſterio, Complacuit

cuit enim Deo sic inhabitare spiritum eius, atq; per eius ora loqui, vt naturaliter facunda in suis ciuibus ciuitas, & in Patritijs arte exculta, non ad hominem, sed ad Angelum audiendum se properare clamitaret, qui libertate verborum, asperitateq; concionis in peccata Baptistam Præcursorem semotus ab solitudine imitaretur, quiue doctoris Gentium, vt in nomine, sic & in ponderis firmitate assecla mirificus esset. Quanta nam Franciscus Prior perfunderetur interiore animi dulcedine, quantoue raperetur in tam acres operarios amore, qui faciem omninò diuersam Ecclesiæ suæ restituissent se promotore in tãtorum Patrum exitum congratulantium conspectu, ex hoc vno tantum innotescat, quod se dominatu ipso, ipsisq; prouentibus omnibus, tam humanæ fragilitati prædilectis voluntarius abdicauit, vt nouam vitæ methodum inchoaret, discipulusq; nouo gymnasio accederet, qui magisterij laude vsq; tum sub eodem Canonico dogmate sed diuersim practicato, & exposito floruisset. Nam post nequissimi Schismatis abolitionem in Generali Conuentu Constantiensi factam, reddita Ecclesiæ Sanctæ Dei pace, omnimodam vnionem, & incorporationem sui eiusdem Monasterij, & Canoniæ de Charitate cum Congregatione Frigdionaria supplex Martino Quinto Columnio Summo Pontifici communibus Patrum suffragijs pridem renunciato proposuit, et obtinuit, quin & Reformationi ardenter inhians inter restrictiones ipsas se dato nomine prudenter immiscuit ad beatam vsq; (quod piè dicimus) in Domino obdormitionem. Paulus verò nihil in commisso sibi talento segnis, nilq; virtutis concreditæ remittens, per decem & octo annorum iuge spacium nulla intermisione acta verbum Dei eadem in Ciuitate annunciauit in maiore quadragenario ieiunio, & quandoq; etiam per anni curriculum frequentisimo semper auditorio, plenisq; subselijs. Quis verò nisi spiritus, qui est in sybilo auræ tenuis, fecisset satis non obsolescens octodecenni asuetudine plebi tantæ rerum nouarum, quod malum commune est, curatrici? Cuiusnam verò formæ fuerint credita Paulo dicendi talenta, quamue orationis Ideam suggestui adhibuerit vt tantus placeret, quodnamue in eo desideraretur ad consumationem vsq; perfectionis clarè aperuit Matthæus Bosus Libro secundo Epistolarum ad Iustinianum in hæc formalia verba, His quoq; quos diximus, nulla re minorem inuenissemus Paulum ex Maphea familia, & Veronensem, si vires corporis suppetisent. Sed gracili ita corpore, & varia valetudine, debilitateq; fuit, vt nequiuerit campos, vastasq; basilicas vocis firmitate complere; sed in mediæ amplitudinis loco nihil illius lingua, & sermone suauius, nihil appetibilius, nihil omninò diuinius. Cithara, aut lyra magis, quam tuba ab auditoribus nuncupabatur. Humana cęteris, diuina isti peculiarius attributa. Ad Dei laudes, & hominum miserationem nemo mollior, atq; tenerior. Qui pium nihil, &

sanctum

ſanctum poterat ſine lachrymis vel loqui, vel cogitare. Qui & quantum ſubtraxit ei ad gloriam pulpiti imbecillitas virium, tantum ſcribendo reparauit mundiſſimo, & facundiſſimo ſtylo. Cuius Epiſtolis nihil plenius, nihil Chriſtianius, nihil efficacius legitur. Hæc ille. Quæ inſuper extra Euangelij arenam extiterint in eadem ciuitate eius exercitia, longiore tractu in encomij formam aperuit Diſputaione prima Libri de inſtituendo ſapientia animo ſub Ioannis Philippi fratris perſona in hæc verba loquentis. Habuimus ex Maphea tua familia, Celſe, quem tu, & Matthæus germanus hic meus, egoq; vidimus, Paulum Patrem, cuius recordatione, & nomine ſemper ornabimur, dum viuet, ſtabitq; Religio, quem quidem ego fermè ambigo inter cęleſtes ne ſpiritus, an inter mortales ęquius collocem, nedum ſapientem appellem, cui nempe viro quid laudis vnquam, quid integritatis, quid honeſtatis, quid virtutum cæterarum, & ſanctimoniæ defuit, quominus in ſapientum numero reponi debeat? Nam per omnes gradus eximiæ Sanctitatis in primis ire à teneris cæpit, charitate in Deum, atq; homines ardens, humillimus, non foris modo, ſed re ipſa magis interius, impolluto affatim corpore, quin quoq; & virgo, vt à plurimis creditum eſt, qui & legere quotidie, & orare, et flere non deſtitit, docere quoq; et prædicare, cum locus exegiſſet aſsiduus fuit. Quo in conſulendo nemo prudentior, atq; fidelior: in exhortando efficacior; in conſolando ſuauior, in commouendo benignior, in diſſerendo clarior, et admirabilior, cuius ſcientia, atq; doctrina infuſa magis, quam quæſita, partaq; omnibus videretur. Illi acceptiſsimus extitit ſuus æqualis, et eiuſdem nominis Paulus ille Pergulanus, qui Venetijs inſigni laude Philoſophiam, Thelogiamq; publico Gymnaſio tradebat. Ad eum vir ille doctiſsimus, et ea tempeſtate illis in literis Princeps in noſtrum ſæpè Charitatis cœnobium diuertebat. Subtiliſsimis ſimul illi de rebus conſerebant, ijs ſcilicet, quas pręſertim circa diuinam naturam Theologi ſudantes ſolent inueſtigare, Notiones dico, Proceſſiones, Attributa, Operationes interiores Dei, ac exteriores, & id genus grauia, atq; nodoſa, de quibus obſcuritatibus cum loquuntur cæteri, vix aliud, quam terminos colligis. Sed ea iſta quoties noſter hic Paulus ſuſcepiſset, non de ſchola Scoti, aut Aquinatis eius ſermo pendere Pergulano videbatur, ſed illum referre viſa, modoq: in terras ad nos deſcendiſse à cæleſtibus, magnitudineq: diuina dicebat, quę ſæpè cum lachrymis, oculiſq: ſupinis proſequebatur ſanctus, et ad guſtum rei diuinæ molliſsimus ille. Quos uerò ſenſus de Prophetis, quam et dulcedinem de numeris Dauid erueret, mirabile creditu. Hunc pariter eloquio priuato, fandiq: lepore, ſiue grammaticè, ſiue maternè loqueretur nemo ſuperebat. Qui, et quamplurimas reliquit Epiſtolas, partim familiares, ut res tempuſq: popoſcerat, quas hinc atq: inde

diſperſas

disperſas in corpus vnum reuocauit, perq; libros diſcreuit diſcipulorum primus, & eiuſdem ſanguinis Thimotheus, in quibus hoc maximè vno præcellit omnes, quod nemo ex animo magis, quæ optauit viſus eſt dicere: quas ſi ei curæ fuiſſet poſteritati mandare, terſiſſetq; & leuigaſſet, vt facilè poterat, nihil haberemus cum eloquentia ſanctius, atq; ſuauius. Quod non fecit ex conſcientiæ modeſtia puto. Nam tam exactam, & multi temporis humillimus ille contempſit diligentiam. Videntur enim magis excuſſæ aliqua repentè de pharetra, aut manu pleniore quidem elapſæ, quam rethorica vlla ſtudioſius opera expolitæ,& elaboratæ. Quod ſi quando faciendum putauit, ad amuſſim effecit. Tantus igitur apparuit, tamq; frugifer ſe præbuit Veneto Populo, Patribuſq; Clariſſimis, ac eruditioribus exteris Paulus, atq; tanto tempore. Ab eius ore in prædicationibus, & ab interiore regimine in omologeſi pendentes ex potiore nobilitate plurimi Senatum Politicum, Principatuſq; gubernationem, cum Canonico cœtu, & intimiore Dei ſeruitio commutauere feliciter. Hoc idem quoq; & exitu pari ſuaſit nonnullis ex potiorum Veronenſium ſuorum numero, inter quos mirè enituit ex fratre nepos, & diſciplinæ alumnus Magnus, ille Timotheus, qui poſtmodum prima Italicorum Oratorum gloria Raguſinę Eccleſiæ vel inuitus Archiepiſcopari ab Paulo Secundo Veneto Summo Pontifice meruit. Sub illius item directione, & magiſterio profecit ad egregiam perfectionis frugem in eadem Veneta Canonia Eſaias Eſtenſis ille, qui ſuper Canticum Canticorum ſcripſit, & Ordinis Procurationem in Romana curia geſſit induſtriè, atq; laudabiliter. Adeoquod nullum propè genus exercendę charitatis extiterit, in quo poſteritas non lætetur Paulum proficuam opem impendiſſe. Ab cuius dictamine cum ille obſeruaſſet plurimos quidem ad Verbum Dei audiendum confluere, quorum conceptum in animo ſemen poſt dimiſſionem ab Eccleſia vel ſpinæ diuitiarum, atq; ſollicitudinum temporalium prę focarent, vel aues raperent aerearum poteſtatum; vt pro poſſe vtrunque deſtrueret impedimentum, intra priuatos lares, intraq; ſecretiora cubicula concionator obaudiri ab vtroq; ſexu, vnoq; & eodem tempore in diuerſis locis adeſſe precauit. Sed quæ corporeæ præſentię denegabantur priuilegia, voci vt ſcriptæ cederent continenter laborauit. Quare ſuper Chriſti Domini Paſſione meditationibus pluribus, iiſq; ſanctiſſimis compoſitis eas calamo euulgandas permiſit, vt huiuſmodi arte auditores, filioſq; ſpiritus quam multos iuuaret, & in cōceptis ſub prædicatione probitatibus contineret. Ad Antonium quoq; Gradenicum Patritium ex primis librum ſcripſit De iuſtitia colenda verè aureum, in quo ad non multa capita materiam tam amplam redegit, & illuſtrauit cæleſti verè ſpiritu dictante ad eam ſuffragandam nobilitatem, prę ſertim ex ordine iuniorum, quę inferioribus tribubus iura dicens in plenæ

libertatis cultu nullum sibi onus impositũ incautè gloriatur aggrauans alijs onera importabilia, quę ipsa nec digito contingere vult. Neque ideo tamen tantarũ rerum vir se ab communi Cõgregationis regimine, ponderéq; immunem prętereri permisit, paratus, si quando daretur, portare pondus diei, & æstus. Hinc pluries eiusdem Venetę Canonię præfecturam obtinuit, Pluries Visitatoreo munere functus est, & anno vigesimo quarto ab reformato Ordine Congregationis vniuersæ Generalis Rector Duodecimus renunciatur Petro de Rido Patauino ressignato in Comitijs Victorinis Bononiensibus. Præter eius assumptionem ad potiorem Reipublicæ gradum illustria extitere ea Comitia ob charitatiuam vnionem pluribus Canonicorum Regularium Collegijs per vniuersam Germaniam diffusis concessam, vicissimq; receptam. Ipso enim Generali factum exorante, sublatis plurium difficultatum nodis, quos superuenire in dies posse dubitabatur per multiplicem exterorum accessione, in illius omnes iere sententiam. Collegas in officio habuit Leonem de Carate,& Galdinum de Bardis viros ex duodecim primis illis socijs notissimos. Prægrauatus tamen longæ prędicationis onere Generalibus Rectoribus necessario ob totius lustrandę Congregationis impendens munus; quod gracilitati corporis, & cęteris eius macerationibus viuidæ virilitatis vires non adesset, in sequentis anni synodo dum ad prorogandam ei dignitatem omnes incumberent, ipse resignari petijt, preceque ac negotio obtinuit, Censorea tamen potestate suppleta, quæ itineribus agendis non subesset, sed tantum consilio subministrando. Cessit autem id maximè in commune bonum; nam Venetis restitutus peregit animas gubernare, eius se fidei, doctrinæ, atq; sanctitati pluribus Purpuratorum commitentibus, qui auctoritate pari, ac fide rem Monasterij, atq; Ordinis per occasionem iuuarent insigniter tam in Senatu, quam extra etiam apud Principes. Inter eos autem officiosissimam, & frequentem præbebat Hermolao Barbaro seniori, Zacariæ fratri non modo sub secreto sacramentalis sigilli, sed etiam in familiaribus allocutionibus. Qandoquidem Patritius ille solam terrens veræ salutis semitam Religioni adictissimus, nullibi frequentius aderat, quam vbi spiritui alimenta subministraret coalitioni in Deum opportuna: atque ideo vnum Pauli innocens consortium cæteris quibusque solatijs præferebat, in quo sapientiam Mysticę Theologiæ, æquè ac scholasticæ irradiantem cerneret, morumq; candore sumopere cultam. Quare cum aliquot post annos Ecclesię Taruisinę datus esset Episcopus, ac inter cæteros prouentus Ecclesiasticos in cõmendam (quod dicunt) obtineret Monasterium D. Bartholomæo in Suburbijs Vicentinis dicatum; decreuit illud in fauorem Congregationis resignare. Extiterat quidem Ecclesia illa iam pridem gubernata ab annexa insigni Canonia Regularium Canonicorum

corum Ordinis Sancti Marci de Mantua; verum Canonicorum numero paulatim destituta ad extremam vsque Commendæ cladem deuenerat. Hinc supplici libello Eugenio Quarto Pontifici porrecto, in quo Hermolaus exponeret, summo se desiderio diù affectasse, quod in Monasterio prædicto debita obseruantia Regularis, cuius à multo tempore caruerat, atque carebat, laudabiliter vigeret, nec non in suis ædificijs, & structuris multipliciter defectuosis ob anteactorum gubernatorum iniuriam, & negligentiam exactè repararetur, & alias benè, atq; vtiliter reformaretur; petijt vt Canonicis Regularibus Congregationis Sanctæ Mariæ de Frigdionaria perpetuò concederetur. Ab ipsis enim, qui à multis citra temporibus plura Monasteria, & Regularia loca reformasse noscebantur: prçfatum Monasterium ad Laudem Dei, & gloriam diuini nominis, religionisq; propagationem, ac deuotionis populi augumentum in spiritualibus, & temporalibus suscepturum maxima incrementa sperandum vtique veniebat. Ea propter Eugenius suopte affectu, atq; pietate egregiè in nostros animatus, ab Vicentinoq; populo per Electi, & Communitatis nouas supplicationes exoratus de opportuno in præmissis remedio; Ordinem Diui Marci prorsus ibi supprimens, & extinguens illud nostris perpetuò concessit, donauit, auctoritateq; Apostolica appropriauit. Congregatio primum dedit loco Priorem Bartholomçum Cremensem virum industrium de anno quadragesimo tertio post centesimam quadragesimam decadem salutarem, quod pluris probaretur Paulo Patauinam Abbatiam tunc moderanti. Vtique adamas adamante perpolitur: & exitus ipse commendationem eius ritè habitam, vel testimonium iustè prolatum apud Synodum edocuit. Quandoquidem Cremensis operarius industriam suam super munere illo quasi super rota quapiam sic acuit per quadriennium; vt Domus, & Ecclesia in nouas plenè assurrexerint formas, dum præclarus vir Belpetrus de Manelmis Venetæ Reipublicæ Collateralis sumptus verè magnificos suppeditans, aliaq; Monasterio præstans vtilia, Fundatoris gloriam (& quod magè refert) meritum sibi honestissimè reposuit. Sit tanti benefactoris memoria inter iustorum semper benedictiones. Et Bartholomçus successore habito Constantio Regiensi, aliò operam transtulit. Constantio verò post annuos fasces Paulus tertio loco successit ex Vicario Generali Synodi, & ex resignatione Mantuani Collegij, sub cuius magistratu, & eo curante Valerius Vicentinus annorum septemdecim nostris accessum habuit per Conuentum Ferrariensem anni Iobelei Nicolai Quinti, licet tempus non expleret per leges nostras introducendis præscriptum, bona prorsus accessione. Post hçc iterum Vicarius Generalis, iterum Visitator, ac Prior Venetus, demum per duos annos eandem Vicentinam sarcinam adhuc gerens plenus dierum, sed & plenior operum insigniter

præstitorum obdormiuit in Domino anno quinquagesimo tertio Reformationis inchoatæ. Porrò Paulus, licet vnus ex primis duodecim non extiterit, qui Ordinem restaurauere Venerabiles, & Optimi; inter alios tamen duodecim eos, qui secunda post primos illos effulsere gratia, primus meritò adnumerandus venit, non ætate quidem, vel habitus inuestitione, sed præstitorum prorsus beneficiorum cumulo in reparatam familiam. Hinc antiqua illa Synodorum monumenta Paulum vndique inclamant, ac resonant vndique operam suam proficuam locantem in moderandis Canonijs, in nouis ducendis Colonijs, in Congregationibus celebrandis, in Pontificibus, ac Dinastis adeundis, in maioribus gerendis oneribus, in enodandis difficultatibus, in custodienda disciplina semper prouidus, potens, promptus, efficax. Ea propter in Generali Conuentu Rauennati anni vigesimi Reformationis, cum Venerabilis Leonis spiritalis solertia, praxisq; de Ordinis Constitutionibus inualuisset, ita decretum legitur. Ordinatum est, quod de Ordinationibus nostris, quæ hinc indè longè, latèq; dispersæ sunt, fiat libellus per modum Epilogi, atq; Compendij, qui diuidatur in duas partes. Prima pars de Moribus, atq; honestate Canonicorum sit, Secunda de celebratione Capituli Generalis, & aliarum rerum, quæ ad Religionis conseruationem spectant: & prima pars legatur semel saltem in mense fratribus in mensa, vel Capitulo. Huius libelli ordinatio est commissa Domno Paulo, quę completa sit Deo propitio in sequenti Capitulo. Insuper de anno trigesimo octauo in Synodo Veneta Sancti Clementis talis habetur Sanctio. Commissum est D. Petro de Padua, & Paulo Veronensi, vt examinent textum Regulæ nostræ, quem examinatum, & correctum Rector Maior, & Socij Visitatores deferant per Monasteria nostra, vt vniformitas sit in omnibus. Similiter de Antiphonis, Versiculis, Hymnorum verbis, & alijs in Capitulo Generali propositis. In Cantu autem commissum est D. Nicolao Bononiensi, & D. Lanfranco Cremonensi, qui examinent, & corrigant vt supra, & fiat vt supra. Ita quoque ante annos quattuor à prædicta sanctione statutum legitur in summo Senatu Portuensi: Dimissio Monasteriorum Portuensis Sancti Lazari, Tertij Ariminensis, Canoniæ de Cereto Sancti Archangeli fuit commissa Orosio, Ridio, Paulo Veronensi, Sancti Bononiensi, & Thomæ Cremonensi: adeo vt pateat quænam fuerint eorum dierum angustiæ, quænam discussio, & consultatio Congregatorum, qui etiam de loco, vbi consistebant, dimittendo hæsitabant, & quænam dilatatio spiritus deputatorum, cum adhuc insigniter vigeant ea loca in Congregatione præter vnum illud Ceretanum. Item in Actis Generalis Congregationis anni quadragesimi sexti apud Diuum, cui lingebant vlcera canes, sic legimus. Commissum est per Definitores Capituli Generalis Domno Paulo Veronensi, vt ipse

vt ipse examinet Ordinarium Romanum, & anno futuro tempore Capituli Generalis referat Patribus, quod ipse sentit, vtrum conueniat moribus nostris, vel ne; dehinc Patres definient, Vtrum a nobis debeat acceptari, vel refutari. Commissum est etiam illi, vt corrigat Tertium Librum Ordinationum nostrarum, & reformationes nouas, quia aliter seruatur nunc, quam antiquitus. Demum virginitatis florem integrum, illibatumq; conseruasse Christo Virginum capiti, eiusq; Intemeratę Matri offerendum, non in Congregatione modo ab ardentibus incentiuis satis segregata; sed etiam per triginta annos in sęculo inter innumeras occasionum diuersarum occasiones florente iuuenta, diebus malis applaudentibus, atq; Diabolo suadente, fama est iugiter perseuerans ab eius intime cognitoribus oborta. Quare mirum non est, quod etiam post eius decessum sancta quappiam deuotionis anxietate Breuiarium, quo ipse vsus fuerat, expetitum, & requisitum extiterit, ita vt in monumentis Synodi anni quinquagesimi tertij exaratum legatur. D. Iacobus de Foroliuio habeat Breuiarium pro suo vsu quondam Venerabilis Patris Domni Pauli Veronensis. Supersunt igitur eius ingenij, & pietatis monumenta

*Meditationum pijssimarum Passionis Domini Nostri Iesu Christi in plura Mysteria distinctarum.* *Lib.* 1.

*De Colenda Iustitia ad clarissimum virum Antonium Gradenicum Patritium Venetum.* *Lib.* 1.

*Epistolarum diuersarum latino idiomate scriptarum, abq; Timotheo Mapheo in vnum collectarum, & per libros, atq; classes partitarum post eius mortem Libros octo.* *Lib.* viij.



PAV-

# PAVLVS MALCHIODVS PLACENTINVS.





ADEM & Paulus Malchiodus Placentinus ęmulatus siue morum, siue linguę studia, superioris Pauli memoriam non reuexit modo posteritati; sed & meliore naturę talento in aliquibus fama superauit. Post longas tamen annorum intercapedines hic efflorere cœpit; qui nobili loco Placētię de anno quadragesimo secundo post sesquimillesimum luci editus, post alios quindecim ad Saluatoris Dei Castra secunda confugit. Non omninò vacuus vallum intrauit, qui feliciter à natura donatus, & industria grammaticali instanter munitus armis spiritualis militię tractandis, manum alacrem extendebat, vt obfirmato per solidas virtutes animo in Euangelicorum operariorum numero adscribi męreretur, veniret ue cum exultatione portans manipulos suos. Septennis palestra exercuit pugilem pugnacissimum silentio, asperitate victus, & vigiliarum, totiusue disciplinę claustralium in perfecta sui ipsius abnegatione. Cum tamen fręno legis, & consuetudinis cohiberentur ora; lingua nihilominus modulabat? suauiter nunc ritè culti Numinis, & ciuium supernorum laudes, nunc liberalis totius enciclopediæ arcana penitimiora sub elucidatoribus versatissimis. Quicquid enim subtrahebatur voluntariæ locutioni, id totum cedebat in commodum imparatę; ita vt pari incederent passu castigati adolescentis taciturnitas, & enunciatio. Modulabatur, inquam, quoniam eo suauissimæ vocis dono, eaq; pronunciandi gratia, ac venustate excidebant à proloquente verba; vt in citharæ, aut organi ritè pulsati modum resonarent. Nec minori lepore vrbanitates domesticorum congressuum condiebantur, si quando per arcti conuictus leges hos permitti contingeret. Benè verò exercita huiusmodi talenta, & in dies clarius promicantia dimiserunt properantius Doctorem Diaconum, & suggestui permiserunt ex Synodo Rauennatensi sub Gregorio Barbadico Tertium Generali. Neque præteribo in eadem sessione ad idem munus renunciatos Ascanium Martinengum Brixiensem, & Petrum Franciscum Riuam Veronensem, quos postmodum Respublica habuit à summo clauo; vt hinc intelligatur quantæ essent promotiones, quæ tantorum virorum nominibus consignatæ fulgerent. Coeunt tres viri in idem studium diuinæ glorię

propa-

propagandæ per maiorum ſemitas ex ſacræ legis explicatione oratores in populis; ſed non omnes perſeuerantiæ munere donantur in officio præſtando, prout non omnes pariformibus caracteribus effulgebant. Diſtrahuntur duo illi quidem per habenas Ordinis perpete curſu ex vno in aliud regimen ad vſq; ſummum euecti. Et licet non prorſus omiſerint prodeſſe verbo, prout præeſſe valebant; non tamen illud totis viribus valuerunt, vt cœperant. Et Aſcanius certè ſubſtituit linguæ calamum, quod ex Gloſſa Magna liquet. Vnus iunior Paulus, & qui præcocius iuuentutem ſuam ſubegerat pulpito, ad extremos vſq; dies alacriter vrſit incępta. Profectò emicuit ſuper illos ſub ipſis etiam initijs. Exercitatione autem profecit adeo, ut cum primis quorumuis Ordinum enumeraretur. Atq; hinc & eum proſequi, & illos manus dare, & quoquo modo pedem referre fortaſſe etiam accidit. Si qua uerò ratio noſtram olens humanitatem aliquando pupugit eius pectora ad fortiſſimè inſiſtendum, & ad pedetentim expugnandum apicem, ea fuit, ut patriæ laudem iam partam conſeruaret; quod nempe fœcunda eſſet parens oratorum Eccleſiaſticorum, qui aut quippe principatum inter alios tenerent, aut de illo penes æquiſsimos arbitros populos legitimis rationibus decertarent non ipſis quidem prætenſione elati ſpiritus, aut pronunciatione verborum, ſed eorum laboribus proclamantibus. Ita videbatur communiter viguiſſe primum in Calixto de Calceatis Concanonico, & Apoſtolico Concionatore, dehinc in Cornelio Muſſo Minorita Epiſcopo Bituntino per annos fermè ſexaginta. Properantē verò Paulum adhuc exempla domeſtica perurgebant. Quippe Theodoſius Burla idem ſtadium ab annis aliquot emenſurabat velociſsimo, valdeq; plauſibili curſu. Nec faces honeſtiſsimæ æmulationis extinguuntur, donec is aliò euocatur per negotia, & per ſalebroſas difficultates. Supra duos, & triginta annos continenter incudem prędicationis percutit, collimatq; errantium animos, & in camino verę charitatis aurum bonorum operum ſegregat à ſcoria, Inſubres pro maiore excolens, licet & Romanis, & Neapolitanis, & Venetis, & Florentinis, & Genuenſibus aliquas quadrageſimas dederit. Qui anni maximè vexauerunt Italiam penè omnem caritate annonæ ſeuiſsima, ij pę alijs capiti eius coronam impoſuerunt. Æſtu nanq; flagrantiſsimo egenorum cauſam ita prolixus habebat, vt ſiue dicens ſiue tacens nil magē oraret, & exoraret. Ad ſtipem pro eis conquirendam ipſemet deſcendebat peroratus, & toto ſudore diffluens, ipſe oſtiatim emendicare cernebatur antequam aſcenderet in ſpeciem cuiuſdam proluſionis dicendorum. Et quoniam aliquando contigit magiſtratum ei committi, monaſterij dotem aperuit tantopere, vt auaritia pręfractiſsimos non emolierit modo; ſed in minutiſsima pro Chriſti pauperibus perfregerit horreis patulis, & benignisſimè in

alimenta

alimenta distributis. Posuit quoq; virium, & industriæ pluris in Canonijs aliquibus moderandis. Quo anno Gabriel Flamma præficitur summo clauo Paulus renunciatur primus præpositus Sanctæ Sophię inter Beneuentanos. Ope, & beneuolentia Marci Antonij Columnæ Cardinalis accessio eius monasterij nostris rebus fiebat. Is enim qua erat in Dei cultum pietate, & in Congregationem à se eximiè protectam propensione præditus ab Gregorio Hierarcha exorauerat, vt in fiduciariam Abbatiam illam veterem, & sibi commendatam Ordo Canonicus, sub Præpositi gubernatione institueretur, redditibus aliquot pro mensa assignatis. Verum triennali cura à Paulo expedita inter angustias rerum inchoantium assuetas, locus à nostris sponte resignatur; siue quoniam in eadem Ciuitate ad Sanctum Modestum satis honestè pridem habitaremus, nec facilè daretur ob operariorum inopiam duas colonias ibidem deducere, & instruere, siue quoniam in transactionibus non conuenirent. Interim Columna aliam Pręposituram nostris rationibus, et instituto accommodatiorem in agro Reatino substituit titulo Sancti Pastoris, & post annos quatuordecim Regulares Canonici Diui Saluatoris de Bononia Clemente Octauo expediente Sanctam Sophiam inhabitant. Paulus verò positis Prælaturæ rudimentis præficitur per insequentia tempora nunc Parmensi, nunc Spoletano, nunc Mortariensi, nunc Placentino contubernijs, dum alij etiam conciuium Concanonicorum per omnem penè Congregationem disseminantur ad gubernandum sex, vel septem Canonias, & dum maiora officia ritè tenent Marcus Antonius Bagarotus, Theodosius Burla, Barnabas Gazola, Sigismundus, & Hippolytus Anguissolę. Sed in ea demum discussione, quæ sub Rouescala Generali executioni demandatur Cremonę ad sedandas conuulsiones, & paroxismos corporis politici, vt oppressa minora Collegia surrigantur, & ex æquo participentur officia inter dignos quoscunque nullo nationum habito discrimine; Paulus ex eorum numero fuit, quibus imperatum est magistratum deponere. Repentinum, ac forte medicamentum vt plurimos perculit, ac tetigit; ita non omnibus fuit aut probatum, aut salutare. Ex Paulo quamuis ressignato nullæ querimoniæ, nullæ difluunt obiectiones. Parata mens ad omnia, & æternitatem vnam contuens, metam subiectionis, & pręsidentiæ; in vtraque reperit solatium quietis, ac pacis. Ea propter non ille dissoluitur Congressus Patrum, quin iste prius publico honestetur virtutis testimonio socijs Zacharia Aplano Brixiense Philosopho, & Gregorio Regio Rauennate à Secretis, vt Acta illa referunt. Insuper post paucos menses ad Octauum kal. Decembrias iterato Abbatiæ restituitur ad Sanctam Mariam Calenę successor Barnabę Gazolę in eo munere vita functi. Atq; tum fuit, cum obuiam factus Ambrosio Pordano Rauennati viro non infimę eruditionis,

tionis, & sibi arcta necessitudine iunctissimo, vna ue secum in clade illa Cremonensi absoluto, ab eo audiuit, Tibi quidem, indemnitati, existimationiq; tuæ consultum est satis; ego verò iam pergo non reponendus: adeò quandoque varia sunt in eadem re hominum amicissimorum studia, vt is reponat cordi, quod alter flocipendet. Sed omnes per semitas nostras pergimus ad ingrediendam viam vniuersæ carnis. Breui omninò tempore hic, illeue decesserunt. Paulus quidem debitum naturæ soluit in ea ipsa Abbatia Calenæ anno sæculari postremum exacto, die Conuersionis Doctoris Gentium profesto occumbente iam sole inter manus, & officia Eugenij Donesani Carauagini, & Augustini Veronensis annos natus quinquaginta octo. Eo adhuc inter viuos agente per Congregationis Academias circumferrebantur, quę in concionibus habebat ad verbum, & ab eius obitu personarunt per diuersorum ora eadem ipsa commendatione, & non pœnitendo fructu. Quod integrum audiuimus reliquisse manuscriptum est,

*De Ionæ Prophetæ Vocatione, Fuga, Nauigatione, Somno, Confessione Proiectu, Sepultura, Euomitione, Prædicatione, & Querelis Libros Quinque Historicè, Moraliter, Allegoricè* *Lib.* v.



# PAVLVS PELATIVS LAVDENSIS.



AVDE Pompeia genitum laus publica excepit Paulum Pelatium, dum Paulum Tarsensem Gentium Doctorem, & Electionis vas prædicatione imitatus (quantum Diuis hominem comparare par est) omnem ferè Italicam oram, & adiacentes Insulas perlustrauit verbo, opere, & veritate. Illuxit Orbi Christiano Patre Benedicto Pelato Regio Senatore per ea fatalia tempora, in quibus tenebrarum horror cinxerat vndiq; miseros vitæ participes, tenebrarum, inquam, ex bellorum ingruentibus procellis enascentium, Gallo, & Austrio hinc tueri, hinc repetere iura Regnorum connitentibus. Enimuerò obsurdescant etsi vt plurimum aures concionatorum vocibus vbi clangunt bucinæ, obstrepunt tympana, & reboant tormenta maiora; fluebat tamen tanta oris suauitate mirificum mellos ex prædicantis sermonibus, vt non pararentur modo anticipata præuentione loca plenissimi semper auditorij, sed & opplerentur ad vnum. Nulla Prouinciarum Italicarum æquè direpta fuit numeroso, & contumaci milite, ac Insubria; attamen nullibi magè ecclesiastica illius tuba classicum insonuit aduersus ingruentia vitia. Consuetudo quippe exterarum nationum inuexerat, & approbauerat mala lethalissima, quibus & si non satis obuiaretur Prædicatorum, vtcunque excellentissimorum, pijs clamoribus; non minima tamen conferrebant ad catholicam doctrinam retinendam, ad disciplinæ ecclesiasticæ lapsus reparandos, atq; ad mores aliqua ex parte componendos. Mediolani per triennc quadragesimarum annexarum curriculum frequentissimam coronam tenuit. Papiæ item, Nouocomi, Derthonæ, atq; Placentię probatissimo nomine obauditus fuit. Nihil tamen ęquè contestatur sublimem viri facundiam, atq; commune illud apud Laudenses Canonicos ex traditione veterum acceptum, Ipsum nempè per tresdecim iuges quadragesimas Neapoli suggestum apud diuersas amplæ, & numerosæ Ciuitatis basilicas tenuisse. Quis enim aut non fatigaret coronam, aut non fatigaretur orator tanto sub onere, ni fœcunditate ingenij, soliditate doctrinę, suauitate eloquij flueret supra naturam, supra vsum. Hinc Cornelius Mussus Bituntinorum Episcopus illum Parthenopes Apostolum familiariter depredicabat. Ea propter vt augeban-

tur in

tur in eo virtutes, ac virtutum publica testimonia in dies, ita quoq; augebatur decus, atq; auctoritas apud Congregationis pręsertim Concanonicos. Militauerat in castris nostrorum Rex cohortium strenuissimus primum Philosophię, dehinc Theologię arcana reserando per priores virilescentis iuuentutis annos, cohortium inquam illarum, quę ad cathedras, & ad pergula confidentissimè enutriebantur. Ea propter aureolas annectens laureis siue vt eximius Theologus, siue vt eloquens concionator, siue vt Pręlatus solertissimè strenuus percucurrit omnium graduum Congregationis stadia commendatissimè. Alter ex Abbatibus illis Theologis fuit, quos Ordo Canonicus ad Generalem Synodum Tridentinam destinauit ex decreto Pontificio, vbi post Rempublicam Christianam pro viribus consulendo curatam vna cum Sanctissimis Patribus, peculiaria Ordinis commoda non vno suo incommodo protexit, obstinatè reluctantibus ex Monastico instituto versatissimis, & factus est omnium iurium vir, vt vnum Ius de Primatu Canonico tueretur. Sic qui causis enascentibus inseruiunt, etiam ex tempore proportionatas inducunt personas. Maturato Concilio ad domesticas reassumptus est occupationes. Anno septuagesimo eius sæculi Marco Antonio Bagaroto Moderatore supremo renunciato, primus ei collega Visitator assignatus est vna cum Sixto de Rhenis, cuius quoq; doctam solertiam in eodem Congressu Tridentino sociam habuerat. Lustratis familijs per censoriam facultatem quadriennio post summo clauo pręcificitur Dictatorea Maiestate conspicuus, qui honos vt in Regularibus Rebuspublicis nil superius agnoscit: ita quoque ad exornandā supremam virtutem confertur. Proficuam opem vniuersis Canonijs contulit exemplo præiens subditos, vt præibat dignitate, ac meritò; potissimè verò enituit in curandis ijs, quæ ad firmandum Monasterium apud proprios conciues attinebant. Obtinuerant quidem maiores nostri Ioanne Galeacio Insubrum Duce deprecante, Sixtoq; Quarto Ruuereo conferente propè Laudem Pompeiam Monasterium Sancti Bartholomęi dudum Ordinis Cruciferorum Ardicino de Zurlis Priore cedente anno octuagesimo quartidecimi sæculi. Verum sexanaria inhabitatione expleta, sub muniendæ vrbis prætextu, quod nimium mœnibus propinquum iudicaretur, cum Ecclesia ipsa à fundamentis solo æquatum est: atq; inde Canonici sese intra Ciuitatem colligentes per quinquennium in priuatis domibus sub ærumnosis incommodis constanter permansere. Disponente autem Deo, ac prætangente corda anno quadragesimo quinto supra millesimum quingentesimum Petrus de Maliochis, pius, venerabilisque Sacerdos parochialem Sancti Romani Ecclesiam, quam in titulum possidebat, resignauit in manibus Pauli Summi Pontificis ad effectum transferendi in ea prædictum Sancti Bartholomæi Collegium, cessionem, & translationem

admittente, ac firmante Pontifice. Quarto tantum nactus occasionem Paulus sedulitatis charitatis, œconomiæ, virtutumq; omnium exempla mirifica, & proceribus, & populo probatissima exhibuit siue in ministrandis Sacramentis, siue in frangendo e suggestu prædicationis pane. In sarciendis verò atq; in formam regularis domicilij redigendis inhabitationibus licet indefesso labore contulerit plurima; non tamen ea præstitit, quæ restrictam domum excederent siue ex animi austerioris electione, siue ex situs penuria, non certè ex animi in Deum erecti celsitudine, quam in cæteris, non vnoq; in loco patefecit. Quippe in Actis capitularibus Anni sexagesimi secundi post sesquimillesimum inter alias concessiones sic legimus,, Conceditur capella Patri Domno Paulo Laudensi in Ecclesia Sancti Romani Laude sub titulo Deiparæ Virginis Mariæ ad Niues pro cuius constructione, & ornatu soluit eidem Monasterio libras imperiales septingentas quinquaginta, ac dotauit duobus alijs millibus libris imperialibus implicandis in tot bonis stabilibus, cum hoc tamen pacto, quod etiam extincta familia dicti Domni Pauli alijs non possit concedi, sub onere celebrationis missæ quotidianæ pro remedio animæ ipsius Domni Pauli, parentumq; suorum, & proximorum consanguineorum, & quorumcunq; quocunq; nomine debitorum ad Deum. Item aliæ duo millia libræ, quæ persoluuntur ab ipso Domno Paulo Laudensi pro celebranda alia missa ad altare maius in dicta Ecclesia, implicentur in tot bonis stabilibus cum supradictis. Bona hinc fuere initia, ac satis accommoda ad futuram aliquam messem, cum sub temporalium exteriore lenitiuà cura spiritualium in populo expiscaretur interiores profectus, Qui verò alios salutaribus incrementis prouehere satagebat, tantus ipse euasit ætate iam declinante, vt vniuersa mundi iam contemneret, ac nihil omninò vel pararet, vel loqueretur, ac meditari posset, quam immortales delicias. Quare maturissimo senio, ac nobili pridem adepta fama venerabilis, summo in pretio apud Conciues habebatur. Dum feruida ætate spiritus incalescerent, adderetq; stimulos meritus amor in Congregationem, scripsit aduersum Heremitas quosdam, qui fœditer, & iniquè Ordini obiurgabant, nonnulla, quæ, dum ad Cœlum Aureum Ticini studeremus, inibi conseruari vidimus, stylo quidem præ cæteris ex cura latini candoris commendatissimo. Rem Serenius noster in hunc modum refert. Agebatur annus Salutaris quadragesimus supra millesimum quingentesimum cum ingruente festo Sanctæ Catharinæ Virginis, ac Martyris Canoniæ Diui Petri in Cœlo Aureo Papiæ Vicarius inter psallendum placida, submissaq; voce conquestus est, Officij pensum celeriter nimium persolui, obnixè rogans, aliquanto morosius, decentiusq; diuinas modulari laudes, non adeo cursim. Quod sic molestè acceperunt Venerabiles

nerabiles Guglielmitæ, vt in furias, ignemq; ruerent omnigenisq; probris, ac conuicijs Canonicos nostros afficientes, nec violentis manibus abstinuerunt quosdam enim impegerunt, alios etiam petierunt lapidibus Ecclesia tumultu completa: Canonici haud facilè se subtraxerunt supernè auxilium implorantes. Illi Palladem sibi propitiam experti, tantundem de Minerua præsumentes postridie in Canonicornm dedecus contumeliosas tres conclusiones propalam triuijs, ac palestrarum angulis, non quidem manè (confutationem extimescentes) sed cum iam aduesperasceret affixerunt, scilicet vt elapso intimato disceptationis tempore scholarium ludibrio pateret existimatio nostra, tanquam indefensa. Non defuerunt pij ciues, ac patritij, qui facti insolentiam execrati chartas muris decerperent ad nos deferendas. Sed quid facere Canonici? Quid Consilij capere? An reuocare diem poterant, quæ præterierat? Fortè illic hospitabatur adolescens Paulus Benedicto Pelato Regio Senatore genitus, qui Philosophiæ studens ad Diui Petri Cremonę, ex Padana aeris crassitie parum firmam contraxerat valetudinem, Papiamq; transmissus fuerat suauiore aura vsurus, qui vt erat ardenti ingenio præditus, & ad virtutem præcoci, Theses barbarismis, & incongruis locutionibus scatentes admiratus, Baccalaureorum inscitiam naso suspendit adunco: tum ad circumstantes bono animo, ait, estote, viri Patres, Aduersarij proprijs telis conciderunt. Iniuriæ, quibus nos exulcerare adnixi sunt, illis conuersę sunt in arcum prauum. Vnum deposco, vt mihi omnium minimo retundendæ hominum temeritatis prouincia relinquatur, non quidem circulari congressu, vbi verba ventosa non habent finem, sed calamo opprobria in Conuitiatores egerente. Acquieuerunt annuentes, neque enim par erat periculo lucrum, si Doctor, aut Licentiatus eiusmodi deliramenta refellenda susciperet. Ille verò eadem die, quę fuit vigesima septima, responsionem sed verius commentarium exorsus absoluit. Sequenti luce traditus confutationis Codicillus chalcographo, & in crastinum receptus, die tertia patulus in foro, inq; basilicarum valuis prælo excussus. Et ne calumniæ imposturam criminarentur aduersarij, apposita erant eadem Conclusionum exempla Cursorum, ac Regentis manu conscripta, quæ nudius quartus parietibus detraxerant beneuoli. Annis verò, & doctrina firmior dum ex pergamo suis Laudensibus Paulum Apostolū Italicè interpretaretur cōfluente etiam in diebus feriarum ad statas horas populo; scripsit latinè super omnes illius Epistolas lectiones vberes quarum etiam pars maxima in Canonia Diui Romani adseruatur.

*In omnes Diui Pauli Epistolas Commentaria per lectiones digesta*

*De Christi Domini Monomachia Tractatum vnum.*

*Admirabiles amores, in quibus de Cruce, & Passione Domini Tractatum vnum.*

*Pro Ordine Canonico contra quasdam Conclusiones Eremitarum Defensio breuis,*

PAV-

# PAVLVS PHERVPHINVS ALEXANDRINVS.





VINQVAGESIMI tertij anni Synodus ab reformato Frigdionariæ Ordine de vnienda agens Sancti Andreæ Vercellarum Canonia, statuit, Vt sub certa conditione acceptetur secundum quod melius videbitur Priori Mediolanensi, Domno Dominico Pheruphino, & vni Prædicatori ex nostris, quem Rector Generalis deputauerit. Porrò Dominicum hunc non solo huiusmodi testimonio Supremi Senatus benemeritum arbitramur; sed magè quoniam siue hortamentis, siue exemplo Paulum Pheruphinum Congregationi adiecerit, conuersio cuius excessit assuetudinem ingredientium septa regularia, prout & virtus eius omne excedebat, quod ordinarium saperet. Quis verò non admiretur diuinæ arcana misericordiæ? Quis non adoret altitudinem diuitiarum sapientiæ, & scientię eius, cuius sunt incompræhensibilia iudicia, & inuestigabiles vię? Per semitas omninò diuersas longum ille peregerat iter vitę ab eo, quod futurum tandem in fatis de se scriptum erat; cum receptui cecinit. Tunc verò receptui cecinit, cum mundanę glorię apices honestiores contingeret, afforentq; in ianuis sperata diu gloriosi laboris pręmia. Abduxerant pridem fulgores aulę nobiliter Alexandriæ Insubricę natum, & enutritum ad sectandas semitas patrum suorum illustrium iam diù pacis, belliq; artibus in conspectu Vicecomitum Principum. Et licet diuersa in eo essent naturalia dona in solicitudinem religiosam propendentia, placidum genium, facilis natura, complexio ęquanima, eloquium velox, & suaue, pietatis ardor, & auuersio ab strepitu; non ideo tamen pręualuere, nec impetum auuertere inundantis iuuentę. Instruxerat ille adolescentiam, expleueratq; auidam mentem pretiosiore quaque suppellectile intellectualis, ac memoratiuę potentię, nulli parcens labori, atq; vigiliæ, vt omne tolleret punctum, & quamlibet excederet metam. Hinc locuples omnis politioris literaturę, philosophicarum disciplinarum, iurisq; scientiæ supra diuitem, auitamue fortunam, Philippo Maria Principe accersente Mediolanensem regiam diù incoluit. Splendor nullus in eo defuit ad cultum aulici eximij necessarius, quoniam præter supradicta dona, ab initio statim aggressę curię ad magna pertractanda deputatur, negotia Vrbis,

& Pro-

& Prouinciȩ plura ſententijs eius delegantur: atque ex his iam notior, iam gratior, iam probatior factus, Principis familiaritate donatur, & per illam inter conſiliarios aſſumitur. Prudentiȩ vires in eo erant penè vaticinio pares, quibus innixus in coniectando rarò fallebant ingenium aut negotia, aut fines, aut media, vel exordia. Eapropter, qui potioribus adhuc e ſedibus conſulebant, & iura regni miſcebant adminiſtri potentiores ſicut ſȩpius ab ore pendere, & ſententias probare cogebantur; ita ȩmulatione diſrumpi, aſtu, calliditateue agere nunc laudatores in ſpecie, nunc inſidiatores non ceſſabant. Princeps ipſe facilis, & natura ſuſpicioſus, morbo etiam non vno, & varia euentuum fortuna foris, domiue pace, ac bello exagitatus; honeſtis, atq; grauibus admittendis conſilijs impar, vix locum innoxio, ſolerti, atque fideli tuebatur. Hinc cȩpit ille primum vela colligere, atq; portum meditari, vt meliore tandem aura ſpirante fluctibus tantis, tamq; fallacibus ſubduceret ſe. Dum verò negotium digerit, rerum ſeries conuertitur, per tecnas aſſuetas mundo ſtruente perditionem. Nam qui impotentia preualebant de gratia Ducis labuntur, alijq; ſurgunt Pheruphino iunctiſſimi neceſſitudine, atque opinionibus, ipſumq; gradus eminentiores obuiant. Blandas autem is pollicitationes reicit forti animo, & conſtanti; quin celeriore conſilio vtens, meditata, compoſitaq; nobili fuga, ad Caſoretanam Canoniam ſecundo vix lapide diſtantem aufugit. Decus fœderati ad ſacra caſtra viri remanet illibatum vel Simoni Aliprando, vel Ooſio de Oxio, Prælatis Canonicæ Ariſtoctatiæ, & Declamatoribus Ciſalpinæ Galliæ ea tempeſtate illuſtribus, & ſanctitate vitæ conſpicuis. Quam opportunè verò ſtationem adierit, & quam prudenter, declarauere non diù poſt inundantia aduerſa, tanti vtique ponderis, vt nihil omninò remanſerit inter ſublimia officiorum, & dignitatum integrum, ab Vicecomitibus in Sfortiadas commigrante ampliſſimo, & Regnis coequando Principatu. Ab ſpecula interim obſeruabat ipſe, Deoq; rependebat grates immiſsi ſpiraminis, & expletæ vocationis diuæ. Amplexus eſt autem nouum vitæ genus totis plenè prȩcordijs, & veteranus ipſo in tyrocinio apparuit, cum poſito aulicarum pomparum ſenio ad primigeniæ virtutis decus iuueneſceret. Nec cedebat in alterum gloria conuerſionis tantæ, quam in benignisſimi Numinis flagrantisſimas faces, quarum efficaci incendio decocta ſcoria in purisſimum aurum colliquefiebat. Claſsicum quidem in omnia cecinit vitia, cum primis verò colluctationem ſumpſit aduerſus ſui ipſius exiſtimationem, à qua fortius vrgeri ſentiebat. Hinc vilioribus, abiectioribuſq; omnibus exercitijs Canoniæ manum apponens præcipuam, in tantam ſui ipſius deſpicientiam deuenit; vt nullus omninò eſſet, qui antea: & parta feliciter priore hac victoria, lætus poſtmodum in cȩteris exultauerit ſemper ſpiritus eius in Domino. Impensè verò, & mirabantur, & edi-

& ædificabantur quot quot de proximo emporio confluebant ad Virginem deuotissimam Casoretanam, cum virum tantum ętate venerandum, gestis magistratibus, & auctoritate commendatissimum, legationibus ad Reges functum, oracula magis, quam iura declamatum, ad tantę abiectionis ima humiliter declinasse conspiciebant. Compares antea ipsi vix fidem habebant oculis, & beatum dehinc abeuntes deprædicabant. Felicia profectò tempora, in quibus & feruor primorum illorum Patrum secessus Frigdionarij integer perseuerat, & disciplinę zelus ex pręceptoribus in alumnos incontaminatè deriuat. Cum verò procedit ad concionem, qui non cientur pietatis motus? quæ non abiguntur animi mala? Iam pacis suauitate regio fouebatur, Francisco Sfortia Mutij Attenduli filio rebus potito, atque ideo aures, cordaue patebant monenti, atq; pendebant ab ore. Vna ipsa viri qualitas vndique nota animos mirificè parabat, in quibus verbi character impressoria ceu infigeretur manu. Ab honore pulpiti procedit ad tribunal Prælationis vel illubens, ac penè coactus. Porrò quinam tantam damnasset angulo domus virtutem? Censor primum instituitur de anno sexagesimo primo eius sæculi ad sesquimillesimum declinantis Hieronymo Barisano Taruisino Generalem Præfecturam administrante. Officio is se præstitit, qui meruerit quadriennio post Secundum assumi, eodem Barisano principante: & anno expleto in huius vices Rempublicam gubernauit e summa specula. Tertium autem Antistitis Generalis munia obiuit ab sexagesimo sexto, vsq; ad septuagesimum quintum annos inter grauissimam, illam Ordinis tribulationem, qua violenter Laterano pellimur per popularem impotentiam nonnullorum Sede vacante per decessum Pauli Secundi Pontificis Maximi ad septimum kal. Augusti, excitata seditione, tumultuq; ab sæcularibus Canonicis de eodem Patriarchio amotis. Et licet Pheruphinus, Mapheus, Rizzolius, Barisanus, ac Bossus ex nostris viri inclyti pluries institerint Sixto Quarto in defuncti locum electo, suppliciterq; petierint, ut contra ius, & fas, atque per solam uim, & de facto expoliatos restitueret in hæreditatem Patrum; nil tamen obtinuere, dum ille quidem verbis annuit, sed haud re perficit ipsa. Vnicum adfuit męstis solatium, ita Domino desuper placuisse, in cuius misericordiæ manibus sunt vicissitudines, quiue congruentem scit temporibus suis exhibere, cuiq; facto medicinam. Vixit post resignatam postremo primi Patris sedem Pheruphinus annos tres, diem clausit extremũ apud Bononienses, dum Montanam Euangelistæ Ioãnis Canoniam moderaretur. Basilij Serenij curiosa sedulitas inuenit apud Antonium Aularium Alexandrinum sequentes Commentarios manuscriptos, quos nos Papiæ aliquando ab eodem Serenio acceptos legimus,

*De Apparitionibus in communi Librum vnum.* Lib. I.
*De Apparitionibus Sacræ Scripturæ Libros duos.* Lib. ij.

PAV-

# PAVLVS SILVIVS NEAPOLITANVS.



XPEDITÆ linguæ, expeditiq; calami fæcunditatem sortitum Paulum Siluium Neapolitanum testati sunt, qui penitimiore praxi virum agnouere. Nos eius aliqua de more libabimus, quæ siue fama teste plurimorum superstitum, siue relatu eius quondam morum magistri, cuius proximè nomen reddetur, didicimus. Subiecit se Canonicæ normæ cum ageret annum vitæ sextumdecimum adolescens probè educatus, & probæ expectationis, cuius vadimonium reponebant benè parta dona illi ætati congrua, siue quæ naturę essent, siue quę artis. Erat annus octuagesimus supra sesquimillesimum, & Pręlatura Collegij Criptani propè Neapolim exercebat Ludouicum Maioranum Grauinatem, cui demandatę fuerant vices nouum conuictorem aggregandi per habitus impositionem. Est Collegium illud prȩclarum inter cętera, tum quia Deipara Virgo, cuius nomini sacrum est, ibi iugi gratiarum, & miraculorum imbre per sanctam sui imaginem misericorditer irrorat implorantium animos, & corpora, atque ideo frequentissimo procerum, & populi concursu reuerenter aditum; tum quia ora illa inter delitiosiores non Ciuitatis illius modo amęnissimę, sed & totius Europę meritò enumeratur, quod sat sit attigisse. Ludouicum verò tanta, tamq; pręclara commendabant vtriusque hominis signacula, vt vix melior appareret ex nostris Dux, qui nouellos athletas exercere in agone Canonico posset. Doctus, pius, idem & seuerus, ac facilis tum demum ex Censorea dignitate ad illam Pręfecturam deportatus. Quare pronum fuit ex vtroque capite solemniter ingressum iuuenis celebrare, & benè tantum certamen auspicari. Neque minora ab extimis postulabat adminicula feruidum ingenium, ac ferox, & suopte natura, & ętatis titilamento. Cicurem alumnum reddere, & conuictus, & Athanasij Mondragonensis agonothetę partes fuerunt. Sed potior Siluij cura extitit se totum, quantum caperet, ad ideam sui prępositi Ludouici efformare, quem sibi, atque alijs insigniter prelucere cerneret omnis Canonicę virtutis exemplo. Haud tamen assecutus est tantum prȩeuntem in ijs pręcipuè, quę naturę domituram spectabant, neque tum in tyrocinio, neque postea inter veteranos enumeratus: fortè quia non omnibus datum

est Corinthum adire, aut quia non ex omni ligno fit Mercurius, seu magè quia vnus, atque idem spiritus diuidit singulis prout vult. Rectè virtus in arduo, vt eo neque facilis omnibus, neque promiscuus accessus pateat, sed tantum fortibus viris cum sudore, & anhelitu. Quod si fluxę mortalium diuitiæ, e putri telluris gremio præsertim effossæ, anxiè adeò terra, mari, morte, ac naufragijs queruntur, & non nisi duro labore, & pertinaci abstinentia cumulantur, ac sensim exurgunt; cur non habeat immortalis virtus pretium suum, adipiscendi difficultatem? Valuit verò satis exemplar ad intellectualium assecutionem curandam, tum enim fundamenta iecit præualida ad quodlibet etiam præ grande ædificium sustinendum. Exercitationes quippe imperatæ, voluntariæq; perpetes erant: vt extemporaneę Neophiti quique alloquerentur in speciem concionis Patres cibo ex mensa congregatos: vt in diebus remissioni animorum datis præcepta politioris Italici sermonis conferrent: vt magistro quaternas in die clepsidras adstarent rethorica, atq; dialectica promenti. Quare pronum fuit cætera stadij scholastici metiri minore labore, maiore fructu, atq; post factam facultatem ad conciones, verbum fidei, salutis ue populis annunciandi solidè magis, magisq; concione. At verò sibi silentium ipse indixit ab munere post sex annos, vel octo. Nunquid solitudinem pręposuit actuoso comertio? Certè paucis actis peregrinationibus reuertentem pęnates excepere non vltra restituendum. Per binam fermè annorum decadem Clauiger ad Aram, Virgoq; Criptana abscondit virum, si clausum licet illum appellare, qui in Literatorum luce appareret conspicuus medijs ingenij fæturis scelectioribus, & per omnem prorsus fama defferret Italiam. Cecinit primum, vel fleuit? heroico Italico carmine Magdalenam pœnitentem, cuius plures fuere Typographorum æditiones, & cuius laudes iuditio æqui censoris reponimus. Dehinc ex carmine ad orationem pedestrem stylum transferens descripsit Sacratissimæ Crucis Dominicæ Symbola, quæ ex Sacris literis veteris, nouæq; legis scelectiora habentur numero septuaginta. Opus nobile, atq; spissum fuco nullo, sed soliditate doctrinę concinnatum. Atque vtinam diuturniora illi contigissent tempora, vt illud ad exitum vsque perducere, & cętera, quę elucubrasse ipsemet contestatur in præfatione prędictorum, calcographicæ tradere potuisset. Debemus hæc vltroneo exilio, & seruitio apud sacellum pijssimę Virginis Gratiarum extra, & prope Cryptanam domum præstito. Ibi enim à cæterorum conspectu liber diù cum spiritalibus nequitijs Deo iudice decertauit, fefellitq; horas melioris exercitij vacuas docti calami ministerio, quem vna charitas proximorum animabat, & desiderium æternæ salutis, vt ex operis Sacro li quet Vni, Trinoq; Deo facto, & ex præallocutione legentium. Per quæ tempora semotionem haud dilexit, erat in colloquiorum

fami-

familiaritate sermonis potens vsque ad stuporem, nouorum etiam atque maximè significantium vocabulorũ inductor, & efformator, praecipuè dum abusiones damnaret, ac insectaretur, & in vitia inueheret, vel in abdicatos à fidelium consortio. Concepto nanque calore animus irrumpebat exagerans tanquam à suprema aliqua virtute afflatus profligator. Quod verò aliquando videretur limites excedere diuertens ad minora, neque illo spiritu, ac pretio digna, ideo sibi volens imperauit abscessum, & exorauit à ductoribus, ne vno fluxu confunderet vltra delicta, & delinquentes, quibus benè pręcari pro emendatione satageret. Ciuilis eius solitudinis domicilio profuit plusquam vno capite. Primum in prouehendo Numinis, & Reginę Gratiarum cultu; Deinde in iuuanda confluente multitudine verbo pariter, & exemplo, Demum in fabricę mediocris religioso ornatu. Decessit sexagenarius anno vigesimo quarto huius sęculi curatus, & in morbo, & in funere à Celso Marticella Priore. Scripsit sequentia.

*Magdalenæ Pœnitentis lachrymas Heroico Poemate Italico decantatas ad Aloysium Carrusam Stiliani Principem, & Equitem velleris Aurei. Neapoli apud Constantinum Vitalem Anno 1609. Lib. 1.*

*Symbola Sacratissimæ Crucis D.N.I.C. ex Sacris Scripturis per egregios discursus elucidata, duobus Voluminibus numero quatuordecim compræhensa. Neapoli apud eundem Anno 1621. & 29. Lib. ij.*

*Symbola eiusdem Sacratissimæ Crucis vsq; ad septuagenarium numerum, quorum nota redditur Tomo primo manuscripta.*

*Commentaria in Canticum Canticorum Latina manuscripta.*

*Conceptus Miscellanei, siue Sylua Conceptuum Sacræ Scripturæ manuscripti.*



# PETRVS BAGNARIVS IMOLENSIS.





NON modicè honestum, valdèq; decorum arbitramur, virum illum ad lucis radios reuocare ab tenebrarum obliuionis atro, qui de lumine ipso, de ipsisq; tenebris benemeruisse visus est, exaratis de vtriusque eorum virtute, qualitatibus, & origine tractatibus; vicesque probas rependere per calamum tametsi rude, penicillo elegantiore illi, qui in commune Ordinis beneficium exprœssit ornamenta varia Canoniarum, & Sæculi. Sunt nanque ij, quibus ex corde labores ponimus; quo pacto, & illos nobis laborasse commodo nostro in dies experimur. Neque remoratur digitorum, dictantisq; mentis obsequium, Picturam, cuius potiora sunt viri opera, inter supremas non recenseri artes. Licet enim manuum exercitationi potissimum hæc innitatur, illiberalisq; propterea ex communiore sensu; nobis tamen (cum artifex ad apicem illum ascendit, cui præstantissimi quiq; suspirant, artisq; perfectio est) liberalissimum omninò videtur, Pictorem pluris facere talem, quam Rethoricum, quam Dialecticum, quam Philosophum communia non excedentem. Bagnariū verò perincessisse cacumina, ipsa ex se se opera proloquantur, encom'aue, quibus ad quamcunque diem ab inspicientibus exornantur. Vehemens naturæ propensio calamo, atramentoq; ludebat sub manu pueri gymnasia grammaticalia frequentantis, qui sicut per singulos dies ingenio fœcundabatur, sic & meliora reddebat nemine præeunte effecta Id autem eo pretiosius esse cernebatur, quoniam non adhuc intra Ciuitates quidquam conspexisset, à quo fantasmata excitari potuissent ad imitandum, æmulandum ue: quippe qui natale solum ad Bagnariam Fori Syllæ, quod Imolam dicunt, Castrum, alioquin non ignobile, habuisset. Vitalis Mercati Rauennatis optimi Sacerdotis, negotia Portuensis cœnobij fortè fortuna ibi quadam die pertractantis, ardens cohortatio abduxit ingenuum ab penatibus ad Imolenses. Coniectauit enim ad virtutem non segniter processurum adolescentem, si fouerentur ea naturæ munera per bonæ disciplinæ ductus, & alimenta. Solo sesquianni spatio apprehendit quicquid in artificum eius Ciuitatis officina pictoria asseruabatur siue pretiosum, siue vile, tametsi gymnasij literarij exercitationibus saturaretur. Vis maturioris

rioris iudicij, reluctante licet ætate, non eum deseruit, ab cuius expeditiore tutela didicit, aliò commigrandum, si quid exquisitum sibi acquisitum vellet in arte. Quare breui, faciliq; & itinere, & negotio proximam adijt Bononiam, gloriosum omnium omninò artium, scientiarumq; emporium, in quo prorsus aperta tot inuenit Gymnasia, eius quam diligebat facultatis, quot Numini Summo, quot Diuis dicatæ Basilicæ, quot Senatoribus, opulentisq; ciuibus erecta essent, inhabitata palatia. Artem solam primo aggressu magistram habere, nullum artificem voluit, qui obseruatione, imitationeq; dirigeretur, colorum molituras, humectationes, mixtiones, temperamenta ex paucis illis, quæ apud Cornelianos didicerat, per se se diligenter disquirens. Erectus profectò in iuuene conatus, grandisq; patientia. Verum cum sibi ipsi ex studio huiusmodi non faceret satis, qui progressiones proprias ex temporis contritione, & elaboratorum exitu prudenter mensurabat; alijs se dirigendum, instruendumq; permisit, eos obsequio, subiectioneq; perenni deuinciens, quorum magisterio egere, proficereq; dignosceret. Annos ita insumpsit aliquos discipulus quidem ætate, & conditione; at operum æstimatione, ac pretio habitus ex præcipuis inter magistros, diuturniorq; futura eius perseuerantia erat, nisi excitator desuper eius, quasi de somno excitati moras abrumpisset. Sęculi licentia, morumq; corruptela sensim inuexerat, vt ad oculorum illicia, & sensuum titillationes non nisi vana pennicillis darentur exprimenda, quin ruptis modestiæ honestatisq; repagulis vt plurimum ab pictoribus non nisi nuda exquirerentur corporum, fabulæ antiquorum poetarum, aliaq; istiusmodi generis, quę silentio contegere decet. Pluries de ijsdem eformandis requisitus Bagnarius, & eo acriore vrsione, quo elegantius exprimere illa præ multis rerebatur, pluries reiecerat, pluries admiserat exorata, victus nunc prece, nunc pretio, nunc imperio magè, quam genio. Sed cum eorum nunquam finis, reluctante animo, extimulante conscientia, repræhendentibus confessarijs, meliorisq; notæ amicis commonentibus, sanxit manui omnimodam abstinentiam, penicillis vstionem, coloribus ventum, arti exilium, si laberentur. Quare cum ab permissis moralibus ad pia, superhumanaque concipienda, & ideanda paulatim ascendisset; exercitio illorum natiuam probitatem in secretiorem, sacratioremq; vitę formam irritari, rapi, abstrahiq; sensit. Vale itaque dicturus sæculo post aliquot menses in re deliberanda benè digestos, eundem voluit consiliarium Vitalem Mercatum ad futura certamina, adq; noui hominis in se ipso exprimendam effigiem, quem directorem ad alienos vultus, actusque reddendos habuerat. Aperuit religiosissimus Antistes confugienti non os solummodo prudens ad consulendum, sed & pijssimum ipsum sinum, calentiaque præcordia ad recipiendam, confouendamq; inno-

xiam

xiam adhuc, vt apparebat animam. Inter Canonicos cooptatus literarum quæ sepofuerat ſtudia reaſſumpſit, vt nouæ ſcenæ nouam ageret perſonam. Sentiebant quidem receptores eius non modo abſq; crimine, ſed & adhuc ad coronam poſſe illum arti ſecum inuectæ operam dare; ſed receptus potiora præpoſuit, ſatis fiduciæ concipiens, licet iam penè trigenario, non ingratè ſibi deglutiendos eſſe labores. Ardens voluntas, iuge ſtudium, ingenium præſens, profitentium charitas, Cælitum directio iuuere virum, vt exacti quadriennij mercedem acciperet, Naturalis, Diuinæq; Scientiæ doctoream. Proceſſit eo pacto Sacerdos inſtructior; & ad futura quæq; vocationis munia paratior. Curæ, quorum ſe transfigi aculeis acrioribus ſenſit, circa prædicationis opus exercendum extitere. Talentis donato communibus, iuxta natalis ſoli natiuam facundiæ reluctantiam, ſatis fuit pagos, caſtraq; aliqua non remotiora pro concione tenere, de quorum animabus ſatagebat in morem verè religioſum, catechiſtam etiam de ſuperiore loco magis agens, quam concionatorem, Nemo lætior illo erat cum exactis Paſchalibus feſtis ad propria redibat, ſi computatis lucris apud rudes populos ſe quidpiam profeciſſe cognouiſset. Eius anni ſacrificia libera, voluntariæq; macerationes plurimæ illis adiciebantur, vt Superos ad mala declinanda propitios haberent. Reuiſebat etiam in ęſtate proximiores, non ad ſtipem, vt aliquorum moris eſt, corrogandam, ſed ad illos animandos, in bonoue confirmandos, & aure, lingua, manu iuuandos ita, vt cum iam ad ſenium declinans pedeſter per regionem incederet, obuias, comitanteſq; haberet cateruas ad celebriora pietatis luſtranda foranea loca, aere in cælitum laudes perſonante. Inter hæc pictoriæ cogitata non ſepoſuit, Deum enim in donis ſuis liberaliſſimum collaudans vitio vertiſſet ſibi munus efodere; nec per tranſennam, & ad leuamen animi ſub Ordinis oneribus preſſi illud pertractauit, ſed ex propoſito, & ſecundum hominem totum. Plura hinc dedit præſtantiſſima, quæ Romanos proceres tenuere plurimos, Religioniq; conciliauere diuerſimodè. Aliqua tantummodo nobis ſat erit recenſere ex ijs, quę ad Canonias exornandas maturauit. Bononiæ in æde Diui aſſati Leuitæ martyris ad altare maius pro Canoniſſis Ordinis ex potiore eius vrbis patritiatu aſſumptis, & tunc ſeueriorem Congregationis diſciplinam cuſtodientibus iconem reddidit de anno quadrageſimo ſexto proximè elapſi ſæculi, quę adhuc perlaudata ſupereſt. Patauij in triclinio Viridariano dedit Iconem Almam Deiparam, Præcurſorem Baptiſtam, Aureliumq; Auguſtinum referentem, in qua Ioannem Bellinum ęmulatus, qui opere ſimili iam pridem Venetæ Charitati triclinium exornauerat, vmbris quodam modo ſolis, quod clarum obſcurum dicunt, penicillum infecit. In eiuſdem Canoniæ Baſilica pro ara media ad dexteram ingredientium expreſſit

Sacratiſ-

Sacratiſſimam Dei Matrem, cum infantulo Saluatore, cui ob nonnullos fructus afabrè redditos altaris cereſarū populariter nomen impoſitum fuit. Pictura hęc adhuc ſuperſtes eſt, & collaudata, prior illa ex aula comeſtionis ſublata tum fuit cum Cherubinus Beterius Brixenſis Abbas Viridarianus nouam magnificè ſuperinduxit ad horum dierum abſolutiſſimam ideam factam manu ſuper admirabilis Alexandri Patauinini. Porrò hęc eadem pictura tametſi non multę molis; occaſionem prępſtitit auctori, vt calamo aduerſus ęreas voraciſſimi temporis molas decertaret, atq; ſe non modo pictorem, ſed & (ſi quid Gymnaſijs didiciſset) philoſophum profiteretur. Cum enim, quę humanarum rerum conditio eſt appoſita ad aram tela non omnibus omnino faceret ſatis, laudatoreſq; concurerent plurimi, detractatoreſq; & ſi pauci non deeſsent, quia bene ſcribitur,

*Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus,*
*Velle ſuum, cuiq; ineſt, nec voto viuitur vno.*

Accidit aliquando, vt eo pręſente Doctor quidam ex publicè profitentibus diuerſa in ea proſcriberet tanquam aduerſus principia artis, & exprępſſa, longoq; verborum faſtu, pictor, abſq; digitis Catheruam, qua ſtipabatur, auditorum Dialecticorum inſuccaret erroneè. Modeſtiſſimus auctor rubore ſuffuſus primo opus ab penicillo ſuo profectum profeſſus eſt æqui, boniq; conſulturus monita lunam non attingentia. Sed cum adhuc calumniator proſcinderet fortè ex aliena manſuetudine animoſior factus, ſemel patientiam deponere coactus ad eius præceptum qui dixit, Reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſse videatur; reiecit obiecta ſingillatim ſolidè, præſſeq;. Verum aduesarium inuenit nominis tuitioni magè, quam veritatis inuentioni addictum, ſophiſmatiſq; ſtudentem, atq; ludentem, & quod talium eſt, captioſè, contentioseq; reluctantem, quibus genium regionis natiuæ in Petro excitauit, vt reciprocaret non conuitia, ſed obiecta. Quare cum ex præſentibus ad alios concertatio dimanaſſet, ne præiudicium inferretur veritati, poſt aliquot hebdomadas Tractatus duos omnium manibus conterendos emiſit Petrus libris quatuor digeſtos, De Colorum, Vmbrarumq; natura, differentijs, vſu, & adiacientijs, in quibus philoſophicè, Pictorièq; procedens prę cęteris conuincit, quid experientia rebus conferat, quamq; res altera alteram iuuet, neque ſolius eſse ſpeculationis ea verſare themata, quę praxi ſuperinducta vix benè abſoluuntur. Opus nuncupauit Franciſco Primatitio Bononienſi Abbati, Pictoriq; celeberrimo, cuius dudum longiore amicitia vſus fuerat. Et hęc quidem Patauij. Portuenſe verò inclytum cœnobium decorauit quam maximè duabus expræſſis mirabilibus hiſtorijs viro quidem religioſiſsimo, pictoreq; eximiè induſtrio dignis; miraculo nempe, quo Saluator Deus, & Dominus quinque milllum hominum turbas

quinque

quinque panibus, & duobus piſcibus pauit in deſerto; & eiuſdem ſacratiſſima, diuiniſſimaq; Paſſione. Quis porrò æquare ſcribendo poſset quæ pictor mirificus, vtrobiq; delineauit admiranda? Poſteriorem telæ conſignauit aqueis ſolũmodo coloribus delineatam, tam verò cultè, tam affabrè, vt vix habeat meditator animus quid vltra expetat. Soli ſibi mens fuit illam dare, penetralibuſq; ſuis, vt abiecto ſenſibili, affectus exigeret à ſpiritu compunctiuos, compaſſiuos, imitatiuos, quos non ab coloribus excuteret varijs, viuacibuſue; ſed ab rebus ipſis in eodem ipſo aqueo, vmbreoq; collachrymantibus. Verum alia extitit imperantis Præſulis diſpoſitio, qui futuram illam toti Collegio frugiferam in eiſdem permouendis, nutriendiſq; contemplationibus præuidens eam orationis mentalis loco conſignauit. Quare pius artifex obedientiam accipiens ſecundam ex prima ſibi reponendam exemplauit. Harum autem diuerſus fuit ab eius obitu exitus, cum ſcilicet altera præclariſſimæ Baſilicæ Portuenſi deſtinata, vt eius illuſtria augeret ornamenta, ab pictore ad ſuperinducendos colores conducto per inſcitiam de pretio deiecta fuerit, quæ tamen ibidem inuiſitur; alteram verò Gabriel Bruſius Antiſtes Gubernatorum excitamentis, & ſtudio inſeruituram, Abbatialibus cubiculis ab ſe magnificè extructis reddiderit. Priorem hiſtoriam turbarum famem cibi multiplicati miniſterio pellentium muro conſignauit, in qua non pictores laudatos modo, ſed & ſe ipſum cum proceribus artis enumerandum ſuperauit. Eſt aula Portuenſis triclinij in longum latum, altumq; patens lumine, ornamentis, ſituq; intra totius magnificentiſſimi Monaſterij architecturam ad commendationem omnem conſpicua. Super latiſsima frontis eius area expandit quicquid penes ſe in mentis fœcundæ, pro moreconditum poſsidebat, ac de facili ab alto per immiſſum calorem fœcundabatur magè in capaci quodammodo manu incapax penicillus dum operaretur. Certè vis delineationis, colorum varietas, morum collimatio, cultuum, geſtuum, actionum diuerſitas, ætatum, ſexuum, conditionum genera, remotionum, longinquitatum, approximationum ſpecies, voracitatis, veſtimentorum, eſurierum expræſſiones in tam grandi numero præſtant numero, præualent quantitati, qualitatem omnem excedunt; nullum in eo inuentionis multiiugæ deſiderandum opificium; nulla diſpoſitionis proportio. Chorus Apoſtolicus proximior intuentium oculis, ideoq; maior redditus eſt, vt non ineptus coniector de facili indigitet, hic Philippus, Andreas ille, is Ioannes, proditor iſte Iudas, negator illac Thomas, Coripheus vicinior Petrus, frater hic denique Domini Iacobus; nec tamen eorum quiſpiam ab ſignis, vel martyrij, vel officij aſſuetis deſcribitur. Diuinitas quoq; in facie Chriſti Dei Ieſu medium tenentis elucet illa, quæ per totum illud diffuſa ſpacium radios eo vſq; immittat, vbi Æternus Parens, Candidiorq;

Spiritus

Spiritus Columba penè ad summum fornicem adiacent, immisceanturq; cum illorum splendoribus ad Vnitatem forte signandam Essentiæ cum Trinitate Personarum. Exhilarat quoq; sic intuentium obtutus sacratissimus ille vultus, perq; oculos diuinè viuaces ad Cælum erectos, perq; manum omnipotentem ad benedicendum extensam delectatione illa replet, quę nec discerni possit inducta, nec inducenda præpediri. Complacuit etiam sibi non ineptè in quorundam domesticorum reddendis ad viuum effigiebus sub diuerso tamen indumentorum tegmine. Ita Vitalem Mercatum suum, & Abbatem, & benefactorem ad imum tabulæ dedit sub senis consultoris specie, ita Lazarum de Cotignola sub Iobi tabe percussi typo, ita Iosephum Viuolum postmodum Generalem sub iuuenis austeri indicamentum. Quamuis autem tanta præstiterit, opus tamen non absoluisse creditur, quod symbolicè indicare dicunt verba illa in fine apposita, licet ad alium finem, Manus Domini tetigit me. Sed & acta felicem prædicant Auctoris memoriam, gloriososq; labores, quos & ab cælo quandoq; veneratos dicere possumus, cum inde fulmine diro delapso nonnullis ab hinc annis fornicem penetrante, proximèq; appensam mensæ maiori campanulam lambente, ex cordula in subiectum lignum descendente, illudq; scindente, intactam picturam, & solo fumo in superiori aeris parte respersam reliquit. Alij plures in Refectionis conclauibus per Congregationem visuntur labores manu illustrium ducti pictorum, Mediolani præsertim, Cremonæ, Placentiæ, & alibi, æqua commendatione dignissimi, non tamen ab aliquo Canonicorum elaborati, sed quos solum aurum, non virtus expressit. Vixit in bonam ætatem Bagnarius multò, quod in nobis est, diuturniore dignandus. Contulit etiam plura fructuum industriæ suę, & probitatis ad componendum Monasterium Imolense, vt Congregationis vsibus inseruiret. Licet enim sub proximis annis eius ad Religionem accessus ab Mattheo Cornazanio Rectore Parochialis Sancti Iuliani resignata fuisset Ordini, assentientibus etiam Galeatio, Alexãdroq; de Cornazanis, de quorum iure Patronatus erat; tamen domus, resq; stricta angebat non modicè operarios primos, ita vt subsidiorum egerent etiã non modicè. Collętabatur autem æquali er cernens surrogatos eò loci plures, qui pro pię, benigneq; Ciuitatis sospitate diuinam implorarent clementiam, & pro vno resignatario multi stadium currerent ab successoribus ciuium filijs exemplo terrendum, quod nos ad hęc tempora benè impletum cernimus. Scripsit

*De Colorum, Vmbrarumq; natura, vsu, & differentijs. Ad Franciscum Primaticcium Abbatem Bononiensem Libros quatuor.* *Lib. jv.*

# PETRVS BONSIGNORIVS
## BONONIENSIS.





AVCVLAS rependam grates debilibus hisce angusti Elogij terminis viro prorsus eminenti Petro de Bonsignoribus. Is enim ille est de cuius ego purissimis manibus sacrum hunc lineum supparum, licet indignus, accepi, cum Archipræsbyteratum Bellianum in agro Bononiensi gereret. Gratus quippè in piam accepti amplè beneficij memoriam; iustus tamen, veritatiq; fidus absoluam rem suo ipso præclaram nomine. Adeo enim ex penetralibus nostris enituit, vt cum paucis omninò enumerandus appareat, si ritè perpendamus dona, quibus illum cumulauere Superi, nobilem prosapiam, lauream ante susceptum institutum, doctrinam solidissimam, vitam innocentem, mores candidos, dignitates in Republica vberes, extremam, eamq; validam senectutem. Referrebant aliquando nobis conciues eius Concanonici matrem enixam esse illum tantisper ante ea tempora, quæ illuxere triumphalia Bononiensibus ex diademate Carolo Quinto Imperatori apud eos imposito per inaugurantis Clementis Pontificias manus. Patritij lares opiparam præstitere educationem generosę indoli, quę aliquoties lasciuire potuit adolescendo, dum more studentium iuuenum arma licentius pertractaret, ex quorum impetu raperetur inconstans ætate animus ad noctes insomnes, vagasq; ducendas. Diuelli tamen nequiuit per huiusmodi Satanę, carnisq; irritamenta fermè cum lacte instillata pietas, cultaq; venerandè religio; quin semina illa in messem aucta, iuuenem, prius abstractum ab lubrico, protulere Saluatori. Nam ex consecuta Artium laurea cautior factus, colligens ingenium ad futura præcauenda cum vniuersalis Iobęlei sub Iulio Tertio maturaret terminus; statuit Regularis vitæ iugo suaui colla adigere, vt procùl fieret ab illecebris. Montanos Canonicos receptores habuit paratissimos Gaspare Dulcino eorum præfecturam gerente, à quibus statim amandatus est, vt nomen daret per rochetti impositionem Viridariano Tyrocinio, quod penes Patauinos tum commendabatur disciplinæ veteris cultu, & obseruantia. Quæ natura contulerat liberaliter in virum liberalius culta surculo Regularis imperij, & aura, roreq; cælestibus irrigata intra paucos annos protulere cathedris magistrum, etiam in ipsis exordijs exercitatori-

cuiq;

cuiq; æquiparandum. Hoc illud opus maximum est, quod mirè præ omnibus in Rempublicam per triginta sex annorum spacium continenter ferme exercuit primum Philosophos, dehinc Theologos interpretando. Quo factum est, vt non tertiam modo, sed & quartam, & quintam discipulorum suorum generationem lętanter ex Dei benedictione viderit, hinc inde scilicet diffusis ad diuersas Ordinis Academias moderandas auditoribus suis, qui eius dogmata, doctrinam, & fundamenta summo animi ardore, summaq; contentione ad veritatem elucidandam profiterentur. Inter quamplures alias satis, superq; ex proprijs eius adinuentis, & opinionibus positio illa celebratur, in qua post tot illustres, sanctosq; doctores anteactorum, præsentiumq; sæculorum scriptores de re huiusmodi diuersimodè sentientes statuebat Subiectum Sacrę Theologiæ nostræ esse Hominem beatificabilem. Illud idem quoquè fiebat de materia Prędestinationis ab ipso enucleata noua quadam methodo, & discussione, qui definiret, Prædestinationem esse destinationem gloriæ ad creaturam rationalem, & destinationem creaturæ rationalis ad ipsam gloriam, illiq; mediorum preparatio. Quam Prædestinationem licet ex parte Dei posuerit infallibilem (cum aliter esse non possit quod à Deo præuisum est) docuit tamen ex parte prædestinati esse fallibilem, cum suo fine hominem posse frustrari concederet. Ipse verò labores suos collocauit in Lyceis nunc Vercellensi, nunc Placentino, nunc Portuensi, sed vberes, præ illisque diuturnius Viridariano Patauino. Hinc Congregationem talibus vigilijs, & tantæ prouinciæ propitiam agnouit aucto pluries honorario, & priuilegio in amplissimam formam donato, quo & Magister ab omnibus insigni prærogatiua appellaretur, Prælatura titulari gauderet, votum, & consulendo, & decernendo præstaret indictis Generalibus Comitijs quocunq; loco, & tempore. Tenuit verò gymnasia per dictas tres annorum Duodenas ex constanti quidem opinione soliditatis doctrinæ apud omnes excita, & enutrita, sed vberius ex innocentia vitæ, & morum candore, quibus auditores suos singulariter præibat exemplar austerioris disciplinæ atq; conuictus, quod summoper capiebat Reipublicæ moderatores. In scholis nanq; communiter videri potuit longior, atq; diffusior in materijs pertractandis, dum abundantiora amplexando per nimium cibum præfocare, magis, quam enutrire discipulos pleriq; deprędicarent. Quo in genere lucidior, & expeditior Florianus Nanius tollebatur, non infimis hinc inter illos ebullientibus aliquando æmulationis seminibus, sed qui protulerint minora Nanio intra Congregationem commoda; dum facilior iuuentuti, hoc est sine fuco seueritatis bonus, nunc à lectura absoluitur Patauina Becio Generali proscribente, nunc curæ publici gubernij non adscribitur; compensata tamen postmodum

per Episcopalem inaugurationem. Petrus verò in ordinem Prælatorum adscriptus circa ipsamet initia quanti fieret tum apparuit, cum forma politici regiminis in Congregatione prorsus immutata ad annum octuagesimum primum exacti superioris sæculi in Comitijs Romanis, inuectaq; præter alias leges Prælaturarum perpetuitate, & Archangelo Rosio Bononiensi ex quatuor viris censoribus renunciato, Petrus ipse in sequenti Anconitano Conuentu ei liberè ob nimium senium dignitatem resignanti vno omnium calculo substituitur. Vt licet nisi post alios quindecim annos secundo Visitator Ordinem cribrauerit, videlicet ad annum nonagesimum septimum; id tamen ei non imputabitur nisi fortè ad decus, & ornamentum: cum (raro vtiq; exemplo) etiam post censuram, & Bononiensis Canoniæ præfecturam exercitas, ad priores classes Theologicas instituendas volens redierit. Fama est illum in hoc posteriore Visitatoratu acriter astitisse Theodosio Rouescalæ Papiensi Generali, iuuisseq; virum probum, & opinosum consilio, & expeditis rationibus ad redigendum in Ordinem potentiores quasdam nationes Congregationis, quæ priuata conuentione, inueteratoq; in vim legis cuiuspiam ritu, quasi ad modum aliqualis septemuiratus nationatus, Prælaturas Ordinis inter se partiri consueurant, nullo prorsus, vel leuissimo minorum nationum habito respectu, nullaq; præfectura earum Canonicis assignata. Atq; ideo celebris illa Dieta Cremonæ successit, quæ tot deturbauit, & deiecit veteres, totq; nouos assumpsit athletas Clemente Pontifice iussis, & auctoritate Rouescalam ad id operis communiente. Neque tamen Petro facti nouitas conflauit inuidiam, cum abstineret se ab exteriori impotentia in deiectos, quos erigebat in spem futurorum ex meliori Vniuersitatis bono. Quare post septem annos ad Ordinis apicem postulatus inuidum tulit ex Patribus aduersarium. Quippè illustre, omnibusq; probatum meritum doctrinæ, morum, vitæ, ætatis, laborum illexit suffragia in eo extollendo, dum Celsus Dugnanus Generalis, & Seraphinus Merlinus Procurator Romanus resignati in Benedictum Brugnolum Veronensem ille, iste in Columbinum Aduocatum Bergomensem irent. Celebrauit collati Claui actionem Marcus Antonius Giacchettus oratione nobili de boni pastoris qualitatibus, quas in electum, pridem præceptorem suum gratulatus est. Visum est tamen postmodum tantæ prouinciæ onus impar viribus iam senio confecti, vt adnotauit Penottus dum elanguescerent negotia, nec imperium acre vrgeret subditos. Nobis quidem liquet, quod in salebrosa, maximèq; nodosa illa incidit Interdicti Veneti, quæ summum in modum fuere discriminosa eius oræ Canonijs, cum hinc scilicet, atq; hinc dilaberentur nostri ad alias prouincias, & domus numero, facto, & confusione vertendas. Nil sibi Bonsignorius pepercit, nil graui senio donauit, vt

uit, vt

uit, vt publica curaret. Patauium sibi sedem elegit Romæ, soluto Veneto, vt expeditiora essent præsentium fascium commoda destitutis per anteactam fugam monasterijs. Diuulsus est ab ijs curandis sola visitatione, à qua subeunda nullo prorsus argumento absterreri valuit. Quamuis enim præteruecta Senogalia in perfluentem Æsinim decidens lectica ferme absorptus fuerit; nil tamen promptæ sollicitudinis intermisit, quin ad vlteriora visenda properaret. Fortè in fatis erat, vt Neapolitanos Patres deposito ditaret suo. Ibi enim tandem decumbens anno huius sæculi octauo, & Generalatus secundo post kalendas Decembrias viam vniuersæ carnis ingressus est, magnoq; Patrum mærore sepultus apud Sanctum Petrum ad aram octuagenario maior. Vir quidem æternum commendandus, sibi qui nunquam pepercerit, cum & ad extrema vsque tempora decem horarum spatium qualibet die in studijs absumeret somni, cibiq; continentissimus. Nos certè obseruabamus confectum ætate, ac merito cubiculum propria manu verrentem, lectumque sternentem, atq; media in hyeme algida pro lotione vtentem: & cum Bononiæ logicis operam daremus ipso Abbate in anno, qui Supremam eius Præfecturam antecessit, non dedignatus est prædicamenta nobis Aristotelis interpretari pro Bartholomæo Giroldio Priore, qui ad concionandum in quadragesima abscesserat. Felicior præfectura si annos floridiores coronasset, aut si Franciscum de Magnanis Bononiensem illi à secretis æquè peritum, atq; probum habuisset, quem tamen Abbatialibus Pacis Romanæ Infulis, & Generali Ordinis Procuratione insignitum postea vidimus sub Gregorio Quintodecimo Plurima Bonsignorius scripsit præcipuè in Diui Patris Augustini opera. Extant in Bibliotheca Montana, sed adeo minutiore expressa caractere, trementiq; manu, vt paucos inuenias qui legere possint. Apud nos asseruantur sequentia manu discipulorum eius exscripta.

*Super Primum Sententiarum Volumen vnum continens Lectiones trecentas, & quinquaginta.* *Vol.* 1.
*Super Quartum Sententiarum Volumen alterum continens Lectiones trecenta, & octuagintas* *Vol.* 1.

Valerij Ceparij Neapolitani.

*Gloria doctorum, latiæ facundia linguæ*
*Cultor, & antistes Pallados artis aue;*
*In te virtutes Cæli velut astra refulgent,*
*Et doctos inter, gloria prima tua est.*

*Ingeinum*

*Ingenium summum, & probitas, sapientia vis quem*
*Et sua de extollunt, non nisi summa decent.*
*Multa subebat amor, mentem qui plurimus implet*
*Dicere, nec magnum nostra Thalia capit.*
*Simplicio semper gaudebit Græcia alumno,*
*Et Macedo insigni gaudet Aristotele.*
*Mantua quid celebrat magna nisi laude Maronem?*
*Corduba Lucano conspicua, & Seneca.*
*Quid nisi Nasonem decantat Sulmo poetam?*
*Arpinum excepto nil Cicerone canit.*
*Et Venusinum ingens iactat Lucania vatem.*
*Te Verona refert magne Catulle potens.*
*Marcia Roma suum laudat sine fine Catonem,*
*Et Crassum assiduè Martia Roma eadem.*
*Quid nisi te prima dignum nunc, Petre corona*
*Laudat, & extollit Felsina docta virum?*
*Te Arpinum Ciuem esse suum, te Mantua mallet*
*Præq; Stagira alto mallet Aristotele.*
*Per mare, per terras omnes, per sydera Cœli*
*Excipitur magno nomen honore tuum.*
*O' fulgor Latij fulgens, ò sydus Olympi*
*Viue diù nobis, post supera alta petes*
*Singula vt referam, breuibus licet omnia dicam*
*Vnus tu patriæ lumen, & orbis honos.*



PE-

# PETRVS CIMA
## ARIMINENSIS.





TALIS hominibus Cimam idem esse, significare ue, quod Latinis est Summitas, Apex, Coronis, Cacumenq; sciunt quicunque omnes, qui vel mediocri vtriusque eorum linguæ, & idiomatis cognitione tenentur. Hinc ritè, non casu factum arbitramur, virum egregium, quem nunc à secretis penes supremum Moderatorem suum Lateranensis habet Congregatio, Cimæ, hoc est, Summitatis cognomine exornari, quem verè summum non vno talento esse, quemue apicem plusquam variç dotis possedisse acta eius præclara demonstrant. Nobili loco Arimini ortum, & inter oppulentiora fortunarum educatum Congregationi adscribi curauit Laurus Astulphus is, qui & Secundum Censuram gessit, & Ordinis clauo aliquando sedit supremus moderator. Cum enim tunc temporis concordi voto Canonia ea, quæ à Diuo Leuita Marino titulari nomen habet, à duobus consobrinis fratribus Lauro prædicto, Ascanioq; Tingulo gubernaretur, florebat adeo spiritualium, temporaliumq; rerum administratione proficua; vt omnium omninò ciuium oculos in se, animosq; auocaret, & admirationi, atq; decori esset præcipuo inter reliquas quascunq; Regulares ciuitatis eius familias. Hinc & ex clarioribus patritiorum domibus adolescentes Instituto accedebant illi, nomenq; Saluatori dabant bonam acturi militiam, cuius castris primum regnum Dei quçrentibus reliqua etiam adijcerentur omnia. Patre eum orbari contigit, antequam nasceretur, propterea q; posthumus; haud graui tamen incommodo, qui sub matris Eleonorç Ricciardellç masculi prorsus cordis fœminæ disciplina ad eam directus est metam, quæ pro præsenti, proq; futura vita felicitatem inducere posset. Palam innotuit, quid educatio cum pietate facta conferat in pectora tenerioris ætatis, quando ex octo filijs numero tres Deo ex imo corde dicatos vidit matrona insignis; duas quidem Regulares Canonissas ad Diui Sebastiani illustre Collegium, hunc verò non multo ita post ad Diui Marini. Lineo supparo redimitur ad aram maximam per eiusdem Lauri Astulphi sacrum ministerium, Petriq; nomen accipit in Petri aui paterni memoriam, qui & solertissimus bonorum fortunæ acquisitor pridem, & deinceps coniuge mortua Sacerdos inauguratus

altaria

alt aria tractauit nobiliter, & intaminatè. Protopiriam (Nouitiatum dicunt assuetam duxit in patria, vt firmiore disciplina exteras ad oras accederet. Præcepta vitæ nouæ enucleauit Honoratus Montecaluus vir ad omnia factus, maximè verò ex diuturniore praxi, & ex natiuo genio huiusmodi instituendis aptissimus. Mediolanense Collegium primo loco susceptorem habuit, & spiritus, ac literarum instillatorem, de cuius vbertate succosam vtriusq; pinguedinem assecutus est. De ibidem Aristotelem profitentis Felicis Actij instuctissima pharetra Dialecticas sumpsit sagittas, sarisfasq; Philosophicorum Dogmatum de eiusdem vbere armamentario, vt huiusmodi munitus præsidijs expugnata rerum naturalium ignoratione, Theologicis initiandus accederet. Inde Aureo Cælo ad proximam Ticinum Ciuitatem datur in nouum figurandum sydus; quia qui ad iustitiam erudiunt multos, pollicitum est, affulsuros sicut stellæ in perpetuas eternitates. De pegmate Theologiã profitebatur vnicus ibidem Ioannes Franciscus Bozzettus Cremonensis sub iunioribus annis Scientię Sacrę monstrum, & ingeniorum ętatis suę inter Lateranenses Coriphęus. Illustre lustrũ in hauriendis aquis in gaudio de fontibus Saluatoris posuit inter præcipuos auditores Ascanium Mullium Rauennatem, Claudium Cataneum Mediolanensem, Marcellum Neapolitanum, aliosq; non paucos adnumeratus. Ex naturę prȩclaris donis, & ex aquisita scienciarum suppellectile ęquè dispositus dignoscebatur ad cathedras, adq; pergama contrectanda: & ipsemet super huiuscemodi biuio adhuc ambiguus stabat, cum Doctor concionator dictus est, biuium vtique vtrinque salebrosum, asperumue in exordijs, sed & vtrinque gloriosum in exitu. Qui verò moderandis Congregationis Vniuersitatibus prȩsidebant Proceres, illum adiudicauere non rudioribus populis, sed iunioribus clericis erudiendis. Quippe qui maturantes hac interiacentia temporis, & laborum florentem ętatem e re ipsius, & Reipublicę existimauere futuram, vt accederet loquuturus ad turbas, tanquam auctoritatem habens, fructuum, non florum comportator excultus. Cæsenati Lycȩo ad Sanctam Crucem Dialecticam interprȩtatus est, & octo primos Auscultatorios, quo tempore ad alia intentus item ibi Priorem agebat Alexander Diotaleuius, & inter profitentes optimarum qualitatum discipulos Felix Bonadies pariter Ariminenses, quod nobis refricasse iuuat in bonæ voluntatis erga surgentes iuuenes tesseram, quos deinceps vidimus ad altiora promotos. Deinceps ad Frigdionarios destinatur eandem tesseram reciprocare iussus, & cursum integrum explere. Ibi dum impositum exequeretur munus ad exactiorem studiorum collimationem, occasione Visitationum arrepta, quas Generalis Andreas Fossa per Æthruriæ Collegia peragebat sedulus, Orationem eam habuit, cui titulum Osiridis Lateranensis Cœli fecit, vt non vni tantum Scholasticæ doctrinæ salebrosi, rudiorisq;

diorisq; sermonis capaci aptum se, sed & eloquentię quoque exactioris, emunctiorisq; possessorem, quandocunque exigentia afforet, euidenter euicisse potuerit. Interea Alexandro Troilo ad Generalatus fastigia euecto Petrus à Secretis eligitur vniuersam lustraturus cum eo Congregationem. Grandi Prouinciæ iuuenis ascendit: sed cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata: senectus enim venerabilis non diuturnitate, neque annorum numero; sed virtute, & integritate computatur. Quatuor viris electio huiusmodi debetur Troilo ipsi Antistiti, Ex generalibus Fossæ, & Astulpho, & Theodoro Fantono Visitatori, qui à secretis tunc cessabat. Meliorem vtique schola Troili ipse scholam sortiri nequibat, & sub tanto Præsule profecisse erat subijsse munus. Contulit officio partes nobiles, tametsi non omnes necessarias, cahracteris venustatem, scriptionis celeritatem, dictaminis promptitudinem, styli elegantiam, idearum dicendi pro rerum, personarumq; gradu variandarum exquisitam cognitionem, laborioso operi indefessum robur: quibus si necessaria addas, prudentiam, solertiam, zelum, integritatem, fidelitatem, morum, vitęq; candorem; exactum vtique dabis prothoscrinarium, & Ordini vniuerso exquisitè proficuum. Aliud profectò est politicam regularem aggredi, ingrediq; Cleantis lucerna præmunitus, vel ea, quam vna ex quinque prudentibus quondam gerebat virginibus, aut vna earum, de quibus dicebat Dominus, Scrutabor Hierusalem in lucernis; aliud est Philosophum in scholis agere. Quippe Philosophiæ plures leuigantur sub expositorum dolabra; regulari verò politicæ illi soli formantur, quorum animas vt rationabiliter præsint vocat Deus, & assumit ad honores tanquam Aron. Iam à triennio hanc desudat sarcinam omni classi Canonicorum placens, & approbatus, quod eximiæ arbitramur laudis. Habet super incude, quę proximè cudat Ex Parabolis Salomonis Placita Regularis Gubernationis, si aliquo momento auram inhalare poterit requiescentem. Scripsit

*De Osiri Lateranensis Cæli Panegyrim, quam Theodoro Fantono Præposito, & à Secretis nuncupauit. Lucæ apud .*

# P. FRANC.^VS APOSTOLIVS NOVARIENSIS.





OVARIENSIVM vrbem in finibus Insubrum, qua Pedemontanos spectant, & Gallos, claram apud Historicos reddidere exactorum sæculorum euenta tam à ciuibus, quam ab exteris actitata, passaue. Claram quoq; exhibent soli fertilitas, territorijq; in latum patentis, benèq; culti sinus patulus populorum plurium incolatu fœlix, ex quo non minus, quam ab vrbe ipsa viri sanctitate, doctrinaue celeberrimi prodiere, quorum ne nomina hic recenseamus extra locum, vnum sat erit bis, semel, sæpiusq; exhibere Petrum Lombardum Sententiarum Magistrum, Canonicorum Regularium Decus inclytum, Archiepiscopum Parisiensem, quem Cereti natum in eo tractu scribunt. Ei tamen magno, & maximo Theologorum Scholasticorum antesignano ex nostri ratione instituti adnectemus tanquam pedissequum, & sequacem Petrum Franciscum de Apostolijs in eadem ipsa ora ad Vallem Veggiam (sicut nobis relatum est) satis honesto loco natum. Certè nouimus ab Antonio Riccobono in Gymnàsij Patauini libro primo nominatum sub anno millesimo quingentesimo vigesimo septimo Franciscum Apostolium Nouariensem Philosophum, ac Medicum, & post annos decem Petrum Apostolium Muglensem Philosophum, illum quidem in eo Archigymnasio librum tertium Auicennæ explicantem, hunc verò Aristotelis Sophisticam. Adnectemus autem tanquam virum de eadem charitate Ciuitatis benemeritum, in eamq; dilatandam totis viribus conspirantem. Cum ad nostros accessit Abbatis Generalis dignitatem obtinebat Ascanius Martinengus Brixiensis anno sexto ante proximè expletum centenarium ex Synodo Rauennatensi: accessumq; illius administrauit Secundus de Columbis Nouariensis Visitator primū, qui quantumuis in literaria re non multum versatus, boni tamen talenti in publica re moderanda habitus, alienos in scientijs profectus & curabat, & vrgebat eò fortè accuratius, quo magè proprio experimento noscebat, quanti obesset earum dos neglecta. Eodem hinc satagente potioribus Ordinis profitentibus operam dedit assiduam, & ex Patauino Lyceo rude Philosophorum, & Theologorum, Iurisq; Canonici donatus est. Peculiari tamen quodam genio postremam hanc scientiam

super-

ſuper coęuos omnes Congregationis excoluit, interq; ipſarum concionum aſſiduos labores diem nullam ſine linea Pontificiæ Sanctionis dimiſit. Prę-ceptorem in ea habuit Marcum Antonium Ottelium Vtinenſem celeberrimum, in lectionibus ſuis, quas aiunt, ab inclyto prædicatore non abſimilem, qui tum publicè ad Diui Martini, tum priuatim in Viridariana profitebatur; cuius & methodum, & doctrinam acriter tenuit. Porrò quantus ſuggeſtum ipſum tractarit, loca, in quibus illud aſcendit inſignia, ex plurimis aliqua innuent, quæ videlicet non niſi notioribus patent. Bergomates in ſummo templo excoluit, & Lucerianos in Apulia, Siculos Panormi ſimiliter, ac Ligures Ianuæ. Quadragenam item poſuit in Principis Apoſtolorum glorioſa Vaticana Baſilica. Siquidem per annos aliquot Romanę Pacis incola non vno nomine cognitus erat aulę, criticam ex genio aſſueto ſuper quoſcunque exercenti, dum ex Purpuratis Mœcenates nonnullos ſibi aſciuiſset. Integritas nanque, & obſequium haud difficulter parabant acceſsum viro facundo, & de ſe ipſo non malè ſentienti. Naturę dona in eo erant boni gradus, & quę artis pariter, ſi vnam demas pronunciationem, quę non modo apud ſeueriores, ſed etiam communiter ex nimio cultu quandam reſipiret nouitatem. Sed & illa alicubi plus virtuti quam vitio aſſignata placuit, adeo varia ſunt hominum, nationumue ingenia. Melitam aliquando nauigauit, vt grandis ieiunij ſeſquimenſem profiteretur concionator pręclaro illi totius Europę nobilitatis flori Hieroſolymitanorum Equitum: at mari aduerſo, ventiſq; fatigatus penè ad abſorbitionem vſq; ſerus adplicuit. Ioannem Bartolottum Bononienſem oratorem inſignem, tunc Ordinis eius Theologum, Principiſq; Magiſtri à Secretis, nunc Equitem Commendatarium ſuas vices explentem, inuenit, qui tamen aduentato promptè locum ceſſit, & munus, vnde & poſtmodum conſuetudine, mutuiſq; ſeſe officijs coluere. Arena hęc concertanti ad animarum ſalutem peperit palmam nobilis priuilegij ab Generali Synodo Bononię congregata anno ſuperiore trigeſimo emanati, vt inter Titulares Pręlatos, emeritoſq; Concionatores numeraretur, & ijs conſequenter decoraretur honoribus, quorum omninò paucis datur gaudere. Manum nos tunc ijs porreximus adiutricem ex Cenſurę magiſtratu, & ad hanc vſque diem lętamur virtuti conſignata ſuo ordine pręmia. Cum ętate ingraueſcere cępit Sanctimonialibus Ianuenſibus Gratiarum à ſacris confeſſionibus datur, Abbaſq; Nouarienſis item Gratiarum conſtituitur, quo in regimine eius fluctuauit induſtria, quod domos nonnullas intra Ciuitatem coemerit ad nouum monaſterium excitandum pactionibus parum ęquis, & iuris haud eliquidati; vnde & Camillum Baliottum Abbatem Difinitorem impugnatorem acrem ſuſtinere cogitur, Is enim, à cuius præcedente gubernio pars fuerat maxima parata pecuniæ, inconſultam rem, vt aſſerebat, agen-

ti, plura obiecit qua voce, qua scripto ad magistratus, in quibus diluendis & ætas contereretur, & studium, distractis hinc, atq; hinc opinionibus penes delegatos siue Nouariensium, siue comprouincialium Patrum, donec quoquomodo res compacta est, ne in deterius dilaberetur. Vna Numinis pietas gratijs iugibus adeunda, quæ misericorditer egerit, vt inter tot bellorum turbines regionem opprimentes ea non aduenerit occasio, ob quam ab suburbano prestanti vetere incolatu ad Ciuitatis nouum perfugium transmigrandum fore timeretur. Plura illum compegisse audiuimus tum ad quinq; primos libros Decretalium attinentia, tum super diuersa Sacræ Scripturæ selecta loca, quæ vsq; modo lucem non aspexere calchographicam. De anno sextodecimo currentis sæculi dum Romæ ageret Concionator Sancti Laurentij in Damaso Orationem habuit De Laudibus Sancti Caroli Borromęi Cardinalis, & Archiepiscopi in Ecclesia eiusdem nomini dicata coram Eminentissimorum Cardinalium Collegio, quam & typis edidit, & nos hic reddimus,

*De Laudibus Sancti Caroli Borromæi Cardinalis, & Archiepiscopi Mediolanensis Oratio habita Romæ, Ad Iacobum Serram Cardinalem Protectorem Ferrariæ Legatum. Romæ Anno 1617. Ex Typographia Cameræ Apostolicæ.*

Ioannis Baptistæ Ambroni Cæsenatis.

*QVomodo, Petre, mihi dic vtere nomine Petri,*
*Franciscíq; licet sint pretiosa tibi?*
*Aspicis an Petrum Galilęo ex rure vocatum,*
*Spernit qui falsas, quas dedit Orbis opes?*
*Alterum an ipse vides, ah, per spelæa ferarum*
*Fundentem assiduo feruida vota Deo?*
*Ecquid? cur decoras celso te agnomine? Forsan*
*Immortale dabunt ficta Beata decus?*
*Sacra docens habui empirei commertia Olympi,*
*Et deuitaui commoda parta mihi.*
*Si sint Basilicæ seruanda, ah, corpus, & ossa*
*Petri, me auditum Martia Roma fluit,*
*Ter negat, heu, pauidus dignum Bariona Magistrum,*
*Non nego cum Petro, at cumq; gemente gemo.*
*Sic prædanti animas amborum facta sequenti*
*Nomen, & agnomen iure dedere Poli.*

PE-

# PETRVS FRANC.VS MALETVS VERCELLENSIS.



ER Lacteam nunc Amadei Octaui dudum Sabaudię Ducis innocentissimi viam, & vitam quo abires alio Malete prudentissime, quam ad Superos? Quis summo Scriptori Parnassus aptior, quam cælum? Quę sibi Musę vocaliores, quam canori cęlites? Quis Apollo pręsentior, quam Deus? In isto tuæ Compositionis theatro nihil tragicum sonat, ac lugubre; sed inter cælestium concentus, ac plausus amorum Deo, quo plenum est, festiuum canit Dithyrambum ad clepsidram æternitatis. In istis victor Olympijs (quando mortalis laurea tuis minor meritis erat) immortalem lucis coronam refers, immò verò tute tibi es corona, quia Maletus es. Nobis autem quid superest nisi orbitas luctuosa sine te? Agite igitur, redite voces in lachrymas, redite. Tanti enim viri desiderium, & tyaratam iacturam nulla potest eloquentia, quam lachrymarum affluentia perorare. Nec stuporem posteritati ingerat exordium hoc, quando iam ab decennali assumptione tanti præsulis ad pontificia subsellia non vnam iacturam passi, ritè prouocemur ad gubernationis illius opem Reipublicæ saluberrimam exoptādā, ad & amissionem fletu prosequendam interiore. Cumulatur quidem suo virtus conspicua præmio, dum ex familijs Regularium transferuntur ad Episcopales, adq; maiores exedras viri heroico merito noti, ponuntur prorsus lucernæ non sub modio, sed super candelabrum vt luceant omnibus, qui in domo sunt: at præscinduntur nerui Rerumpublicarum illarum, de quarum gremio tolluntur: & suis velut exhaustæ medullis, ac succo, quantum amittunt ex viribus, tantum de subleuandæ Ecclesiæ facultate deperdunt. Declarant nobiles in Orbe Christiano familiæ, quæ cum excellentium virorum gloria, ac copia non multis annis ante florerent, postea ipsis luminibus ad Episcopatus, & honores euectis, minores haberi sunt cœptæ: nec modo suam Ecclesiæ operam, proximisq; de more nauare, sed ne se ipsę quidem satis tutari, ac suis niti viribus potuerunt. Hoc, si vsquam alibi innotuit verum, clarisimè nostros apparuit inter pænates ab huiusce discessu. Quippe ad publica exercenda munia, adq; penitimè tractandam Rempublicam asumptum penè trigenaria iam exercitatio tantopere instruxerat, perfeceratq; vt

ratq; vt in non modica lucis orbitate visa sint incidisse negotia per hanc vnam honorum Eclipsim. Quæ Comitia Petro Francisco Riuæ Veronensi tradidere Religionem summo loco moderandam, eadem decreto approbauere Maletum ad promerendum inter nos anno octuagesimo supra sesquimillesimum. Georgius Vedanus cohortis præfectus, qui & alter ex quatuor eius anni censoribus renunciatus fuerat, lineum sagum adolescentem induit castris ad Sanctum Andream Vercellarum assignatis. Primordia illuxere qualia meridies, futurumq; vesper exigebant. In quolibet virtutum genere comparando, quæ Canonicam disciplinam exornant, antagonistas suos sedulus fatigabat non quasi modo ascitus, sed quasi veteranus miles. Biennis cura conformat spiritum, & quæ sunt spiritus annexa, mores, ac motus ad communem Canonicę formulæ ideam; atq; ideo Theodosio Burla Generali delectum iuuentutis per Visitationes ex seminarijs faciente ad magistros Patauinos erudiendus transmittitur. Moderatoribus per dies illos florens accademia Præcursoris Viridariani gaudebat, si aliquando, doctissimis, Celso Mancinio Rauennate, & Petro Bonsignorio Bononiense, illo Acromatica Aristotelis, hoc Petri Lombardi Sententias exponente. Nobilis, numerosaq; ex nostratibus auditorum quinquagenaria corona, præter aduentitiam exterorum plurimam acuebat ingenia, ardore iuuentutis sollicita, & exercitatione disputationum, & collationum, quas circulos dicunt, assiduitate collimata, ex quibus in menses singulos prodibant prouocatoriæ ad gymnasticum certamen editæ, atq; hinc, & hinc affixę schedulæ, adeo vt in vbere Collegiorum omnis generis Ciuitate nullibi essent exercitatiores athletę. Per has scientiarum semitas ad Doctoream sibi promerendam sexenni ministerio processit cum cæteris Maletus, atq; præ cæteris fermè potior redimitus est Camillo Becio iam ad Generalatum promoto suffragante. Is, vt medioceri nec sua, nec suorum virtute erat contētus, & robustam iuuenis videbat alacritatē, liberalius adhuc exercendā ratus, theatro Romano adscripsit, vt videlicet ęqualibus prudentię ex praxi eliciendę, ac doctrinę ex theoricis epotatę adminiculis sustineretur. Nullibi verò aperit Orbis scholas excelsiores huiusce studij, quam super Romanorum collium eminēti fastigio, ex quibus nemo rudis, iners nemo (si tamen cor adsit) abscedat. Verum florente iuuenta indulgendi tantisper adhuc scientiarum cupido genio sibi ius fieri cliens exorauit. Beneficio vsus est quam optimè, qui ab magisterij laurea sibi iterum imperauit inter discipulos conspici in veræ, solideq; scientiæ assecutionem. Reperijt in Vrbe ad Collegium Societatis Iesu Theologiam profitentes Gabrielem Vasquez Belmontanum, & Petrum Iustinianum Genuensem primi nominis inter doctissimos, ex quorum promptuario tum auditores quampluri mi illas excipiebant materias, quas ipse fusè non percucurrisset per strictiora du-

ra du-

ra ductus compita, perq; summarias multarum rerum indicationes. His tantis per biennium summo studio, pariq; reuerentia operam dedit eo locupletiore fructu, quo paratior, instructiorq; accessit, & recens assecuta laurea pædiæ cuiuspiam partes egit: illorumq; postmodum & methodo, & fundamentis, & Thesibus perennis inhęsit assecla. Ab eodem quoq; eruditissimæ, simulq; sanctissimæ Societatis ærario alia ratione ditari per egregiam sedulitatem meruit, qui sub Christophori Clauij, hoc est sub Euclidis Bambergensis disciplina vniuersæ Mathematheseos arcana perlustrauit à viro ingenuæ probitatis impensè prędilectus in nobilis ingenij, nobiliorumq; morum benè placentem propensionem. Schola hæc illas tum formauit, vel saltem seuit machinarum ideas, quas postmodum effudit in lustranda Congregatione Censor. Neque interea oscitanter prætérijt sibi congerere, quæ ad negotiosum vitæ genus aula prę cæteris solers edoceret, quantum nempè viro arctioris disciplinæ institutis mancipato decebat, quantumue ætatis captus, rerum gerendarum series, & natura propendens admittebat. Post hæc Sacerdotio insignitus primitias concionum Romæ posuit, vbertatemq; deinde dispertiens sequentium vindemiarum, loca multa per quadragesimam docet, vniuersamq; Pedemontanam regionem pluribus annis excolit iugi dicendi exercitio. Et quamuis solis ipse animarum lucris, prout decebat, inhiaret; pręclaram tamen benè gesta famam sortiebantur, tanquam cordi Superis esset benè adiuuare benè collaudantem. Atq; Insubrum cum Secundi Sanctissimi Ciuitatis Protectoris solemnis translatio fieret, ipseq; de laudibus eius inter vberes sanctæ lætitiæ lachrymas peroraret, tantus Catharinæ Austriacę Hispaniarum Infanti, & Carolo Emanueli Serenissimis Regionis, & Allobrogum Ducibus fecit pietati, & religioni satis, vt illo valdè delectati, non semel priuatum tractatorem colendę pietatis adhibuerint. Atq; hæc quidem exordia fuere, qubus Principi illuxit suo, & è quorum seminibus messem dehinc collegit vberem, suoq; per quam accommodam instituto. Interea Romano Cęlo restituitur iubente Becio Generali, cui circa eos dies per Apostolicum diploma in triennium aliud dilata Dictatura fuerat. Huic enim cum per quandam naturalem propensionem Maletus mirè gratiosus esset, satis etiam versabat in corde. Et vt suoptè spiritu, multiiugaq; prudentia erat ingeniorum acer diribitor, & iudex, sibi rebusq; communibus iuuenem in Vrbe pernecessarium statuit, cuius solertia, fidoue ministerio conficeret absens, quæ indifferenter à quocunq; pertractari non expediebat. Accedebat consultum illud desiderium eius iuuandi, inq; perfectum virum Reipublicæ eformandi, quod obtinere vix quidem per aliud quodlibet medium erat promptius, atq; certiore securitate. Sub Abbatis regimine in speciem cuiusdam gubernationis primas dat illi sedes in Canonia

& repentinæ ad nutum accedentis Principis non nihil tum de solemni summa illa maiestate remittentis (si tamen id esse potest cum semper adorando illo Vice Dei conspectu) exequebantur; vt scilicet imparati expectatores nouo nō ordine seq; domestisaq; curarent, sed composita secudum priorem vsum, & consuetudinem remanerent, ex quibus cognosceretur de exacto, vel imperfecto rerum ipsarum statu. Vt ad nostrorum ventum est visitationem hominum, Diuino in primis fauente Numine Beatissimaq; Tutrice, & Pacis Titulari Virgine Deipara, Sanctissimoue Legislatore Augustino fausta ita cessere omnia, vt commendatione inter fusiores suasiones ab Apostolico oraculo ipsa recepta ad fortius enitendum in via, vineaq; Domini summè animati, summèq; alacres remanserint. Siquidem per plures horas angustam domum pauculosq; Canonicos cum sub examine, & minutiore censura habuisset, hos omnes (quod rarum alibi fuit) Doctorea verbi Dei præcones, illam appositè dispositam, omnibusq; numeris pro religiosa munditiæ absolutam inuenit. Vnus Vrbanus Abbas per ægretudinem molestissimam lecto affixus locum Maleto reliquit ex Prioratus munere publicam representandi personam tanto opportuniore cum exitu quanto paratiore cum eloquentia, dexteritate, soliditate. Collucentibus igitur peculiari aliqua dote omnibus, sed præ cæteris Maleto, Celsoq; Mancinio tam ex voto contigere omnia, vt haud ita multò post permiserit Clemens Instituti per aggregandos propagationem, quam ędicto omnibus in vniuersum ante vetuerat Ordinibus. Quæ præstitit postea donatus infulæ, perennare illum in perfectiore virtutum exercitio docuerunt argumento videlicet sumpto siue ab æconomica familiæ sibi commissę gubernatione, siue a sui ipsius interiore, exterioreq; custodia, siue etiam à totius Reipublicæ in vniuersum curato præsidio. Comitijs Rouescalibus, & Ruelijs interfuit, suffragiumq: vtrobiq: posuit, in hisce posterioribus cæterorum se vota recepturus Visitator, vna quaq: tribu in illum consentiente, ni pręstitisset maiorem ætatem in egregia uirtute magis conspicuam Hieronymi à Riccaldono Casalensis exornare. Verum desuper erat decretum, ut Visitatorem sub eo triennio iniret. Decessere infra priorem adepti magistratus annum Frigdianus Burlamachius Lucensis, & Hieronymus Riccaldonus Collegę post nonas Septembrias, in quibus cœtum quempiam Ariminensem à Ruellio Generali ob grauissima negotia indictum celebrauere congregatis funestissimum, fato item cædentibus post illum Theodosio Rouescalla Procuratore Curiæ, & Ascanio Martinengo Consularibus, alijsq: Conscriptis ad sacram usq: unctionem ægrotantibus: Quare loco functi Riccaldonij suffectus est Maletus, & Burlamacchio datus est successor Constantius Vernaccia Cremonensis. Non ita facile percurrentem publica huius Reipublicę acta occcurrent multi, qui ab uigesimo

neralem Merlinum habendis concionibus, dum Comitia ius hoc denegabant de nouo laureatis in odium cuiuſpiam liberalioris Dietæ Vicentinæ, tum demum ipſo referente Maleto honorificè primo loco inter Concionatores crearemur. Ab illo taliter aſſumpto exordium ſumitur Supremæ Præfecturæ in orbem per quinq; Ordinis prouincias ſe voluentis, vt per ſanctionem Pauli Quinti in ijs comitijs publicatam cauetur, in qua dicitur per præciſa verba: In electione autem Abbatis Generalis infraſcriptus turnus ſeruetur, & Eccleſiaſtica Prouincia præcedat, quæ, quia ad præſens Abbatem Generalem habet, ſuum turnum habuiſſe, & compleuiſſe cenſeatur, triennio autem præſenti elapſo, ex Ducali, Principatuſq; Pedemontis inſimul. Sanctio huiuſmodi ideo curata dicitur, vt vnicuiq; prouinciæ, pari paſſu incederent onera, & honores, quorum poſtremi duabus tantummodo per impotentiam partiri dignoſcebantur. Vtrum autem id commodo cedat, viderint & præſentes, & futtra poſteritas. Manum admouit clauo Reuerendiſsimus quo ordine peritiores quiquę Nauarchi ſolent, oculo mentis ad innocciduum veræ pietatis ſydus intento; vt hinc Euris vel Zephiro ſpirantibus per malacciam, ac per procellas nauim ſibi commiſſam optato in litore collocaret. Auctore ipſo clericale biretum iuxta formam cleri ſæcularis deferrimus, cum ad illam vſq; diem nigro quidem, & in crucis modum, ſed aures cooperiente more antiquo ab vno tantum Beatiſſimo conſeruato vſi fuerimus. Vt enim longo incolatu Purpuratorum Romæ Principum, aliorumq; inferioris ordinis Prælatorum obſeruauerat propenſiones ac placita, quin & ſepiſſimè priuatis in acceſſionibus vt inaudierat ſuſſurationes domeſticaque iurgia, quibus indigna cenſebatur primigena Clericorum Congregatio; quæ in habitu extimo Ordines non clericales (quos Fratrum dicunt) imitaretur ſub quocunq; prætextu; opportunum ſibi ſuaſit inſeruire tempori, Clericoſq; Canonicos tales in Eccleſia Sancta offerre conſpiciendos conformes cæteris clericis, quales ſuaptè natura ſunt. Ideo biretum Papyro incluſa eleuauit, formamq; prę́ſcripſit vſui. Exoptauit etiam validè Cappas, quas ab primæua ipſa Hipponenſi reſtauratione defferrimus ſuper Rochetto cum domo egredimur; deponere, palliumq; quod mantellum dicunt, item clericis ſæcularibus vſitatum aſsumere; nec non & clericalem tonſuram eodem modo, quo & illi componere, dimiſſa illa, quam deferimus in modum coronæ iuxta vſum, & modum clericorum primitiuæ Eccleſiæ. Excitabatur, impingebaturq; ad hæc molienda, & fermè innouanda; quia cerneret pręſentia tempora non approbare quæ anteactis placuiſsent: Clericos non dedecere clericis conformari ſaluis ſubſtantialibus Ordinis; Cappam, biretum capitis, coronatam tonſuram Fratribus mendicantibus communia (qui in ipſa origine à nobis clericis Regulari-

bus ea mutuauere ad proportionem suorum institutorum) nos quoque in oculis aulæ auersantis, & populorum insciorum pro Fratribus exhibere: Tria illa negotium Congregationi facessisse diuturna in illa grauissimaq; pugna, qua cum Cassinatibus monacis in iudicio confliximus, qui, demptis hisce exterioribus Fratrum signis, haud indecens rerebantur clericis verè talibus, perq; habitum talibus repræsentatis iura maioritatis Ecclesiasticæ cædere: Choortos vltimo loco Clericorum Regularium inclytos Ordines diuerso à nobis tramite incedentes clericalia sæculi huiusmodi signa prudenter retinuisse. Verum ad tanta hæc meditata non accessere progressiones. Siquidem in vno bireto introducendo ex senioribus potiores habuit, priuatim tamen, contradictores, quibus videbatur vniuersam Societatem pessundari, vsu nempè apud eos in naturam mutato tenacius retinentes quæ à maioribus recepissent vel absona, vel consona. Quare hoc per Senatus Consultum, perq; Plebiscitum firmato, manum; mentemq; à cætero subtraxit opere. Exacto supremi regiminis triennio Abbas Pacis, & Generalis Procurator in curia Romana decernitur, atq; illo item expleto munere Visitator Tertium renunciatur sub Verdellio Generali. Dum totus in hac prouincia de more est, ab Serenissimo Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce Orator apud Pontificem extraordinarius mittitur, primo quidem loco ad curandum de Beato Amadeo in apoteosim referendo, deinde verò ad cætera negotiorum Status pertractanda, & promouenda, quibus & antea non semel manum admouerat ad multam hebdomadam Principi opportunus, & placens. Demum eo, quo supra exordiebar, nostro euentu Episcopus Niceæ in Gallia Narbonensi creatur à Gregorio XV. eodem Serenissimo postulante. Illi sufficitur in lustrandæ Congregationis ministerio Ioannes Thomas Prouana Taurinensis vir suę commendationi par. Quæ gesserit in Episcopatu inter summas bellorum vagantium difficultates aliorum erit curę. Scripsit igitur,

*De vita Beati Amadei Octaui Tertij Sabaudiæ Ducis libros tres Italico Idiomate. Taurini apud Io: Antonium Seghinum Anno 1613.* *Lib.* iij.

Matthæi Bartolini.

*Anagramma.*

Pater Petrus Franciscus Maletius,
En tu perarrus multis factis places.

*En tu perarrus summa virtute coruscas,*
*Qui multis factis, Petre verende places;*
*Quis tibi nunc aliunde velit præconia laudum*
*Quærere; te meritum sat tua facta canunt.*

Ga-

Gabriellis Corui Placentini.

*Anagramma.*

Petrus Franciſcus Maletus,
Fructus ſanè carus templis.

Q*VAE te planta tulit? quibus oris conſita? quæ te*
*Plantauere manus? quæue rigauit aqua?*
*Planta Deus, Cælum tellus, huic conſitor, imber,*
*Hanc idem aſsiduus fouit Apollo, Deus.*
*Cuius tu ſanè euulſus de ſtipite fructus*
*Petre, adeo templis carus es ipſe ſacris.*

Eiuſdem

*Anagramma.*

Petrus Franciſcus Maletius,
Pſaltes mirus vt cycnus ferit.

M*Irus, vt eſt cycnus cantat cum funera pſaltes*
*Haud minor eſt Petrus, dum tua, Chriſte, canit:*
*Ille canens moritur, morituros adiuuat iſte;*
*Ille aures cantu, pectora at iſte ferit.*

Eiuſdem

*Anagrammata*

Petrus Franciſcus Maletus, vel Maletius
Muſis præfectus clarus nitet.
Planè ſcitus mulcet, vrit feras.

F*Abula, quæ quondam multos eſt dicta per annos,*
*Scilicet Orpheam ſaxa animaſſe chelym;*
*Vera ſit; argutos cum promit pectore ſenſus*
*Franciſcus Sanctæ Religionis honos,*
*Præfectus Muſis, qui planè mulcet, & vrit,*
*Ore feras ſcitus, clarus, & vſq; nitet.*

PE-



# PETRVS NICOLAVS LVCENSIS.



ETRI Nicolai Lucensis paucula libabimus superstite adhuc florida iuuentute, quæ præceptoris doctissimi omnifariam eruditionem necessario testimonio commendat, non tam ore non ingrato, quam opere semper exculto siue cathedras spectes disputantium, siue prædicantium pulpita. Enituit porò viri doctrina eo tempore, quo nos ad bonam frugem per scientiarum directores in Congregatione promouebamur siue Ticini, siue Patauij, æmula illorum, & adæquatrix. Sub vnis enim auspicijs Camilli Becij Generalis ad nostros accesserant ij, qui tum in Gymnasijs Lateranensibus profitebantur illustriores; & emenso pari ętate, paribusq; nisibus studiorum stadio benè ordinatę æmulationis gloriam ex industriæ, & ingenij sudoribus promercabantur. Inter eos verò Petrus primam laudem promptissimi genij promereri credebatur, vt potè, qui acumine intellectus ab vsque ineunte ętate pares omnes prçcesserat, & exprçssiua facultate, tam si maternam, quam si latinam locutionem adhiberet, ornabatur impensè etiam subitanijs in ipsis allocutionibus. Vt autem non vniuersa dona vni tantum collata cernuntur, alij firmioribus studijs, & constantiore labore idem stadium ęqua felicitate pertinaciter commensurabant. Placentinam, Cremonensem, Portuensem, Patauinam, Academias illustrauit Theologus, atque Philosophus. In ijs potiora, atq; singularia habuit cogitata, quæ Peripateticis sectis nouas superinduxissent opiniones, si aut latiorem campum, aut laxiores habenas per professionis suę ligamina adinuenisset. Stetit aliquando pro partibus Thelesianis, & in Generalibus quibusdam Comitijs Rauennatibus Magister iam Theoremata plurima sustinuit juxta eam viam, maiore conciliata admiratione, quam inducta Paradoxorum suasione in auditorum animis, qui fortè prædominante consuetudinę abhominari viderentur, quę Aristotelicis dogmatibus, aut saltem principijs phisicis sunt aduersa. Verum fuere illa exercitationis disputatiuæ conamina, non adhesiuæ intellectus fœturę, quasi iocari expediret ad exercendum ingenium, & ad noua curiositatis studio proponenda. Peperere tamen ipsa interim expetendum opus, & in eo dogmate explicando, atq; medullitus possidendo pernecessarium

cessarium. Etenim fontem ipsum librorum Bernardini Thelesij Cosentini adiens, ibiq; aquas ad saturitatem puritatis epotatus, illas in riuulos deriuare studuit, vt se muniret ex integro, & agros propriæ possessionis, & aliorum facilius irrigaret, & felicius impinguaret. Operis autem Titulus esto, Thelesianæ Philosophiæ compendiosa Explicatio sexaginta lectionibus comprehensa, cuius prothotypus apud nos extat. Ætate adauctus, & meritò administrationem publicorum negotiorum adijt assumptus per Synoda, vt qui aliquando titularibus tantummodo prælaturis in signum honoris illuxerat, fulgeret adaucto talento, & accreta agendorum occasione. Patriæ Canoniæ clarissimæ Sancti Frigdiani præfectus est, quam dignitatem nuncupatione præcipua Domini Prioris honestant, æquatricem fermè plurium Episcoporum, si aut iurisdictionem super annexas quammultas Ecclesias, aut insignia priuilegia attendas. Sunt inclitorum virorum inclita loca, & egregiæ prouinciæ fortibus debentur humeris. Ex decore cumulatę dignitatis non tanta sibi asciuit lumina, quanta restituit. Vitę integritate morum grauitate, doctrinæ robore, eloquentię suauitate probatus est apud Patres illos Lucensis Reipublicę ad vsque apicem omnis reuerentiæ, & amoris. Innata penè ex vsu studiorum munimina & si remiserit pluribus occupatus assumptę personę proprijs; non intermisit tamen, quin augens ex dilatis desiderijs desideria, quas horas suffurari dabatur siue diurnas, siue nocturnas eidem negotiorum moli acrius perurgebat vna secum animi sensa, atq; cogitata colligens; Parare cępit, atq; digerere per illos annos multo ante meditatum opus Concionatoribus Italis per quam vtile, in locos communes digestum de vna quaq; prædicabili materia, iamq; fama exierat nobis sępe audientibus ad debitum aliquando finem perductum. Verum morte virum pręripiente labores tanti lucem adhuc desiderant. Non tam inclementer accidit de concione illa, quam in Diui Episcopi Silai festo habuit in Ecclesia Virginis, ac Martyris Iustinæ Lucæ Dominico infra octauam Ascensionis Domini die summo omnium ordinum plausu. Siquidem per ocissimum amanuensem dum recitaretur excepta ad ingenij curiositatem, atq; culturam, ac per eruditorum manus diù vagata, tandem Octauianus Guidobonus impręssit, Tegrimoq; de Tegrimis Archidiacono dicauit. Cernent in non multis paginis solidi, pijq; lectores per futura sęcula quantus vir fuerit is, qui talia disseruit, quidue sperandum venisset si maioribus voluminibus fortuna opes suppeditasset ęquè ac ingenium. Quamuis autem egregiè commendabilia appareant quęcunq; scripsit; mutlo tamen commendabiliora ab ipso eius ore prodeuntia excipiebantur, qui omnibus liberalis naturę donis cumulatus exactissimi Oratoris partes explebat suauitate sermonis cum paucis comparandus. In ipso etiam domesticæ conuersationis congressu dum ferebat, quę proprij instituti essent

ti essent opportuna semper ad promouendam pietatem, religionemq; colendam, tanquam longè aliena pertractaret, sensim alliciebat, melioresq; secum pertractantes dimittebat. Decessit anno vndecimo huius sęculi quinquagenario minor multo cum nostrorum mærore, qui ad apicem pręfecturarum Congregationis peruolantem ominabantur, atq; suspiciebant. Reliquit post se ad subeundos labores, & ad iuuandam pro virili Congregationem Romanum de            ex sorore nepotem, qui nonnulla nostrorum Gymnasia tenuit nunc Philosophus, nunc Theologus non infima cum laude, atque post exercitam Beatę Virginis de Frigdionaria pręlationem Theologus apud Parmenses decessit Placentię, vbi cum alijs conuenerat ad Synodum Procurator (quem dicunt Capitularem Socium) Collegij Parmensis. Sunt ergo ex Petri promptuario.

*Concio de Diui Silai Episcopi laudibus. Lucæ anno 1610. apud Octauianum Guidobonium. Lib. 1.*

*Thelesianæ Philosophiæ Compendiosa Explicatio Sexaginta Lectionibus comprehensa manuscripta.*



PE-

# PETRVS RECTA LVCENSIS.





NTEQVAM ad Lateranenses phalangas accederet reformanda percelebris Congregatio Canonicorum Regularium Sancti Frigdiani Lucensis opere pretium erat, vt plura præcederent in modum præuiarum dispositionum: quippe quoniam res illa Ordini vniuerso Canonico maximi momenti futura cernebatur ob loci prerogatiuam, dignitatemque antiquitatis singularem. Atque de facto illa preceſſere quidem, vt ex annalium fide colligitur. Sed eorum porro nihil tam vtile, in remque perficiendam proximum fuit, ac efficax, quam præaccesſio cælitus fermè experrecta Petri Recte, Riccardiq; Lucensium Canonicorum. Ij nanque adoptione sua in Lateranensem cœtum vniuersis alijs Frigdionarijs viam complanauere, quicquid rudis, & impoliti interponi videbatur sustulere, atq; exemplo paratisſimo vmbras prorogationis fugauere, tempestiuamq; fecere sanctiſſimam reformationem sepius discuſſam, propositam, atque tentatam. Iam ab anno nono supra millesimum, & quadringentesimum Vincentius Ianotius Canoniæ Diui Frigdiani Prior exordia cernens Reformationis Frigdionarianæ feruentisſima, sanctèq; ac feliciter in Domino procedentia, se, suosq; subditos illi adiungere sibi induxerat in animo; req; illis proposita omnem mouit lapidem, vt quod diù parturiebat, pareret. Verum vt res quæq; sua debent maturitate nasci; vnio huiusmodi tunc præcox fortasſis apparuit, & in aliud tempus dilata, somno quodam penè centenario consopita, supinè iacuit ex temporum, casuum, gubernationumq; varietate. Tandem Ordini Canonico miserante Numine obreptum somnum, aliquoties tamen leui aliqua tractatione interruptum excuti plenè ceptum est, excubias agentibus, ac preuigilantibus prelaudatis Petro, Riccardoq;. Ij nanque apud Frigdionarios illos profesſi, & in viros iam eximios euasi verarum, solidarumq; virtutum posseſsione, & exercitio, circumquaq; Italiam omnem oculo mentis purisſimo perlustrantes, & incrementa sanctisſima lance sanctuarij ponderantes Lateranensis familiæ, quę vndique floreret in virorum preclarisſimorum sanctimonia vitę, conuictus austeritate, morum innocentia, predicationis gloria, Sacramentorum administratione, Principum gratia, &

populorum beneficio; se diuini spiritus igne repleri, vt ad illam sedes transferrent, illiq; conuiuerent pariformes sensere. Futurum illis imprimebatur in mentem, vt proximorum saluti efficacius operam commodare sibi daretur: & dum ipsi sanctorum virorum contubernio plura ediscerent in salutem conducentia propriam; adhuc multo plurima alios edocere possent, quę in angusto illo Æthrurię angulo, & in perpaucis monasterijs Sancti Frigdiani, non ita peruia haberent, promptaue. Hinc facultate obtenta Lateranensibus consociantur, quorum vix biennij contubernio sanctè transacto ad pergama, adq; subsellia auricularia contrectanda iubentur accedere. Sed de Riccardo alias. Petrus ex Theologiæ, Philosophięq; solidissimę promptuarijs prędiues, & ab exercitatione quidem acta vtrorumq; ministeriorum aptior, non sensim, sed simul ac officia attigit notissimus, acceptissimusq; plebi, patritijsq; factus est. Vna virtutum omnium regina Charitas illius insidens animo illum omnia omnibus factum exhibebat de corde puro, conscientiaq; bona, & fide non ficta. Montana Bononiensium Canonia Virgini Euangelistæ sacra contubernium dedit accedenti primum, & per annos plurimos deinde senescenti. Per summam autem vitæ asperitatem, & per excellentem diuini verbi facundiam adeo populum illius Ciuitatis exciuit vberem, vt procubentium ad illius genua pro expiandis noxis maior esset omni numero copia, Pœnitentium pater communiore appellatus vocabulo. Quisque adinueniebat penes sacrum pectus quicquid saluti conferre in suo genere dignosceret, nobilis, plebeius, vxoratus, virgo, vidua. Per annos sexdecim à sacris confessionibus fuit Helenę, quam dicunt ab Oleo de Bentiuolis, sanctimoniæ per ea tempora celebris, virginitatis in coniugatu cultricis integerrimæ, mirabilium patratricis illustris, Beatitudinis titulo ab populorum deuotione post pijssimam mortem honestatę, & aliquando, Deo dante, per Apostolicam Sedem legitimè honestandæ. Neque ideo Spiritus Sancti donum vni domicilio illi alligauit; sed potiores Italiæ Ciuitates saltem per quadragesimale curriculum coluit, nunquam ad extremam vsque horam silentio obuolutus. Venetis pręcipuo quodam post Bononienses talento desudauit diutius. Nullibi fucum faciens extitit populis de pręcepto Domini conquadratus, complanatusq; legis gratiæ orator; prudens vt serpens, simplex vt columba; libertatis verè Apostolicæ, sed quæ nullum læderet, præter peccatum, inimicamq; animæ mortem. Ea propter præstante numine illam attigit successu temporis penes quosq; venerationis metam, vt præcipua quælibet capita tam Politici, quam Ecclesiastici Ordinis vbiq; locorum illum exciperent, audirentq; tanquam de Cælo missum. Et quidem dona, quibus illum cumulauit Altissimus, emicabant intaminato fulgore, virginei candoris, profetici spiritus, profundissimæ doctrinæ, & in hisce super omnia


humili-

humilitatis altissimæ, secundum quam sui rex animi, humanæ gratiæ, gloriæq; despicientiam induebat perfectam. Nam qui fieri poterat, quando (quod vulgo fertur) non capit Regnum duos, vt sapientissimi Regia pectoris, quam totam imperatrix virtus occuparat; seruilis ingenij collegam admitteret ambitionem? Hinc ad eiusdem humilitatis mensuram dona Deus immittebat ampliora: inter quæ non illud est postremo commemorandum loco, quod ipsemet (nam opera Dei reuelare, & confiteri honorificum est) aliquando sibi concessum aperuit deuotissimæ illi Sanctimoniali Canonissę Baptistæ Vernacciæ Genuensi, vt scilicet nulla creaturarum delectatione teneretur. Absorbebat diuinus amor omnem eius cogitatum, & creata propter Dominum in Domino diligebat. Neque illud silentio obuoluendum est in prophetici eius spiritus euidentiam, quod Bergomi accidit, in hæc verba relatum ab pio Auctore Historiæ Ecclesię Bergomensis capite centesimo tertiodecimo secundę partis. Dominus Petrus Lucensis Canonicus Regularisoperarius de hac vinea benemeritus anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo maximo feruore toto tempore quadragesimę dignissimas habuit conciones vsq; ad octauam Paschę, quo die interdictæ fuerunt omnes huius Ciuitatis Ecclesię à diuinis officijs, quæ interdictio durauit vsq; ad decimum quartum Decembris, quo die liberatę fuerunt. Sequenti autem die dominico post octauam Paschę ipse Reuerendus Dominus Petrus vltimam suam concionem habuit in plateola sita ante ędem Sanctę Trinitatis, & Sancti Spiritus in Suburbio Sancti Antonij, in qua concione pręsentibus quatuor Reuerendissimis Episcopis Aloysio Lipomano electo Bergomensi, Gabriele Bononiensi Archiepiscopo Bariensi, Bartholomęo à Sonica Iustinopolitano, Aloysioq; Tasso Maceratensi, & Recanatensi, innumerabiliq; virorum, mulierumq; multitudine, multa pręduxit euentura mala, cum particularia, tum etiam generalia; videlicet mortem multorum violentam, pestem, famem, bellum, quæ ómnia sicut pręduxerat euenerunt. Is igitur erat concionantis spiritus, hęc illuminatę mentis in tenebras futurorum euentuum gratia in profectum salutis proximorum prodeuntes: in quam salutem curandam, vt nullum sibi possibile medium relinqueret intentatum voluit, & calamo prodire proficuus per mirabiles tractatus illos, diuinoq; pneumate repletos, quorum synopsim infra reddemus. Interea ad spirituale solatium excipit de Cęlis pręfatam veteris Frigdianæ familiæ in Lateranensem adoptionem reformatione mediante. Gerardus enim de Cagnolis Prior, cæteriq; Canoniæ illius alumni animo recolentes in quantum virum Petrus excreuisset in domo Domini ab illius transitu in noua castra, quantisue e contra ipsi prem erentur incommodis, ac in dies labi expauescerent in deteriora ob temporum, atque rerum iniquitatem, secundum quam vix in Patrum hæreditate Canonica stare

permitterentur; sæpius & per literas, & oretenus ab Petro ipso animati tandem difficultatibus omnibus, quæ satis vberes scatebant, superatis in Lateranensia iura Monasterium illud, cęteraq; ab illo pendentia transtulere anno decimo septimo supra sesquimillesimum. Nec defuit optimæ vnioni Apostolicę firmitatis robur, Leone Decimo Mediceo Pontifice cuncta per suum diploma comprobante, & dirigente in sequentia futura sæcula. Post hæc vixit Petrus ad quinquennium, cuius tres posteriores ponit Abbas Montanus propria quidem repugnante propensione, sed in obedientiam munus imperantem acquiescente. Siquidem comitia Mortariensia, quorum ipse exordia resserauit per ardentissimam orationem (Ingressum Capitularem nostri dicunt) tali ordine exegerunt ab eo pastoralis officij partem, vt nonnisi cum crimine nequiuerit non obtemperare. Postremo igitur illius muneris anno diem clausit extremum, in eo prorsus rerum familiarium statu, cum maximè frugi monasterio illi esset, tam quo ad spiritualium exercitium, quam quo ad temporalium accessionem. Nullus penè Bononiensium fuit, qui ad pium funus non accesserit, & ea non ediderit publicæ deuotionis signa, quæ in viros sanctitate conspicuos, & communi fide Deo prædilectos exhiberi solent. Post biduum tumulatur sub tholo ante aram maximam ex parte illa, quæ organa respicit. Vidimus aliquando summarium quoddam Vitæ Beatæ Helenæ ad Leonem Decimum Pontificem manuscriptum pręferens Auctorem ipsum Petrum, extatq; apud nos eiusdem exemplum. Certè nos vel illum huiusmodi opusculi auctorem non arbitramur, vel si quid tale conscripsit per adiecta aliqua adulteratum ab inerudito credimus. Extant eiusdem vera, dignaq; vt perpetuo præ manibus habeantur.

*De Arte ritè meditandæ Christi Domini Nostri Passionis Librum vnum.* *Lib.* 1.
*De Imitatione Domini Nostri Iesu Christi Librum vnum.* *Lib.* 1.
*De Modo benè moriendi Librum vnum.* *Lib.* 1
*Documentorum Spiritualium ad Catharinam Carminatam Nobilem Lucensem Librum vnum. Bononiæ Anno Domini* 1509. *Lib.* 1.
*Regularum Vitæ Spiritualis, Secretæq; Theologiæ Librum vnum.* *Lib.* 1.
*De Humilitate Librum vnum.*
*De Munditia cordis Librum vnum. Quæ omnia primum Bononiæ edita, & alibi postmodum, postremo absq; duobus posterioribus libris edidit Venetijs Franciscus Senensis Anno* 1592.

# P. PAVLVS DE RIBERA VALENTIANVS.



X transmarinis regionibus ad arua Lateranensia translatus est Petrus Paulus de Ribera Valentiæ in Hispania loco eo egressus, quo natales Serenissimos gloriari possit, ocultos tamen; si vera sunt, quæ ex ei contemporaneis senioribus nobis peruestigantibus relata sunt. Adolescens Italiam adnauigauit, quo consilio; vix explicari potest. Haud fortè perperam de illo dici promptum est, quod quidam cecinit eruditè, & eleganter de arbore ea, quæ

*. . . . . . Cælo aduena nostro*
*Venit ab Eoo Persidis axe prius.*
*Translatu facta est melior, quæ noxia quondam*
*In patria: Hic nobis dulcia poma gerit.*

Cum nostrorum rituum factus esset adhuc in sæculo obseruantior; præstanti discessione mundi curis terga danda iudicauit, eò tum maximè tempore, cum fulgidiores illi se offerrent temporalium rerum apparatus, vt se tutioribus in stationibus Religionis reciperet. Matura iam in ætate constitutus maturiora secum tulit consilia, & ad omnem disciplinæ normam paratiora. Hinc licet dies pristina auuersum animum à scientijs militari, atq; aulico apparatu, & supellectile imbuerit: prompto tamen iudicio per iugem laborem sic se gymnasticis exercitationibus dedit, vt solertis cultoris partes in vinea Domini Sabaoth explere quiuerit indeffessè. Ex Papiensi nostra Academia dimissus primo tempore ad concionandum; simplicitate dictionis, & sublimitate sensuum munus suum viriliter aliquot annis expleuit summo semper studio populorum saluti incumbens. Id autèm potissimum demonstrauit, cum ad Diui Frigdiani Lucensis Canoniam assignatus, Ecclesiam Parçcialem Sancti Saluatoris in ea Ciuitate Rector administrauit. Siquidem tanta zeli alacritate, & contentiosa sedulitate institit proximorum adminiculis; vt Episcopus ipse post diuturniores obseruationes in spem vberioris segetis erectus, illum summis officijs à Congregatione impetrarit. Octennis illi stetit ad Sanctam Crucem Vallis Arni de infra. Ægrè autem inde submotus reluctante mirum inmodum Antistite, qui maximè nouam viri probitatem comprobarat, ac sibi,

popu-

populisq; commissis vtilem; Tremitanę Procurationi apud Neapolitanos Proreges assignatus est. Auerso semper illi fuerat animo à temporalibus curandis administrationibus, & ab sęculi se curis immiscendo, qui propterea Ordinis Prçlaturas declinarat vsquequaque. Verũ id extitit obediẽtię. prçcipientis imperium, ea temporum iniquitas, & occasionum nexus; vt colla iugo promptè sibi fuerint supponenda. Biennio negotium illud administrauit gratia Mirandę Comitis Proregis inita, & Magistratibus Regni sibi conciliatis euentu felici rebus omnibus compositis, quę de summa prouentuum Insulę Diomedeę, Arcis, ac subiectę ditionis erant, quod latè est videre apud eum in suis terminis, atq; medijs libro secundo Descriptionis Tremitanę capite primo. In longiora progressurus erat tempora, qui ad id munus plurima conferrebat in alijs nostrorum haud facilè reperienda, natalium apud Proregem subcognitorum splendorem, Hispani idiomatis possessionem, animi promptissimi feruorem prudentię tractibus confirmatum; sed reluctantem genium tandem audire comprobarunt Superiores, non tamen de integro. Cum enim ad prioris vitę genus apud Lucensem Pontificem repetientem instaret regredi tanquam amica quiete sibi superquam idoneũ; supremo ordinis Moderatori longè aliter visum est pro communi Congregationis commodo. Taurinum missus est vt apud Serenissimos illos de Monasterio nostris cõcedendo pertractaret, quod opus ad vltimam vsq; coronidem feliciter pertractum vna deficiente conditione euanuit. Concedente Serenissima Catherina infante Hispaniarũ Ducis Allobrogum vxore, Palatium quoddam ad medium lapidem Taurino distans nostris assignabatur, ex cuius altero conclaui inferiori excitanda Ecclesia per modum prouisionis donec obeunte Abbate Secusino commendatario Fabio Blondo Patriarcha Hierosolimitano iura illa in integrum Congregationi consolidarentur. Interim ex proprio muliebri mundo ipsa ad Sacrarij suppellectilem formandam plurima conferebat vestimentorum, argenti, lapidum præciosorum, & aliorum id generis similium. Verum aliud in fatis erat, dum impari passu Ascanius Martinengus eorum annorum Rector Generalis sibi gradiendum autumauit. Ribera Taurino Secusium, atq; inde Vercellas, demum Venetias profectus, ibi ex actiuæ vitæ sterilibus negotijs ad contemplatiuæ fœcunda otia transuolatus animum scribendo appulit, vt videlicet medijs typis proximo inseruiret, quod medio suggestu vltra præstare nequibat, suppleretq; calamus vices linguæ, quæ prægrauis ætatis iam laborabat incommodo. Anno igitur sæculari millesimo sexcentesimo Italico Idiomate edidit opusculum De modo consequendi Iobæleum ac alias Indulgentias, vt viam nempe sterneret religione motis populorum animis eo tempore, quo Summus Hierarcha Clemens Octauus Romæ exempla

omnifa-

omnifariæ pietatis præstabat confluenti ad Sacram Ciuitatem Orbi. Ad id autem Scripturæ impulsus extitit zelo illo salutis animarum, quo nil præstantius lucubratori obuenire contigit. Quippe qui cum à sacris confessionibus esset in Diuæ Virginis de Charitate ædibus, quotidiano experimento auriculariter addiscebat, quam necessariè paruulis frangendus esset sacrarum illarum materierum panis, dum pro doctioribus integra maiora volumina non deficiunt. Non ita multo post edidit etiam Cronicon historiale Insulæ Diomedeæ, quod à Benedicto Cocorella latinè pridem compositum Italicæ locutioni ipse dedit quam multis de suo nouissimè adiectis ad moderniorem eiusdem Insulæ situm, atq; statum exprimendum, quod tanto fidius ab eo præstari poterat, quanto exactjus per integrum sexennium loca ea praxi lustrauerat, cum ibi prima, & religionis, & doctrinæ rudimenta poneret. Demum edidit libros quatuordecim De Illustrium Mulierum prestantioribus exemplis. Verum qui apud exteras nationes natus erat, linguam alienam absq; naturę adminiculo professus non satis purè Italicum idioma aut locutus est, aut suas lucubrationes in eo perscripsit. Cęterum non est in eis desideranda ęqua curiositas. Quieuit in bona senectute Venetijs Anno 1609. Habentur igitur ex eius promptuario.

*De Modo consequendi Iobeleum, atq; alias Indulgentias Italicè. Venetijs apud Nicolaum Misserinum Anno* 1601. *Lib.* I.

*Croniçon Historiale Insularum Tremitanarum Italicè. Venetijs apud Ioannem Baptistam Colosinum Anno* 1606. *Lib.* vj.

*De Illustrium Mulierum præstantioribus nongentis ferè exemplis Italicè. Venetijs apud Euangelistam Ducchinum Anno* 1609. *Lib.* xjv.



PE-

# PETRVS DE RIDO PATAVINVS.





NTER duodecim primos illos socios, in quorum capita faustè iacta fuere Frigdionariç Reformationis primordia, valdè vtilis enituit Petrus de Rido Patauinus, cum vitç simplicis sanctimoniæ (in quam communiter, pariformibusq; votis omnes insistebãt) miram quampiam dexteritatem, & peragendorum negotiorum solertiam solidis prudentiç humanç fundamẽtis innixam coniunxerit vel vnus, vel ex paucis. Quippè aurum ex Ægypti contubernio cumulatum inter publicas doctissimorum virorum vniuersitates, ad exemplum filiorum Israel, transtulit ad sacra castra mutato fœnore, vt afforet Regina Sanctitatis à dextris eius in vestitu deaurato circundata varietate. Audi igitur filia posteritas, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum: & filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Dedit nomen Christo Saluatori iam in multos progressus annos, qui quartam satis decadem excessisset, prædicationibus Bartholomæi Columnij excitus, vel magè in constantis deliberationis terminum solidatus. Iam enim à pluribus annis nutabat de vitæ instituto, cum ægreferret seculi, etsi feliciter sibi cedentis vanitatem, & insolentiam. Gens Rida, quæ de Rio, florebat inter Patauinorum patritias domos per ea tempora illustris potentia, opibus, affinitate, virorumq; numero. Nec vltimum rei testimonium exhibet Antonius ille Rido, qui Eugenio Quarto sacris principante arci Eliæ præfectus Cornetanum Cardinalem Patriarcham Ioannem Vitellium prudens, fortisq; medias inter acies distinuit. Notat etiam Riccolonus in libris Gymnasij Patauini Collegium Ridium ad pontem curuum a b eadem familia constructum. Extat etiam nobilis memoria Danielis, & Paganini Vtriusq; Iuris Doctorum apud Portenarium. Ex ea genitum plura obuiauere commoda ad veræ virtutis apices, quibus nec ipse defuit adhuc à natura egregiè liberalibus studijs inclinatus, vitæq; instituto illi, quem Ecclesiasticum dicunt. Apud Patauinos historicos Scardeonium, ac Portenarium de illo insigniter memoratur, quod aliquando Philosophiam publicè in ea Academia professus fuerit.

fuerit. Certè apud nostros pro comperto est, Vtriusq; Iuris peritissimum Ticinense gymnasium ad plures annos exercuisse. Quare satis liquidò colligi potest quinam essent viri Philosophi, & Legum Consultissimi apparatus ingenij, quænam humana laus. Sacerdotali caractere pridem insignito, & viam spiritus primo pede attingenti affuit Columnius prædicatione Papiam excitans ad expianda veteris vitæ delicta. Vsfit de facili flamma Diuini amoris cor docile ab ipsis primis concionibus, atq; ideo virum suasorem à suggestu priuatis congressibus conuenit pluries, vt præcauens in futurum ab illo domum referret quibusnam præsidijs munienda foret anima. Ea propter proponentis de nouo quodam Canonicorum Regularium vitæ reformandæ genere, quod tum meditabatur, consilium suscepit; atq; detectis nobilissimis socijs solidam probitatem vel ore ipso repræsentantibus se coniunxit ad exequendas iniunctas aliquales edomationes, quæ præuiæ dispositiones essent arctioribus placitis amplexandis. Cum primum terminus affuit relinquendi sæculi ex condicto, clancularius, repentinusq; abiuit codicillo relicto de supremis voluntatis arcanis circa bonorum, familiæq; dispositionem. Anhelantium eandem viam, vitæq; normam Galdini Bardi, & Nicolai de Curte societate potitus est, cum quibus pariter de manu Sanctissimi Columnij lucratoris habitum sumpsit, vt posteriore isto ternario integrum, & bene faustum Collegium expleretur. Fuere initia, profectusq; in via Dei qualia ardor ipse animi ferebat, qualiaue & ipse res mirabiles præstitæ testarentur. Si Galdinum Bardium excipias, vniuersos prorsus anteiuit in publicis rebus, iuribusq; curandis. Nec tamen Mariam Martha suffocabat. Nullus videbatur viro pijssimo somnus inesse, nulla reparandi cibo stomaci ingenita necessitas, quem nec vigilia attereret, neque inedia mulctaret. Vt primum Reipublicæ iuuandę manum adiecit, proficua bonitate posteros erudiuit, solertem sacerdotem conciliare posse actiuam, contemplatiuamq; vitas, si, adspirante Numine, qualis esse debet, esse velit. Primus Prior Casoretani Collegij propè Mediolanum institutus, secundam eam Congregationis prælationem subiuit alacritate promptissima, quod latè patiendi plurima sibi daretur occasio, dum in egestate rerum omnium debilia initia fundarentur. Quatuor Concanonicos itineris habuit comites, laborumq; socios, atq; Thadęum Binaschium possessionis immissorem. Seuit inibi ea, quæ fructum centuplum reddidere, & factum est Monasterium illud insignium virorum sanctitate, atq; doctrina seminarium. Lucratus autem cum primis est Bassianum Priorium, ac Simonem Mediolanenses, viros compluris nobiles, qui in concionatores mirificos euasere, & Congregationem multipliciter prouexere summo clauo aliquando præfecti. Quintum decimum conuersionis annum attigerat, cum eius administrationi demandata fuit Canonia Sancti Leonardi de monte Donico propè Veronam, vt scilicet alterius quoq; prouinciæ seminarium (quod nouitiatum dicunt) iam Benedicto Parcitadio

institutore erectum solidaretur, atque vberiora curarentur segetum diuinarum, & humanarum molimina. Vicinitas Brixiensis Ecclesię discurrenti ad concionem ansam præbuit augendi populi Frigdionarij accesſione perantiquæ Canoniæ Sancti Saluatoris eiusdem Ciuitatis. Odore enim iam se dilatantis Congregationis delectatus Gulielmus Placentinus Præpositus, cæteriq; Concanonici, atq; confirmatus eloquijs, & familiari contubernio Petri e Cathedralis suggestu declamantis in frequentissimo populorum etiam conterminorum concursu, Monasterium suum cum omnibus iuribus, & pertinentijs eidem vnire decreuit. Quare ad id præstandum procuratoriam facultatem per publicas Notariorum tabulas fecit Petro solemniter, vt apud Pontificem rem pro dignitate transigeret, transegitq; & obtinuit. Erant autem viro prudentissimo etiam inaccessa ipsa peruia, qui in omnem se partem flecteret, donec effectum negotia sortirentur, quod religionis, pietatisque munia nequaquam segniter adeuuda prædicaret. Cum per Generalem coactam Rauennæ Synodum Guglielmus Placentinus nostro aggregatus consortio Summus Præses esset renunciatus, ipse vna cum Galdino Bardio primi Congregationis Visitatores instituuntur admonitore Leone Carato, vt adaucto grege etiam pastores ad excubias adaugerentur. Illo dehinc post annum dignitatem resſignante hic in eius locum suffectus est Decimus in ordine Generalium comitijs Bononię apud Montanam Canoniam habitis. Sic verò assumptam prouinciam obiuit, vt Secundum, atq; Tertium confirmaretur plurimo Congregationis ornamento; ipso enim enitente primitus euictum, statutumq; est, vt depositæ almutię reassumerentur, & per Canonicos in omnibus Ecclesijs ad diuinorum officiorum celebrationem adhiberentur. Interea temporis ad Apostolatus apicē euehitur Gabriel Condulmenus Venetus Eugenius Quartus nuncupatus, fortunatissimo omnium Regularium, quam maximè verò Canonici Ordinis, euentu. Is enim, vt erat propensiſsimæ in nostros homines voluntatis, qui Venerabili Bartholomęo suasore in minoribus Sācti Georgij in Alega Canonicos instituisset; statim de restauranda religione in Lateranensi Patriarchio, deq; illi Ordinem antiquum restituendo cogitauit. Grandibus ausis grandia successere facta, reluctante quoad licuit, & obices interponente per plures vices Generali Capitulo; tandem cū sic in fatis esset, euictum est, vt nostri regrederentur ad antiquam Patrum & sedem, & hęreditatem. Sub primis ipsis attentatis Petrus vna cum Guglielmo Placentino, electore Pontifice, in curia substiterunt, & Pœnitentiarij Lateranenses creantur. Dehinc cum acriter Sanctiſsimus Hierarca negotium vrgeret apud nostros in Generalibus Comitijs anni trigesimi secundi post quartudecimum sæculum Rauennæ celebratis, Patres Senatus consultum tulere, quod in præcisis verbis reddetur ad venerandę illius antiquitatis expreſsionem. Item propter locum Sancti Ioannis in Laterano nobis per Dominum Eugenium Dominum Nostrum Sanctissimum instanter oblatum, diffinitum

est vt

est vt post electionem Rectoris Maioris differratur electio illius de nostris, qui ad præsentiam suam, vt principalis ire debebit, & si nullum erit remedium, ipsum acceptare auctoritate Capituli Generalis. Quare rebus summa maturitate, exactaq; discussione libratis per plures sessiones; & precibus continenter effusis pro superni luminis irradiatione obtinenda, tandem die duodecima Maij tantæ Prouinciæ sarcinam Petro imponunt. Ita verò ad vnguem in Actis adnotatum est. In nomine Domini Nostri Iesu Christi electus est Dominus Galdinus de Bardis in Rectorem Maiorem totius Congregationis. Item Dominus Petrus de Rido Paduanus in Procuratorem totius Societatis, qui mittatur ad Sedem Apostolicam ad procurandum specialiter negotium Sancti Ioannis in Laterano vt supra; & alias Ordinis necessitates. Gessit vir omniscius, & fortis Oratoris officium impositum summa & animi constantia, & dexteritate inter angustias iniquorum temporum, & hominum, dilataq; est sacræ coloniæ deductio ad alios septem annos. Toto eo tempore ipse Prioratum Sancti Lazari de Tertio propè Ariminum gessit, vt non longè dissitus, & curiam teneret per opportunos menses nunc Romę, nunc Florentię, & ab illa digressus per sanctam solitudinem vacaret contemplationi cælestium, & componendo, atq; recolligendo interiori suo. Opportunè verò id cecidit Congregationi: Quandoquidem per Synodum anni trigesimi quarti Rauennę congregatam lata lege cautum fuerat, vt certis ex caussis dimitterentur Monasteria Sanctę Marię in Portu, & Sancti Lazari de Tertio Ariminensis Diœcesis: nouissimèq; post multa diffinitum fuerat, & ab omnibus approbatum, vt sanctis respectibus eligerentur quinque ex Patribus, seu ex fratribus in eo Capitulo existentibus, ad quos pleno iure spectare deberet omni cum prudentia, ac maturitate considerare, & inuenire modum, quo pręfata loca melius dimitti possent, data eis omni auctoritate, & libera commissione in hoc negotio procedendi cum effectu, prout de iure sibi per ipsum Capitulum commissum est. Ita tamen vt in omnibus procederent secundum quod ipsis quinque pro bono Congregationis melius, tutiusq; videretur. Atq; hęc quidem legis formula. Quinque viros autem assumpsere Ordium de Oxio Mediolanensem, Petrū de Rido Patauinū, Paulum Mapheū Veronensē, Sanctem de Petris Bononiensē, & Thomam Persichellū Cremonēsem. Quare rebus ad quicuncem per hos discussis, & plurima prece inuocatis cęlitibus, ipso in primis Petro propugnatore, & aduocato, collegasq; animāte, & pręeunte, tandem in vnam omnes iere sententiam, vt loca Cōgrégationi, aut Cōgregatio locis illibata conseruarentur, & facta est spes meliorū euentuū per dissipationem, dispersioneq; inanis formidinis, & vmbratiliuū nebularū. Intera temporis Eugenius Pontifex rerū potitus penè ad votum, peracta maxima, memorabiliq; vnione Occidentalis Latinę, Orientalisq; Græcorum,

Ruthenorum, Armenorum, Æthiopum Ecclesiæ per Concilium Florentinum, Basileiensiq; Conciliabulo anathemate damnato, priora reassumit meditata, vt Lateranense Patriarchium per nostros reformetur, & ab anno nono regni sui, vsq; ad quartum decimum vrget adeò; vt opere primum per obedientiam in Comitijs Ferrariensibus eius anni acceptato: mox post duos annos adita sede per quatuor tantum ex nostris, ab eaq; morbo deiecti: deinde pręcepto pastorali regressi, & per Canonicos sęculares pulsi: & iteratò inuecti tandem anno quadragesimo quinto eius sęculi pacifica possessione inuestimur, bulliplumbioq; collegiali munimur. Non parum pręstitit operum Petrus siue in declinanda Sarcina, siue in perficiundo tandem negotio, qui pręter propria cognitę virtutis, morum disciplinę, prudentię merita, commendabatur etiam extraneis adminiculis, aulęq; Conuiuentibus, Ludouico Mediarota Scarampo, vel de Arena Patauino Cardinali summę rerum prępositο, & Antonio Rido Arcis Sancti Angeli Pręfecto. Cuncta tamen per literas administrare, vix se vrbi semel permittere maluit, cuius artes, importuna commenta, callidam versutiam, inconstantesq; perturbationes nec satis cognitas, nec satis abhominatas putaret. Per octo continentes annos, à quadragesimo scilicet eius sæculi vsq; ad quadragesimum octauum Mantuam Prior Sancti Bartholomæi incoluit. Solitudinem illam sanctè adamauit, secundũ quam se totum Deo per amorem, contemplationemq; coniungeret. Exercuit in his, alijsq; pluribus venerandam, longam, viuidamq; senectam semper proficuus, semper amabilis, semper admirabilis. Oblatas non semel constantissimè respuit Episcopales infulas reclamantibus acriter consanguineis, sed illusit carnem, & sanguinem. Demum æterna vita dignus excessit ab carnis ergastulo vltimus pijssimorum duodecim Reformatorum, cum dilatatam vidisset Congregationem ad vigintiquatuor vsq; Collegia, & socios, à plerisq; Ciuitatibus multa prece ad incolatum postulatos. Tumulatus est Mantuæ in Diui Apostoli cute executi totius Ciuitatis concursu, & lachrymis anno duo de quinquagesimo supra millesimum quadringentesimum. Nono anno ab eius obitu prodiere sequentia, quæ scripsit, & cordatè, & mirabiliter ad instruendum omnem statum militantis Ecclesiæ, adq; inflamandum in futuræ vitæ præmia.

*De Vita Priuata Libros tres. Lucæ apud Antonium Faliotum Anno* 1456. *Lib.* iij.

*De Vita Magistratuum Libros tres apud eundem.* *Lib.* iij.

*De Vita Perenni Libros tres. Romæ in ædibus maximis.* *Lib.* iij.

PHI-

# PHILIPPVS PICINELLVS MEDIOLANENSIS.





VOTENNIS est inter Canonicos Lateranenses eformator Elogiorum horum, totennis est inter viuentes Philippus de Picinellis Mediolanensis. Annus quippe quartus septimi decimi sæculi currentis, ad cuius medietatem properamus, & hunc fecit hominem, & illum religiosum. Lætantur seniores arbores super fæcundo iunctarum adiacentium virore. Accrescas gloriosa non in proceritatem modo Cedrorum Libani, vel Cupressos in monte Syon, aut Palmæ in Cades; sed in excelsitatem quoq; Ligni vitæ in Eden. Patre hic Fuluio Picinello Causidico viro egregio Mediolani ortus est ea ipsa die, in qua hominum, Angelorumq; Imperatricem Mariam Virginem Templo præsentatam Ecclesia veneratur Catholica; vt scilicet præsentatus ipse Orbi Protectricem, & tutellarem sibi præsentatam eligendam fore certo certius quodammodo indicatum agnosceret: quod & præstitisse postmodum, liquidò nobis ex vitę eius actæ curriculo constat. Editum autem sub tantę patrocinantibus vmbris, quæ consequi poterant, nisi eximia? Aurora vna quasi infantiæ prælusit ecclyticam iuuentutis, virilitatisq; radiantissimam, dum sub Bernabitarum Clericorum disciplina, præceptoribus Valentino Rubino, & Vincentio Gallio condiscipulos quosq; (licet in centena numerarentur) anteiuit profectibus maturitatem gloriosam præseferentibus. Par magistrorum inclytum illud dispari pede in docendo progressum, vtrinque discipulum bene capacem communiuit. Statario nanq; pede Gallius semper solidus, ac sibi constans legionariam quasi militiam disciplinarum instillauit benè respondentem nomini eius claro ob edita Grammaticæ, Rethoricę, & diuersarum rerum aliarum volumina. Rubinus verò genio, & ingenio præditus supra quam dici queat viuido, & exordinario, alumnum ad omnem alacritatis aleam præparauit commiscendam. Mos Academiæ eius erat quolibet die festo profitentes exhibere Poematijs, Dialogis, Crijs, Orationibus recitandis, spectaculum parentibus acceptabile, cæterisq; cōmendatissimum ad memoriæ, ad locutionis exercitationem, vtq; ab fabris fabri fierent. In horum exhibitione primę erant Picinelli partes, quippe sine quo vix quidpiam promi posse videbatur. Per anni quoque curriculum

lum Alphonsum Cignatam Iesuitam in Braidanis profitentem audiuit, vt duplici quodammodo præpararetur, & præmuniretur Patrum optimarum disciplinarum methodo, qui in Elisei nouelli modum ad duplicem Eliæ spiritum deinceps assurrecturus erat. Nam ætatis factus annorum duodeuiginti, iamq; viam sæculi pre pedibus habens non incomptam, Deo interius operante, super iactos in fundamentum lapides eruditionis machinam superimponere meditatus, quæ neq; terremotibus, neque ferro, vel igne, aut tonitru, vel tormentario quassaretur puluere; Ordinis Lateranensis arcam elegit, de qua, dante Numine, vsque ad vitam, illamq; veram assurgeret beatitatem. Tertio kal. Iunias Dominico infra octauam Eucharistici Dei electæ arce ius, ac possessionem accepit de manu Gabrielis Cittadini Abbatis per assuetam clericalis superpellicei inuestitionem, & quinquaginta quatuor expletis hebdomadis ad vota assueta nuncupanda admissus est à successore Celso Dugnano, ac si in excelso firmanda essent, quæ per Gabrielem in eo inceperant. In tyrocinio agendo fuit ibidem ad biennium nulla directorum egens solertia, qui ad omnia intrinsecus parabatur, & exercebatur volens, ac lubens, vitęq; ac viæ spiritus amans ad apicem vsque. Cum aggredi maiores scientias iussus est, quasi ad nuptias inuitatus cucurrit paratis conuiuijs ad Padanam Cremonensem, & ad Augustiniam Placentinam, architriclinis Gregorio Taberna Mortariensi, ac Petro Francisco Montalerio Casalensi. Hoc expediente Theologici, Philosophiciq; magisterij lauream assequitur ab Comitijs Generalibus Ordinis Bononię habitis, nosq; ipsi inter Nouemuiros pro eo sententiam diximus, suffragiúq; lætabundè tulimus. Per hæc præsidia, per hosq; gradus vocatur ad morum institutionem nouiter accessis instillandam penes Regienses, Sanctę Mariæ Gratiarum ascripto nouiter seminario. Factus suopte genio, tametsi iuuenis adhuc, ad magistratum huiusmodi gerendum videbatur, mortificatus corpore, atq; passionibus, tam ex natiua membrorum habitudine, quam ex spiritus, atq; studiorum exercitatione iugi: breui item itineris compendio assignatæ familię adesse poterat, sola Parmensium Vrbe Placentinos ab Regiensibus dirimente (motiua tunc temporis animos moderatorum comprimentia) verum nil affecere ista, vel effecere, quandoquidem aliud desuper ordinabatur. Epidimię morbus Placentia illum discedere vetuit, donec anno sequenti reserato comercio Brixiensibus pomeridiana prædicatione pascendis deputatur. Ab his verbi habendi exordijs ad ea per gradus conscendit, quæ nomen, & locum ei inter præcipuos Ordinis Ecclesiastes conciliauere. Per integrum triennium dixit Bononiensibus de omnibus festis post vesperas, & Mediolanensibus similiter suis, quod inter non ordinaria concionantis recensendum est, dum semper audientium animus de hominum more nouis semper intentus, vix, ac ne vix quidem acquie-

acquiescere didicit, si noua promantur; ni & promptor quoque nouus appareat vultu, ore, gestu, habitu: dixit, & placuit, & populo, & eruditis, alteros fouens docta varietate, alteros frugi increpatione, vtrosq; eloquentia fucum ignorante, lac, melq; sanctius exprimente. Idem præstitit Alexandrinis officium, ac Pistoriensibus, quos ad coronam plenissimam semper recepit templum, tamesi fornacis in morem æstuet sub Quintilis, Augustiue mensibus. Labores autem isti quasi leuiores ex interiecto spacio maioribus præludebant Quadragesimæ laboribus, quos haud fracto stadio cucurrit gloriosissimos ab Mortariensi Cruce inter Insubres Laumellinos ad Bergomates in Diui Alexandri in Columna: ab his ad Mediolanenses in Diui Leuitæ per cratem vsti, ad Nouarienses in Diui Gaudentij, ad Ticinenses in Diui Michaelis, ad Lucenses in Diui Frigdiani, ad Spoletanos, Vercellenses, Derthonenses, Alexandrinos, Laudenses, & Pistorienses de summo templo. Sacræ vixdum tali sarcinę colla subegerat, uixq; limen pium excesserat, cum Hispani inter Mortarienses frequentissimi & præsidio, & & connubijs contractis, Gratiam illum gratis datam, quod gentis disterium est, à Deo sortitum, de concione discedentes expleta, altis clamabant, & acclamabant vocibus. Episcopus ipse Vercellarum, rigidus alioqui rerum, hominumq; ęstimator, tanti fecit pectoris concionantis ęrarium, vt se iam trigesimum annum Episcopantem nusquam tantum sortitum profiteretur verbi præconem: & is vnus erat, qui iudicium proferre integrum sciret, qui alias Caroli Emanuelis Alobrogum Ducis doctissimo magisterio functus, infulas eas honoris, meritiue præmium habuisset: neq; tamen multæ propensionis erat in Congregationem, vtpotè qui sæpius controuertisset circa nonnulla iurisdictionis, prælationisue iura, & priuilegia, aduerso semper damnatus iudicio à Romanis proceribus. Cum Spoletanis Summum ieiunium exhiberet concione frugiferum, talibus euidentiæ argumentis animarum lucra quęsiuit, vt, omnibus omnium ordinum ciuibus in vnum conspirantibus ciuitate, illum donandum censuerint, atque per tibicines euulgato solemniter decreto in iura cum communia receperint, vt id grati quædam animi laudatissimæq; virtutis quasi tessera fieret emerito, ac posteritati de laudabiliter actis candidè concipienti. Sed vnus sat sit pro omnibus testis, seu panigyristes omni exceptione maior, isque doctissimus, pariterque sanctissimus, atque ab omni exageratione procul Paulus Aresius Derthonensium Antistes clarissimus, & ritè, rectèq; concionatorum arte conscripta magister, ac dux, qui ad Polycarpum Chiozzum Ordinis Abbatem Generalem scribens, Picinellum apud se quadragesimam concionibus excolentem encomio extollit illo, quo maius nil quidem exprimi eo in genere queat. Epistolam hic lubentes reddidissemus, si dedisset accessio, fortè alias eam alibi. Gracilis corpore, squalidus vultu,

sed

ſed ſqualore venerationem conciliante in morem macerantium ſe, tonans voce alioqui acutum quidpiam præſeferente, præſertim in inſectatione vitiorum, prçualuit in populis, dum artis rethorum lumina exactè culta nil, niſi aptè poſitum redderent. Quod autem rei cardo eſt innocentia vitæ, morumq; ſumma probitate conſpicuus orationi, ſtudijſq; intentus primus ſe operari conuincit, quod alteri operandum ſuadet. Verè Canonicus, ac totus non modo Regularis, ſed regulç clauſtri, cellçq; amator, ac cultor ſpectari ab Templo procul vix permittit, ac tunc maximè cum de ſuggeſtu agit. Licet verò tantus in efformandis ſecundum ſe Cœlo populis inſiſteret, cum iuſſa maiorum adfuere, aratro etiam Canonico incubuit, vt glebas ſubditorum excoleret ſemen diſciplinæ in centuplum reſponſuras ſub optimi manu coloni. Hinc ad Diuæ Mariæ de Paſſione laborioſam Prioratus ſarcinam portauit per triennium,& per triennium tyronum magiſterio functus eſt, ita vt quod ſtatim à Sacerdotio, & Prædicatu illi iniunctum fuerat opus, quod deſuper datum eſſet, declinare omninò nequierit. Cæterum vir quietis amans, & ſtudiorum appetentiſſimus, quæ & à tenerioribus annis impensè deperijt, dum infans penè manum cibo, oculum codici aperto ſimul committeret reliquis ſollicitudinis paſtoralis partibus manum dare pro viribus,& genio deuitauit,quò tamen attingere, fortiterq; ferre dabunt tempus, merita, vires, Reipublicæ neceſsitas, & qui clauo præſunt optimi. Vulgati ſunt per typographos ex eius promptuario ſequentes Panegyrici.

*Miſticus Milonis Crotoniatæ Coloſſus de Diuo Petronio Bononienſium Epiſcopo & Patrono habitus Bononiæ anno 1633. Ad Ioannem Baptiſtam Sanpetrium Senatorem. Bononiæ apud Nicolaum Tebaldinum Anno 1634.*

*Miſticus Eſculapij Coloſſus de eodem Diuo Antiſtite ibidem habitus anno 1634. Ad Marcum Antonium Luparum Senatorem apud eundem.*

*Coronæ Ciuicæ ornamenta Ad Excellentiſsimam Rempublicam Lucenſem in Euangelium quarti ſabbati Quadrageſimæ Anno 1635. Piſis apud Franciſcum Tanaleum.*

*Nubes Sacra de Beatæ Sitæ Virginis Lucenſis Laudibus Ad Philippum Fatinellum Capitaneum, & Sancti Stephani Equitem. Lucæ apud Baltaſſarum Iudicis Anno 1634.*

*Dauid Muſicus armatus de Diuo Petronio Epiſcopo Bononienſium, & Protectore habitus Bononiæ Anno 1639. Bononiæ apud Clementem Ferronum.*

*Martij ſimulacrum de Sancto Martiano Epiſcopo, Derthonenſium, & Protectore Ad Paulum Areſium eiuſdem Ciuitatis Antiſtitem, ibid. apud Eliſeum Violam Anno 1641.*

*Fax ardens, & luminoſa, de Beato Amadeo Alobrogum Duce habitus Vercellis*

*anno 1643. Ad Fratrem Ioannem Antonium Berzettum Equitem Hierosolymitanum Messinensium Priorem, & Regis Catholici Consiliarium. Vercellis Apud Gasparem Martam Anno 1643.*

*Oleæ pulchritudines Frugiferæ de Sancta Francisca Romana ad Alexandrum Troilum Anconitanũ Abbatem Generalem Congregationis Lateranensis. Pistorij Apud Petrum Antonium Fortunatum Anno 1647.*

*Cythara benè Sonans de Diuo Patre Vbaldo Episcopo Eugubino ad Franciscum Manettum Abbatem D. Bartholomæi de Pistorio. Ibidem apud eundem Anno eodem.*

*AEtna niuosus, ac ignitus de Sancto Patriarcha Ignatio Loioleo habitus. Pistorij apud Petrum Antonium Fortunatum.*

*Lilium Candidum, & odorosum De Diuo Antonio de Padua Pistorij in die eius Translat. Ibid. apud Fortunatum 1648.*

*In Ionam Prophetam Considerationes morales quinquaginta Italice Bononiæ pro concione habitæ, quæ ad centenarium numerum redactæ propè diem emittentur.*

*De Sanctæ Orationis conditionibus, & qualitatibus liber, quem, Anima orans, inscripsit, de proximo item cudendus.*

*Stemmatum variorum, Imprese, Itali vocant, Moralis expositio breuibus, sed acutis exornata discursibus Volumine grandi comprehensa, & hæc iam approbata cussioni.*

Ludouici Boncompagni Verdunensis.

*TV, qui Felsinei celebras pia gesta Petroni,*
*Et priscum reuocas ad noua dicta decus;*
*Hoc præstas quod Felsineæ Petronius vrbi*
*Præstat, hic in veteri dum facit vrbe nouam.*
*Saltem vno minor est Pastor tibi: reddit auitam*
*Terrigenis lucem, tu modo Cælicolæ.*

Iosephi Calciati Nouariensis.

*ADesto Lector assuete tingere*
*Hymettij liquore labra nectaris:*
*Abesto lector assuete tangere*
*Amæna per vireta flosculos, leuis*
*Vt administra mellis ales assolet:*
*Labore non parandus hic tibi liquor,*
*Neque hic habere collium putes thyma,*
*Amaracum ue, rosidum ue lilium;*
*Liquore sed parandus hic tibi labor*

*Vt assequare dona pinguis ingenij.*
*Habes liquata mella parua ab alite,*
*Liquata mella Picinella ab alite,*
*Liquata mella numini Petronio.*
*Quis ire posse mella, nectar in Deum*
*Et ora delinire Cælitum neget?*

Francisci Caroli Capræ Comitis.

*SIdereos Piccinelle cies, & concipis ausus,*
*Mystica dum Sancti Præsulis acta canis.*
*Hinc pia voce prius, dein profers dogmata cartis,*
*Cælica queis facilem pandis ad astra viam.*
*Macte age: nam Cælo duplex te palma manebit,*
*Vel quia tu traheris, vel quia corda tradis.*

Petri Adriani Vanden Broecke Flandri Belgæ.

*MItibus eloquijs qui pectora ferrea mouit,*
*Mollia Pierij prouocat ora Chori.*
*Iam non Odrisij fas est miracula plectri,*
*Aut Anphioniæ dicere saxa liræ.*
*Quæ tulit Ambrosium tellus, dedit ista Philippum*
*Ille sacer prece est, hic quoque præco sacer.*
*Pectora fulmineo ferit ille potentius igne:*
*Non minus hic verbi fulmine corda ferit.*
*Ausonius est testis; lustris ter quinque Philippum*
*Obstupuit populus spargere mella suis.*
*Mella, quibus Stigio fors condemnanda profundo*
*Pectora de stigijs libera traxit aquis.*
*Vt Picinellus dat publica munera libros,*
*Victuri ingenij signa dat alta sui,*
*Dum benè Sanctorum scribit præconia: nescit*
*Candorem vitæ dissimulare suæ.*
*Integritas animi, quæ sit probitatis imago,*
*Perspicuis prodit pagina quæq; notis.*
*Itala terra faue: tibi nunc Emblemata surgunt,*
*Surgunt à titulis scripta trophæa tuis.*
*Interea tu docta Patrem monumenta parantem*
*Suspice, & æternis insere prona viris.*

PRO-

# PROSPER FARAVDVS MEDIOLANENSIS.



OMNIVM Sanctorum Solemnitas, quæ ad kal. Nouembrias summa totius Christiani Orbis exultatione celebratur, Prospero Faraudo Mediolanensi illuxit felix, faustaq; anno quartodecimo post centesimum, & sesquimillesimum, quod nomen Saluatori Deo in Lateranensibus castris dederit ad sacras maiores aras Virginis de Passione Tiburtio Bosso Præsule obsignatore. Decuit profectò tam memoranda dies conscriptioni adolescentis, vt sub tantorum protectione patronorum properaret illorum exemplis, & ope alacris ad ardua queq; agenda, ferenda ue, atque iugis recordaretur ad quodnam perenne fruendum contubernium expectaretur, si non volens deflecteret. Agebat tunc ille annum ętatis decimum octauum disciplinæ Patrum pręclarę Societatis Iesu alumnus cum paucis comparandus ex Braidano Collegio: cuius sicut tenax, promptaq; memoria nullum ex tot centenarijs condiscipulorum inueniebat superiorem; ita præceptores prouocabat propensiores ad gemmas in eo thesauro condendas, ex quo memphitim obliuionis non attingerent. Gręcè, Latinè, Italicèq; benè doctus, ad triplex idioma orator se gerebat non initiorum, sed maturitatis: quippe qui per longam triennalem expolitionem in Rethoricæ scholis, præcepta omnia artis ad exercitationem aliquando iussus, aliquando spontaneus, reuocabat. In Animosorum Academia Orationem inter cæteras luculentam habuit, De vsu fascię, & pro amico recitatore ad Oblatorum Collegium de Diuo Carolo Boromeo Panegyrim cultissimam. Duo hęc ex multis sufficiat memorasse. Per hasce dotes egregiè notus in vlnas patulas Congregationi confugit, & octaua initiationis die ad receptatores Canonicos Poema cecinit heroicam Virgilij maiestatem valdè exprimens, De Religionis ingressu, tesseram dati nominis, & gignendorum fructuum laudatissimam. Habebat iuuenem sub dolabra spiritus Bonifacius Mortariensis excubitor acer, & efficax, à quo non segniter prouocabatur ab bonitate ad scientiam, & per hanc ad illam sub omnium censura Patrum, quos voluit ab illo pluries concione detentos, dato semper themate, quod vix intra diem adornaret aliquando

*Vt assequare dona pinguis ingenij.*
*Habes liquata mella parua ab alite,*
*Liquata mella Picinella ab alite,*
*Liquata mella numini Petronio.*
*Quis ire posse mella, nectar in Deum*
*Et ora delinire Cælitum neget?*

Francisci Caroli Capræ Comitis.

*SIdereos Piccinelle cies, & concipis ausus,*
*Mystica dum Sancti Præsulis acta canis.*
*Hinc pia voce prius, dein profers dogmata cartis,*
*Cælica queis facilem pandis ad astra viam.*
*Macte age: nam Cælo duplex te palma manebit,*
*Vel quia tu traheris, vel quia corda tradis.*

Petri Adriani Vanden Broecke Flandri Belgæ.

*MItibus eloquijs qui pectora ferrea mouit,*
*Mollia Pierij prouocat ora Chori.*
*Iam non Odrisij fas est miracula plectri,*
*Aut Anphioniæ dicere saxa liræ.*
*Quæ tulit Ambrosium tellus, dedit ista Philippum*
*Ille sacer prece est, hic quoque præco sacer.*
*Pectora fulmineo ferit ille potentius igne:*
*Non minus hic verbi fulmine corda ferit.*
*Ausonius est testis; lustris ter quinque Philippum*
*Obstupuit populus spargere mella suis.*
*Mella, quibus Stigio fors condemnanda profundo*
*Pectora de stigijs libera traxit aquis.*
*Vt Picinellus dat publica munera libros,*
*Victuri ingenij signa dat alta sui,*
*Dum benè Sanctorum scribit præconia: nescit*
*Candorem vitæ dissimulare suæ.*
*Integritas animi, quæ sit probitatis imago,*
*Perspicuis prodit pagina quæq; notis.*
*Itala terra faue: tibi nunc Emblemata surgunt,*
*Surgunt à titulis scripta trophæa tuis.*
*Interea tu docta Patrem monumenta parantem*
*Suspice, & æternis insere prona viris.*

PRO-

# PROSPER FARAVDVS MEDIOLANENSIS.



OMNIVM Sanctorum Solemnitas, quæ ad kal. Nouembrias summa totius Christiani Orbis exultatione celebratur, Prospero Faraudo Mediolanensi illuxit felix, faustaq; anno quartodecimo post centesimum, & sesquimillesimum, quod nomen Saluatori Deo in Lateranensibus castris dederit ad sacras maiores aras Virginis de Passione Tiburtio Bosso Præsule obsignatore. Decuit profectò tam memoranda dies conscriptioni adolescentis, vt sub tantorum protectione patronorum properaret illorum exemplis, & ope alacris ad ardua queq; agenda, ferenda ue, atque iugis recordaretur ad quodnam perenne fruendum contubernium expectaretur, si non volens deflecteret. Agebat tunc ille annum ętatis decimum octauum disciplinæ Patrum pręclarę Societatis Iesu alumnus cum paucis comparandus ex Braidano Collegio: cuius sicut tenax, promptaq; memoria nullum ex tot centenarijs condiscipulorum inueniebat superiorem; ita præceptores prouocabat propensiores ad gemmas in eo thesauro condendas, ex quo memphitim obliuionis non attingerent. Gręcè, Latinè, Italicèq; benè doctus, ad triplex idioma orator se gerebat non initiorum, sed maturitatis: quippe qui per longam triennalem expolitionem in Rethoricæ scholis, præcepta omnia artis ad exercitationem aliquando iussus, aliquando spontaneus, reuocabat. In Animosorum Academia Orationem inter cæteras luculentam habuit, De vsu fascię, & pro amico recitatore ad Oblatorum Collegium de Diuo Carolo Boromeo Panegyrim cultissimam. Duo hęc ex multis sufficiat memorasse. Per hasce dotes egregiè notus in vlnas patulas Congregationi confugit, & octaua initiationis die ad receptatores Canonicos Poema cecinit heroicam Virgilij maiestatem valdè exprimens, De Religionis ingressu, tesseram dati nominis, & gignendorum fructuum laudatissimam. Habebat iuuenem sub dolabra spiritus Bonifacius Mortariensis excubitor acer, & efficax, à quo non segniter prouocabatur ab bonitate ad scientiam, & per hanc ad illam sub omnium censura Patrum, quos voluit ab illo pluries concione detentos, dato semper themate, quod vix intra diem adornaret aliquando

metro, aliquando oratione soluta. Sed præter exercitamenta hæc exotica nil vltra per triennium excolitur ad scientias; solis conscribendis epistolis ab Celso Dugnano detentus; vix tandem Patauio inter Dialecticæ auditores adscribitur, quod non in modicum cessit præiudicium; dum enim candens ferrum est, tundi illud à maleo præstat. Ab Patauio post annum ad Cæli Aurei Academiam transfertur Philosophicis imbuendus, ex quibus ritè ad diuinæ scientiæ arcana lustranda ibidem admittitur. Constantinum Sauium Placentinum, & Celsum Marticellam Neapolitanum præceptores doctissimos conciliauit obsequio, assecutus est doctrina. Præstabat Vniuersitas illa eo tempore quibuscunque alijs Ordinis gymnasijs, in illius decus maximè incumbente Phaseolo Visitatore, ac Generali, qui vt ab initio in habendo delectu egregiè obtinuit, ne eò nisi probatiores quique adolescentum mitterentur; sic & in progressu neque locum, neque disciplinam illos mutare permisit: atque post Epiphanium de Vrsinis Ioannem Franciscum Massam doctrina æquè, ac probitate commendatum Præpositum dedit. Animus, vt perficeretur scientiarum illarum coloribus, per quinquennium fuit sub Magistrorum penicillo; prosilens interim & ipse in picturas habendas pro genio. Occasione enim ressellendi Ioannem quendam Marquez Hispanum Eremitam Augustinianum plurima in libro inscripto de Origine Ordinis Eremitani effutientem de Papiensi Monasterio in Ordinis Canonici dedecus, & præiudicium; antiquas Cælaurei Collegij Scripturas ex Grammatophilacio peruolutare orsus, ad iura Patrum pro virili tuenda; adeò peruicit dificultatem labore improbo, quæ maximè scatebat in percipiendo, ac possidendo diuerso, minusue cognito antiquissimo caractere ab vsq; Longobardorum Regum temporibus; vt Opus Chronicum de eodem Monasterio primum compilare ex authenticis illis documentis, deinde & Marquezium singillatim reijcere obtinuerit, opere altero in illum collimato. Horum verò alterum transmisit postea Gabrielli Penotto Romæ Historiam Vniuersalem Canonicam compilanti, eiq; re in illa non modicè contulit; alterum autem, quod amariore calamo in mendacem auctorem inuehisset, (licet ex merito) modestiæ consultum volens, editum illud noluit. Interea temporis Doctor dicitur ab Ferrariensi Dieta, eodem Phaseolo Generali promotore, à quo & mox Bononiam mittitur, vt & Dialecticam profiteretur assignatis Clericis, & populo pomeridianas haberet de more conciones. Fecit vtriq; obedientiæ satis, illamq; inuenit approbationem ex suggestu, quæ Archipræsulem illexerit, vt illum Diuæ Christinæ preclaro Gyneceo ab quinquagesima ad Sanctum Domini Pascha quater in hebdomada daret cõcionatorem: quod officium et ab Abbate Montano cum Canonissis assati Leuitæ explere quoq; die quolibet festo iussus est. Verum non tulit diù labores tantos nimio aditos æstu corporis

tempe-

temperamentum. Sucubuisset sarcinę, si non manum amouisset: aduersa enim valetudine tantus refringere elegit illos, vt extensione intentionem compensaret. Vocatus ad Comitia Placentina anni vigesimi quarti Orationem habuit in solemnibus parentalibus obitis Iacobo Seræ Genuensi Cardinali Congregationis Protectori benemerito. Serus autem accessus eius, ne cuderetur illa, tunc obstitit: neque libuit eidem, vt id fieret postea, quoniam altera diuersi auctoris edita in ijsdem funeribus distributa fuerit, cum vtrosq; in idem fortuitò destinatos dicere non licuisset. Fit dehinc illi facultas, vt ad arbitrium de futuri anni vitę disponat instituto; & ideo Gabrielis Pennotti inuitatu Romanum eligit domicilium almæ Parentis Virginis de Pace, eidem Abbati, ac pro Ordine in curia Oratori futurus à secretis. Gessit munus per illud omne tempus, quo ille personam eam sustinuit, per triennium videlicet, & incommoda penitus valetudine vsus, Theologiam Practicam, quam Casus Conscientię dicunt, profitetur non Concanonicis modo, sed & Parochis omnibus eius regionis, frequentior, quam ex tessera cunditus etiam ab exteris sub communi beneficio, varias, multiplicesq; conciones habet hinc inde per dies festos in celebribus ecclesijs illis, ad Sanctimoniales præsertim Campi Martij per sex hebdomadas maioris pœnitentiæ: peculiari enim quodam talento frangendi verbi cum huiusmodi Deo dicatis donatus videbatur. Anselmum Semprerium Ordinis Quæstorem in administrandis æris publici rationibus ita iuuat, vt huic onera, illi honores, & emolumenta obtingerent; adeo tamen, vt in ijs, quæ euenere dissidijs inter Pennottum postulantem Semprerium de peculatu, didicerit nil conscius esse sibi, & nulla culpa pallescere. Pacis tabularium totius Congregationis iura seruantem tredecim mensium labore ex quadam confusa scripturarum mixtione ad distinctum redegit ordinem quoad priuata eius Monasterij; intactis adhuc relictis aliarum Canoniarum tabulis, quæ diuturniore perscrutatione, & opere ęgere nosset. Cōgregat interim in Vrbe Manetus de Massa Generalis Dietam, acturus cum Proceribus de communi re multo adhuc proximius, quam ex more, interuenientoribus Alexandro Vrsino Cardinali Protectore, & Angelo de Cesis eius Legato viris super omnem commendationem pijs, & de Ordine Vniuerso benemerentibus. Iubet ex clauo vnum Faraudum latinè dicere, & Conuentum exordiri, quod feliciter transactum ab eo, in feliciora deriuauit euenta. Post hæc eodem Cardinali Protectore ad beatas sedes (vt de innocentissimo viro credere par est) euolato, in funeralibus ab Congregatione solemniter habitis in almo templo Pacis amarissimum casum oratione deplorat, quam & typis deinde dedit legendam. Cussionem quoque curauit præciosissimi opusculi Thomæ Kempensis Regularis Canonici Congregationis de Vuindesem in Belgio, quod attitulauit de Imitatione Christi.

Consul-

Consultum voluit huiusmodi editione fidelium plurimorum beneficio, quæ sunt spiritus appetentium, & profitentium, atq; ideo formas expediuit commodiores, & elegantiores, vitam auctoris ex parte addidit, nec non elogia, & testimonia eiusdem plurima. Rebus huiusmodi in vrbe expeditis eligitur ab Præfecto Massa alter ex octouiris, qui in Generali Synodo Bononiensi dicérent de suggestu: ideoq; & ibidem ab Celso Dugnano Visitatore renunciato Prior Mediolanensi Collegio datur. Sub Abbatibus Gabriele de Cittadinis, & Octauio Carpano quartam penè mensium decadem absumpsit ibidem, vel propè absumptus est. Onus enim seipso laboriosum, ea in domo (vt in cæteris sueuit eius similibus) crementa recipiebat ab aduentitijs. Mores tyronum efformare, dialecticam profiteri, nodos enucleare conscientiæ, verbum non omittere saltem in quadragesima, cæremonijs præesse, pondus tandem portare diei, & æstus. Qui tamen legitimè certat, coronatur. Ea propter post triennium illud Proprępositus Minaciensis antemittitur Basilio Serenio Præposito grandæuo, & illo viam vniuersæ carnis ingresso antequam ad residendum accessisset, Præpositus renunciatur. Dierum illorum calamitas decori eius Canoniæ, Prælatiq; promerito contulit, ita disponentibus Superis. Dum enim Insubriæ patritij potiores hinc inde salutem ab sęuiente Epidimia fugiendo venabantur, plurimi ex Mediolano ad Larij amena, & ad proxima montana Minacientia confugiunt salubritatis plena, quibus Faraudum dare panem spiritus opportuit, ea liberaliore charitate, quo angulus ille alpestribus Rethis conterminus operariorum huiusmodi laborare consueuit ægestate non modica. Maiorem Ecclesiam coluit concionibus per cinereas hebdomadas Sanctum Pascha anteuertentes, cæteris anni festiuitatibus propriam Sancti Caroli. Viuit ætate florente frugi absq; dubio semper Congregationi futurus. Scripsit ergo

*De Vsu Fasciæ.* }
*De Laudibus Sancti Caroli.* } *Orationes*
*In Funere Iacobi Serræ Cardinalis Protectoris.* }

*Manuale Cæremoniarum Ecclesiasticarum ex Commentarijs Patris Gauanti.*

*In Funere Alexandri Cardinalis Vrsini Protectoris Orationem habitam in templo Pacis, quam & dicauit Francisco Vrsino Abbati Farfensi. Romæ ex Typographia Pauli Masotti Anno 1626.*

*Additamenta ad pretiosum Opusculum Venerabilis Thomæ de Kempis, De Imitatione Christi. Romæ apud,*

FINIS.

LY-




# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER QVINTVSDECIMVS.



## RAIMVNDVS DE LVNA NEAPOLITANVS.



EV quam breue vitæ noſtræ tempus, heu quam miſera fragilis naturæ conditio: vix orti rapimur, & finis ab origine pendet. Poſt luceſcentem Auroram rutilans Sol aſcenderat Raimundi Lunæ Neapolitani ad illuminandos verbo Dei populos, dum immaturato die præcipitauit occaſum. O ſpes vanas mortalium, ò inanes expectationes. Exiguo rapimur, qui multis indigemus. Hic nobiliſſimo loco natus inuito fermè parente adoleſcens vno anno vicenario minor equeſtrem fortunam cum fratribus egregijs partiendam, feudaliaq; iura contemnens, ac ſplendores aulicos oblatos quaſi vehicula opulentioris adhuc dignitatis antiquæ genti reſpondentis, velut vmbras, ac fuligines reputans, Saluatori Lateranenſi Deo ſtipendia meriturus acceſſit. Alumnos Diui Clauigeri ad

Aram auxit numero, cumulauit merito, lineum sagum ei curante Chrysostomo Pongoleno viro cum paucis nostrorum singulari. Peroptauit extorem fieri à patrio cælo, quantum licuit sub disciplina maiorum, qui in peregrinatione externarum regionum pati pleraq; ac discere reponeret, dum parum proficiendi spem aleret, vel sub amenitate Neapolitana, vel non procul à domesticis inuolucris, & teneriore luxu. Hinc per magistratum studijs præfectum componendis ad antiquos amandatur Rauennates in Portuensi Lyceo Philosophiam auditurus, à quibus diuertit ad Patauinos Theologos. Prosecutus est studia maiore labore, quam ingenio: quoniam non satis se vocari sentiebat ad salebrosa scholasticarum dificultatum mitioribus disciplinis à natura propensus. Attigit tamen quantum sat fuit pro necessitate laureæ obtinendæ, & pro fundamentis firmius ponendis Ecclesiasten acturo. Exornauit se pro suggestu tenendo hinc inde adminicula petens in ipso operis ardui limine, quæ paulatim digessit ita, inq; propriam taliter substantiam (ita dicam) mutauit, vt non imitator vltra, sed nouus prorsus prosiliret athleta. Naturalium talentorum cumulo à nullo prorsus sui temporis concionatore vincebatur, siue digna catholici oratoris specie, siue vocis, & pectoris firmitate, ac robore, siue gestus, perquam composita dignitate. Ab pulpito omnibus familiaris, ac peruius omnes alliciebat. Minimus sui æstimator, quos agnoscebat solidè doctos, hos adibat, ab eisq; bona curabat, se his egere ingenuè aperiens, præsertim in arduis. Ad Montanos Canonicos Euangelistæ Ioannis Bononiæ prima posuit rudimenta maioris prædicationis, cum per aliquot annos antea probasset dicendi formas per minora pulpita. Ab ea Ciuitate dimissus post anni curriculum cum laude Insubriam peragrare obtinuit per quatuor quadragesimas Mantuanis, Laudensibus, Placentinis, & Ticinensibus euangelizans. Ariminensem quoq; populum excoluit per aliud maius ieiunium à Cipriano Pauonio Episcopo locum intercedentibus Lauro Astulpho, & Ascanio Tingulo patritijs, & Concanonicis clariorum Oratorum fautoribus, ac promotoribus. Hippolytum Fortinum Lucensem Seruitam Thologum, & concionatorem præstantissimum in Ecclesia sui Ordinis habuit (si libet dicere) competitorem, & in studijs ciuium diuersa sequentibus par vtrisq; stetit corona, repositiq; sunt ambobus vberes in Domino fructus, & laus non iniucunda. Interea nomine, ac merito auctus, ætateq; benè ferente, in Comitijs Placentinis placuit aliquibus proponere, vt in partem pastoralis sollicitudinis assumeretur candidatus pro Ancianensi Abbatia. Lubuit tamen promotoribus Valerium Ceparium præponere, quod non mitius tulit ipso in limine, tanquam aliquid sibi inureretur notæ; summa dehinc æquanimitate coluit Ceparium iure saltem ætatis, maiorisq; in Congregatione conuersationis prudenter sibi præhabitum. Post hæc elegit

regres-

regressum in Patriam, vt & suis quoque partem laborum reponeret, à quibus diù experi nouerat remouendus à longe dissitis Insubris Vineam tanto operario dignam Neapolim habuisset in edibus. Virginis Annunciatæ: isq; iam euaserat Luna, vt defecatæ vindemiæ vinitor felix haberi potuisset, ni mors inuida imaturè virum rapuisset post paucos menses, quasi eò reuexisset ossa, vnde vitam hauserat, suis ciuibus perpetuo repositus, à quibus in tempus se diuiserat pro maiore Dei gloria. Decessit vix quadragenario maior anno 1626 relicto apud omnes sui desiderio, & non sine euidenti matris Congregationis incommodo, quæ aluerat euasurum inter celeberrimos oratores. Reliquit ingenij sui monumentum breue, sed commendatum, Orationem de laudibus Sanctorum Ignatij Loiolę, & Francisci Xauerij splendentissimorum Ecclesiæ Luminum occasione eorum relationis in apotheosin, habitū Placētiæ in templo Societatis Iesu accersitus ex Ticino ad id muneris præstandum. Neutiquam verò calamus assequi potest quanto plausu, dum diceret, exciperetur, quā que accōmode exhibitis rebus & apparatui, in Diuini Legislatoris Ignatij, & Apostoli Xauerij deuotionem animos non aliciens modò, sed cogens vsquequaq; In excolendo moribus animo valuit, & genuina propensione, & electione constantis iudicij. Ne cuipiam iniurius haberetur, recusauit non semel summorum præfectorum oblatos adire fauores, quod nobis quamuis absentibus experimento innotuit, dum generali Verdellio placeret sub prętensis coloribus à pomeridiana lectura Diuæ Virginis de Charitate nos iam iam inchoaturos remouere, atq; vices hunc subiturum reponere. Quippe reluctantem Hieronymum Onuphrium Fanensem Censorem adijt in Comitio Rauennati, seq; nunquam onus subiturum repromisit, quod & præstitit ingenuè. Est igitur ex eius præstanti calamo.

*De Laudibus Sanctorum Ignatij, & Francisci Xauerij Oratio Italicè habita Placentiæ in edibus Collegij. Placentiæ anno Domini 1622. apud Alexandrum Bazachium. Lib. I.*

# RAPHAEL GVIDONIVS
## SABINIANENSIS.





Sabiniano, quod eſt viæ Æmiliæ Oppidum inter Vrbes Cæſenam, & Ariminum, aggregatus eſt Lateranenſi Conſortio Raphael Guidonius honeſto loco natus, & honeſtiore educatione in ſpem æternę beatitudinis facilius aſſequendæ animatus ad Religionem. Ab nomine Raphaelis Palearij Cremonenſis publicam rem gubernantis, cum noſtris adiunctus eſt, Raphael vocari voluit, Tiburtius ab ſacro fonte.. Exercuit vir conſtans electi dogmatis normam candida ſinceritate, quam ſibi per ipſam candidi habitus aſſumptionem omnimodè aſſequendam, vel ab ingreſſu ipſo propoſuerat, cuiuſue decori ab ipſimet natura inclinabatur. Et quidem id ſatis ei commodè ceſſit non modo intra Canoniarum ſepta, ſed & extra, maximè in agendo de animarum ſalute; ſiue apud Plebem, ſiue apud Proceres. Antiquos enim illos mores, quorum condimentum integritas erat, & aperta quędam, minuſq; fucata probitas, in ſe ad vnguem ſic repræſentauit, vt paſſim vocaretur priſcorum ſęculorum homo, ac pro tanto probaretur. Studijs literarum, poſt exculta pietatis triennalia initia de more, per Cenſores adiudicatus, vicit labore improbo, quod auarè ſibi ex naturæ muneribus collatum erat. Craſſum quoddam, & præpingue ingenium ſortitus, minus idoneo intellectus acumine fruebatur ad ſpeculabilia ſcientiarum penetranda, & ad exerendos abditiores illarum ſenſus. Inſuper rudi aliquo eloquio, & abdominem ſuburbanam ſtillante, quod eius natalis ſoli proprium videri dicunt, repugnans aliquale genium omnibus cultioris eloquentiæ luminibus præſeferebat. Vtriſq; tamen partibus remedium applicuit obſtinatam aſſiduitatem vigiliarum, & exercitationis, quorum adminiculo non ſolum prædicatoream auctoritatem, quæ eſt facultas Verbum Dei miniſtrandi, ſacroſq; codices ad orthodoxam Sanctorum Patrum trutinam interprętandi; ſed & actuale quoque exercitium aſſecutus eſt. Vt iam non veniant debilibus deſperandę aquiſibiles virtutes. Non infelici exitu partes collatas exercuit, licet non eo plauſu, quo primi ordinis oratores. Operatus tamen eſt in duobus ſibi creditis talentis, ſi non in quinque: nec illa ſepelliuit velut qui vnum accepit. Interim verò in re domeſtica Monaſteriorum procuranda, quibus per

obedien-

obedientiam assignabatur, sic assurrexit, & tantis se formauit, firmauitq; præsidijs, vt inter primos talis classis numeraretur. Sedulitate, diligentia, dexteritate fidissima omnes omnino emergentes nodos dissoluens, ita in eius manibus prouehebantur temporales prouentus; vt spiritualibus essent adiumento iugi, & non eis (quod quandoq; ex humana imbecillitate contingit) appponerent remoras. Consepulta antiquorum monumenta, iura ferè per non vsum obsoleta, priuilegia vel omissa, vel intermissa, rationes, census sub alto puluere delitescentes, tinearum, tablinarum, murium propè escas, ex archiuiorum, & pluteorum penetralibus extraxit, lustrauit, illustrauit. Nullum omninò erat characteris genus, quamuis prisco quocunq; malèq; formato calamo prolapsum, quin illud cursim & lectitaret, & intelligeret, omnibus affatim in hac parte notarijs, tabellionibusue, atq; scribis exceptoribus anteponendus. Tantæ huiusmodi solertiæ, bonæq; versationis scripturarum testes sint Cæsenates nostri Canonici, quorum cum rem domesticam curaret procurator OEconomus, præsentibus quidem insistens, sed præterita perlustrans, ac futuris prospiciens; labore commendatissimo ab antiquioribus initijs Monasterij exordiendo longa, & opportuna sexcentorum annorum serie sub trinis domiciliorum mutationibus, ac propterea confusis rerum euentibus, opus illud composuit, quod Acta Monasterij Sanctæ Crucis Cæsenæ attitulauit. Id autem volumen illud est quod supina cujusdam minimi capitis negligentia, si mitius referentibus standum est, vel perdita malitia contemptum, & inuidia pessumdatum dicitur: cuiusue commoda nos tantoties desiderauimus, dum eidem Abbatiæ, quamuis immeriti præsideremus. Si quidem attingebat illa & explicabat, quæ alto silentio scripturarum ferè obuoluta nunc remanent sub nube traditionis, atq; illa, quorum peruestigatio longam tabularum publicarum indaginem expostulat. Ita ad destruendum sufficit vnum, & ad construendum requiruntur plura. Pietatem tamen illam, quam cum tyrocinij lacte ebiberat quamue in prædicationibus semper exactè excoluerat, nunquam harum occupationum impedimento vel per minimum apicem intermisit; sed vt erat robustus, & lacertosus, omnis laboris patientiam indomitam circumferebat animatus vtiq; ad maiora. Atq; hinc cum prospiceret huiusmodi ministerio minus sibi permitti, vt in proximorum salute immediatius operaretur, ægrè sibi permissis diebus festis quadragesimæ ad concionandum; suggerente charitate occurendum impedimento iudicauit calami facilioris operibus. Quare cum experimento didicisset, quam vtilis extiterit, quamue proficua plebi fedelium translatio illa, quam ex latino in Italicum idioma ediderat Franciscus Plantedius Societatis Iesu Theologus Tractatus illius quatuor nouissimorum, quem dudum euulgarat Dionysius Cartusianus vir omnis innocentiæ sanctitatis, ac

doctrinarum eius exemplo permotus transferre & ipse quoq; elegit eiusdem Dionysij Tractatum De iudicio particulari animarum post decessum à corpore. In non magno volumine magnam animi religionem demonstrauit, & quorsum eius cogitata tenderent flecterentq; actiuæ vitæ labores. Optimi item interpretis partes executus est, in nullo anteriori Platendio post habendus. Vtinam omnium omninò omnis generis Christianorum manibus terreretur, ac libraretur mente. Quæ enim ibi exarata sunt, sunt quæ omnes necessario fato subituri sumus. Ipse Raphael non diù post eandem animæ comigrationem pijssime subijt, iudicium subiturus, quod optimum ex Dei misericordia confidimus, & ominamur. Decessit anno octauo huius sæculi ferè ineunte maio tumulatus apud Cæsenates ad Sanctam Crucem. Habemus igitur illius pietatis monumentum.

*Tractatum Dionysij Cartusiani de iudicio particulari ex latino Italicum factum. Venetijs apud Dominicum Imbertum Anno nobis 1609. Lib. I.*

*Opus Chronicon Actorum Monasterij Sanctæ Crucis Cæsenæ, quod manuscriptum reliquit, Vtinam aliquando appareat quatuor libris exaratum? Lib. IV.*

*Opusculum de fundatione, & procursu Oppidi Sabiniani quod in patriæ gratiam ex antiquis tabularijs, & ex historicorum diuersorum volutatione composuit, origine ducta à Gaio Sabinio Viro Consulari, & Romanorum exercituum aliquando ductore: quod manuscriptum nos aliquando vidimus apud eius ex fratre nepotes. Lib. I.*



RA-

# RAPHAEL PRIMVS RIZOLVS PLACENTINVS.





NO eodem Raphaelis nomine appellatos duos habuit illustres viros Lateranensis Congregatio, ex eademq; familia de Rizolis genitos: &, quod non obscurum est virtutis egregiæ argumentum; vtrosq; eodem Ordine extollente Supremi Magistratus insignibus exornatos. De posteriore pro nunc meminit Ioannes Philippus Nouariensis Capite penultimo septimi libri Cronicorum in hęc verba. Sequenti anno (is fuit vigesimus quintus supra sesquimillesimum) Dominus Raphael Placentinus Rizolus & ipse Rector Generalis in florida ætate vadens Ferraria Mantuam decidit in Padum, & ab vndis suffocatus interijt. Pro senioris excitandę recordationi nostra nunc incalescet oratio. Annus agebatur quadragesimus octauus ab inchoata Reformatione, cum is intra Leuitarum vix numerum cooptatus ab Placentino insigni Collegio socius Capitularis datur Sebastiano Abbati, & Visitatori ad Synodum Ferrariensem, in quo & ipsa prima die Congregati Senatus alter ex trium viris scrutatoribus eligitur, quorum munus erat excepta, suffragia rimari ad Vicarij Generalis renunciationem, & consequenter ad totius Conuentus opus fidentissimum. Porrò rem eius iuuentutis primam, quæ ab legitimis tabulis referatur, eo digniorem obseruatu arbitramur, quo Patres, qui conuenerant, primorum illorum venerabilium Reformatorum immediatæ propagines, ac surculi, operabantur intra seuerioris disciplinæ terminos, & publica virtutis testimonia non nisi cum maximo selectu conferebantur ab eis. Sed is erat ab natura factus Raphael, vt magnis pertractandis negotijs vix aptior quispiam plasmari posse videretur. Viuidum ingenium, dexteritas, fides, morum candor, alacritas grauitati non ineptè commixta commendabant enascens meritum potius, quam maturum, quæ & postmodum dotes cum ætatis incremento tot & ipse incrementa sensere, quotis potuit plurimum Ordo augeri, & honestari. Prębuerat se ille interea efformatum viris potioribus, vt in virum euaderet sacro prædicationis onere dignãdum: & quo ad partes, quas per studia, atq; labores assuetum assequi est, nihil in se desideratum reliquit. Præstantem eruditionem, doctrinam non vulgarem, humanarum, diuinarumq; scientiarum peritiam tulit vberem

ab gy-

ab gymnasiorum dimissione. Vnam sibi parum propitiam naturam perpeti se videbat in dicendo ab loco editiore, qui in familiaribus colloquij vber esset, & benè cohęrens. Sed de illa non sibi desperandum autumauit, quin potius tam alacriter oppugnandam, vt tandem expugnaretur, atq; vinceretur. Matthæus Bossus in ea epistola, quam de instituendo Dei præcone scripsit, de natiua hac Raphaelis ineptitudine testatur, nostros adolescentes ad peruicendam naturam inflammans in hæc verba. Nihil est enim tam omninò difficile, quod studium, pertinaciaq; non superet, & non denique sibi suppeditet. Discit loqui Psitacus, discit Pica, discuntque auiculæ permultæ; & hoc non efficiet homo, cuius munus est proprium, gratia illi suffragante diuina, obedientiæ merito, studioq; adiuncto labori? Proponant sibi nostri tyrones Demosthenem aduersantis sibi naturæ triumphatorem, qui linguæ nodositatem, & crassitudinem, ac exilitatem laterum extremo, & improbo studio, ac discendi, agendiq; contentione mirabili sic emendauit, atq; formauit; vt tandem, quam nec tantam credo affectabat, gloriam eloquentiæ primam apud Graios sit assecutus. Sed ne quibus domi abundamus eorum abundè exempla quęramus, Quid nostro Raphaele Placentino, & Ioanne Vercellensi inchoantibus fuit ineptius? Et alter tamen in dicendo maximam adeptus est grauitatem, & copiam, alter tantam in omni parte agendi facilitatem, & vim, vt supremam apud nos dum viueret, sustulerit palmam, & eius prædicationem tota peteret, & desideraret Italia. Expugnauit igitur Raphael contumacem, rebellemq; natiuam deductionem eo euentu, vt cum primis Canonici ordinis luminibus ab eodem Bosso enumerari meruerit in eadem epistola in hanc formam. Successere cum istis (Nicolao videlicet de Zanolinis Bononiense, Paulo, Timotheoq; Maphæis Veronensibus) Titus Ferrariensis, Iacobus Foroliuiensis, Dominicus Taruisinus, Raphael Rizolus laude etiam non parua dignissimi, & pleriq; alij non tantopere celebres. Quare diutinus vsus, longaq; exercitatio eundem à se ipso diuersum obtulit ijsdem auditoribus vario, diuersoq; tempore: dum videlicet circa priores prædicationis annos Venetæ regionis populi nil pręter ordinarium quendam declamatorem auscultant, circa posteriores ad instar tubæ salutaris intonantem obstupescunt. Sensim proficere se ipse pernoscebat, atq; ideo non auelli ab sacro munere postulabat Ordinem, qui tamen suoptè iure pro libito, & pro exigentia rerum de illo ordinauit. Nam cum ad extremum penè senium Aurelius de Electis Placentinus vir inclytus, totiusq; Canonici ordinis Primas, cuius clauo nonum præfuerat, declinaret; vt cum de eadem Placentina natione inter cæteras Congregationis tunc potiore afforet vices impleturus, in Comitijs Rauennatibus anni sexagesimi Raphael Generalis Aurelio, adhuc tamen aliquando reassumendo, successor renunciatur. Extra

omnem consuetudinem accidit renunciatio, quod nec aliquando præambula censura antecisset, quæ quodammodo tyrocinium censetur summę sedis ad dignoscendas velut de facie oues, neque prælusisset gubernium aliquod, nisi fortè illud admodum leue. Felici tamen consilio rem peractam fuisse exitus comprobauit fœlicior: nam intra sæculi vnius quadrantem ad idem supremum munus quinquies assumpto quilibet assumptionis annus fœcundam Congregationem expressit Collegiorum aliquorum illustrium accessione. Parmense Sancti Sepulchri ab antiquo tempore Canonicorum Regularium initiatum Generalem sociauit. Dehinc restitutio Lateranensis Patriarchij Secundam eius Præfecturam gloriosam reddidit, cum ab inito Petri throno Paulus Secundus iubet nos ad Patrum regredi hęreditatem, in quam Nono Kal. Decembris Sanctę Martyri Felicitati, Pontificiq; Clementi dicato immittimur per supplicationes publicas & per iusiurandũ ab Romano Populo præstitum de non eijciendis vltra Regularibus, vel Sęcularibus admittendis Canonicis. Et vt Ecclesiarum Regina præcurrentem pedissequam in ea reductione Congregationi haberet, Canonia Leuitæ Marini inter Ariminenses eodem tempore iuris nostri fit Pandulpho Malatesta Principe curante. Monasteria quoque Sanctissimę Virginis Deiparę Gratiarum, & Nouæ apud Astenses, & Nouarienses augent ei gregem, & familias cum Tertium clauo sederet, prout & Cornelianense Diui Antonij in ora Veneta cum Quartum. Sub postremo tandem Rectoratu nostros Cæsenates nomini suo deuinxit, quoniam eo auctore per Synodum Generalem Placentinam sacri nostri Lares in formatam familiam euecti sunt, qui pridem à præclaro Portuensi cœnobio ritè pendebant, & quocum per impotentem deiectionem in fiduciariam erant prolapsi miseriam. Pro huiusmodi erectione suadenda habuit declamationem, quam manuscriptam apud Generalem Seraphinum Merlinum vidimus cum Rauennæ Theologiam profiteremur. Felix profecto quolibet in regimine extitit, nec occultè felicitatis eius dona in gubernatam familiam redundarunt, dum temporum conditio alios plures deijciebat, qui per Superos minus videbantur fortunari. Vixit ad annum vsq; scalarem sexagesimum tertium. Est igitur breue, sed neruorum eloquẽtiæ eius monumentum.

*De Prioratu Sanctæ Crucis de Cæsena in Monasterium actualem erigendo Declamatio Ad Sinodum Placentinam Anni* 1484

Ascanij Mullæ Rauennatis.

*ERigis in stipitem, multis vberem quoque reddis*
*Quæ prius alebat plantula parua binos.*
*Agnosco, Raphael, morbis quam recte mederis.*
*Nomine qui resonas sancta medela Dei.*

RA-

# RAPHAEL VENOSTVS NOVOCOMENSIS.





EV miseram hominis conditionem, cui bona quoque in mali fomitem vertuntur, dum nimia sciendi, vel dicendi libidine contumaci quadrat ad literam illud à Diuo electionis vase enunciatum, quod Scientia inflat, Charitas ædificat. Bonum scientiæ naturaliter à rationali cupitum, si possessori abutenti contingat, conditionem mali induit: quomodo, & araneis flores libantibus humor epotus in venena vertitur, qui apum in ore mella conficit. Id porrò apparet euidentius, ex domestico exemplo Raphaelis Venosti Nouocomensis viri profectò sua ætate clari, & cum paucis nostrum comparandi titulo nobilioris eruditionis, solidiorisq; doctrinæ. Hic non absq; gratia admissus consortio, quem non patrium Collegium commendaret, vtpotè in ea Ciuitate nullum nec in re, nec in spe, frugi futurus apparuit primo tempore, cum sub incude directorum prospera aliquot prælia aduersus antiquum hostem gessit, non obscura maiorum virtutum spe. Profectò animus ad ardua consurgens dilectione laborum, vigiliarumue, in iuuene repromittebat plusquam assueta fructuum euenta. Purgatiuam enim disciplinam morum hausit e claris ita fontibus, vt illuminatiuę limen penè attingere crederetur, atq; iam conspicuè emergens ex speculatiuarum doctrinarum gymnasijs, quod sine fictione didicerat, communicabat sine inuidia, præualens simul egregiè concione, schola que. Facilitatē, claritatem q; dictionis siue Italicæ, siue Latinæ supra quoscunq; Ordinis sincronos instrumenta scientiæ fœlicissima habuit, quorum adminiculo irruebat opportunus in nactas quales quales occasiones exerendarum intellectus virium. Ab minoribus academijs moderandis præceptor logicalium nunc, nunc philosophicorum, aliquando Viridarianæ scholæ datur Theologus. Hanc aliquot annos fœcundat prole feraci, atq; per exercitium iuge pariter augens doctrinarum mercem, & nominis claritatem primis adnectebatur Theologica profitentium siue ex Patauinorum, siue ex Bononiensium celebri Vniuersitate. Non adibant interpretantis penetralia, aut opplebant subsellia Viridariani conuictores tantum; sed cōfluentibus ex vario genere Asceticorum, & Laicorum plurimis minores plutei excipiebant nostros numero, & debito vix

pares.

pares. Feriantem a gymnasio conspiciebant solemnitates orantem populo non sede certa, sed huc, atq; illuc discurrentem, postulatis exorantium assentientem, qui sanctos laudibus, Ecclesias laudatore exornare curabant. Orchestram Religionis primi occupabant qui ex scholæ enodatis difficultatibus pectoris tanti condum, promumq; agnoscebant domesticè. Ea propter æmula sollicitudo auditorum inferioris notæ opplebat omnia, & ressonabant stupores sub sylentio vocalius, quam acclamationes vndiq; sonoræ. Interea tumultus quaque impotens circumagit vniuersas penè totius Europę Academias, acrem vertiginem promentibus Carolo Quinto Romanorum Augusto, & Henrico Octauo Anglorum Rege, dum vtriq; per idoneos ministros aut emunt, aut illiciunt patronos, & scriptores causæ Catharinæ Reginæ illi Matertere, huic ab anno vigesimo nuptæ; altero scilicet causante ex præsentis strophis matrimonij irritum contractum, altero validitatem ęquius adstruente. Tantæ concussionis materies, vtroq; coronato hinc, atq; hinc exigente, fœcundauit Raphaelis calamum, quo enixus est primogenitam ingenij fœturam nulli omninò æqualium, quæ ab doctissimis patribus vbertim errupere, posthabendam. Duo summi Reges (inquit ille in nuncupatoria ad Ioachimum de Passano) Carolus Imperator Augustus, & Henricus Angliæ Rex, quos honoris causa nomino, egerunt mecum sæpius cum per literas, tum per procuratores, vt eis sententiam meam aperirem de illa matrimoniali controuersia, quæ per omnia Christiani orbis gymnasia per hosce annos iactata, & disputata fuit. Quod cum grauatè me facturum ostenderem, tantum auctoritate, & gratia, atque adeo imperio contenderunt, vt me inuictum, & reluctantem ad respondendum quid ipse sentirem, me compulerint. Digessit in illa nodum tantę difficultatis ad stateram sanctuarij, vt aiunt: atque semel appositam papyro manum non vltra auelli passus est; sed cumulatis laboribus, & vigilijs sæculo labenti in deuia pestilentium doctrinarum sub antesignanis Luthero Saxone, Occhino Italo, Caluino Gallo, Zuinglio Heluetio, alijsq; perditæ farinæ perduellibus opem pro maxima virili tulit æditis libris, quorum infra seriem reddemus. His verò insigniter gestis, dum nimium sibi tribuit, aut viribus se permittit suis, paulatim labi, sensimq; decidere. Soluta nanque disciplinæ compage frequens tractat sæculum, adit exteros, quos & contubernales admittit: & qui adolescens flammam fugerat, fumo penè obcœcatur vir. Senserant Moderatores vsu edocti Satanam cuniculos agere, & aureo calice scientiarum exitum misero propinare. Hinc pro charitate, proq; pastorali cura insidias viro vsque tum bono aperire, & acrius obtestari, quod specie charitatis alienę propriam salutem proderet. Ille cœptis insistere, gloriolā inanis aucupari, & prope excusso iugo, pedem, atq; concionem inferre ad libitum. Posita apud Bergomates quadrage-

ſima clarus eloqu io, & exitu laboris ad votum, conterminam Rethiam penetrat, nulla petita, nec ei dicta facultate; vt populos à vet eratoribus hæræſiarchis deceptos fidei catholicę reſtituat. Speciosus ſanè prætextus. Sed quomodo prædicabunt niſi mit antur? Neque ſolus impoſuit obedientiæ, ſed, vt licentia facilè ſerpit, Ioannem Mariam Nouarienſem comitem abduxit ne, an ſeduxit? Qio titulo ſalutaribus poſtea caſtigationibus in hunc animaduerſum per Comitia legimus, vt adhuc abſtergere maius piaculum diſceret Raphael ex minore ſecundum leges auerruncato. Sed pia facilitas nō conceſſit in vota, atq; malis initijs deteriora adiūcta ſunt incrementa. Debachari enim in Præſides, & quaſi freneticus inſaniens in medicum, cuncta quærellis opplere, ad aliena tribunalia ſuos traducere vt, vt poſſet. Quare inuector exlegis libertatis iuſſus cauſam dicere, & ſibi male conſcius, Tremitana relegatione notatur, indicto ſylentio cum clericis, conuerſis, & oblatis, interdictoq; Epiſtolarum comercio. Verum nihilo fit melior obcæcatus Philau-iæ velo, quin in deteriora ruens perduellionis poſtulatur, & aduerſum communis libertatis inſidiatorem altero Nouemuirorum decreto damnationem promulgat Synodus, quam nec reſcindi ſtatuit, niſi habito ſuffragio Protectoris Cardinalis pro tempore, carcerem nempè tetrum ſuper maioris Diomedeæ arce. Fama eſt contriuiſſe obduratum cor tantam calamitatem, & uexationem intellectum dediſſe. Quare menti reſtitutus, abacto tumore ſcientiarum, & crepitu ſubſtituit eis meliorem charitatem, ſuiq; deſpicientiam, ac contemptum, quarum ope in virum euaſit alterum, & ſenectam coronauit ſaniore conſilio. Ita viris illuſtribus, & Deo aliquando afflatis etiā mala cædunt in bonum, dum hinc occaſionem ſumunt fortius confligendi, & glorioſius de hoſte antiquo triumphandi in Domino Exceſsit poſt annum quadrageſimum tertium ſuperioris ſæculi. Sunt eius monumenta.

*Maleus Hæreticorum.* **Lib. 1.**
*De Poteſtate Conciliorum.* **Lib. 1.**
*De Poteſtate Pontificis in matrimonijs diſpenſandis.* **Lib 2.**
*De Poteſtate Pontificis in temporalibus bonis ex cauſa legittima.* **Lib. 1.**
*In Lutherum de Vera Eccleſia.* **Lib. 1.**
*In Lutheranos de Prædicatione, & Libero Arbitrio.* **Lib. jv.**
*Contra errores Bernardini Ochini de Iuſtificatione, Confeſsione, & Satisfactione.* **Lib. 3.**
*De Exiſtentia Purgatorij, & Auctoritate Eccleſiæ.* **Lib. 1.**
*De Suffragijs Mortuorum et Indulgentijs.* **Lib. 1.**
*Quod Petrus ſit conſtitutus à Chriſto Caput regitiuum Eccleſiæ, non caput influens ſpiritum gratiæ.* **Lib. 1**

*De Intelligentijs. Lib. 1.*

*Disputatio oblonga de Primo cognito. Quæ vniuersa impreßa fuere Venetijs Anno Domini 1543. per Venturinum Ruffinellum, & dicata Ioachimo Lumelino ex nobilibus de Paßano Equiti Valium & Christianißimi Regis Galliæ Consiliario, atq; in Angliam Legato.*

## Francisci Reueslati.

*CVltores Bacchi non hic Aconita legentes*
*Magnanimi aut Martis horrida bella leges:*
*Hic agitata Dei est, sed non conuulsa potestas,*
*Perfidus en hostis vinctus obesse nequit.*
*Raphael aduersus potuit contendere solus*
*Martini exoti dicta nefanda nimis.*
*Nec valuit facunda noui nunc Senensis*
*Tantum, quin fuerit scita, sepulta quoque.*
*Quæ mala mordaces conantur promere linguæ*
*Ecclesiam contra, sunt peritura breui.*
*Quæque inuisa viris monstrauit Lerna pudicis*
*Cuncta iacent, nulla est perpetuanda lues.*
*Maxima Pontificis non est submersa furenti*
*Auctoritas fluctu, littora tuta tenet.*
*Fluctuat aduersis semper compulsa marinis*
*Fluctibus euadens æquora cymba Petri.*



# RICCARDVS OLZENENGVS VERCELLENSIS.





NNVM circa duodecimum humanæ salutis post centenas quinquagenas decades per summam cœlitum benignitatem aggregatur Canonico Instituto adolescens, de paupere quidem, vt aiunt, regno, sed intra quem Regnum Dei erat, Riccardus Olzenengus Vercellensis. Quindecim annos natus portenta circumferrebat, memoriam omnimemorem, ingenium omnicapax, acumen omnipenetrans, quorum cõmendatione à nemine ignoraretur, dum ipse omnes ignorabat vnius solitudinis,& literariorum, piorumq; exercitiorum amans. Cogitata de induendo lineo suppare ab parentis aluo comportasse penè visus est, cum in ipsa rationis crepundia expediret,id sibi cordi esse, essetq; in hoc asserendo & postulando frequens, & super ætatem assiduus. Experimentis gerendæ vitæ subiecit se per annos aliquot ante ingressum, taciturnitati, vigilijs ieiunio,macerationi; adhibito directore Ordinis viro sene, & probo. Hinc faciliora vniuersa inuenit super cæteros coequales in ipsa fractione panis: & aliquo iam in ducto habitu, in naturam conuertit Regulares austeritates recenter ingressis adeo difficiles. Dialecticam profiteri iubetur emissa professione condiscipulis, Magisterium ibi virtus inueniens, vbi discipulatum experiebatur, & cathedram interpretationis tenens, qui subsellia nulla in Congregatione auditor oppleuerat. Emancipatus post biennium datur continuator philosophicis audiendis, post quæ Theologiam omnem percucurrit quadriennio profitentes ipsos eruditissimos territans aculeo subtilitatis, & profunditate memoriæ auctores, Patres præsertim, ac Concilia, ingurgitantis, & egerentis. Quare laurea donatus, vt facultate legittima interpres fieret, scolæ moderator assumitur anno vigesimo eius sæculi: quin & ex compositi animi dote non prouinciam prius aggredi voluit, prece à Maioribus extorquens, vt sibi liceret non nisi sacerdotio redimito præclarum opus auspicari. Protriuerant quidem superiore sæculo maiores nostri ab Frigdionariæ Reformationis incunabulis scientiarum viam expedito pede; sed (si aliquos excipias omni æuo inclytos sublimis doctrinę nomine, & diuini irradiatiatione spiritus) ad vsum velitum potius, quam cataphractorum. Quippe cordi erat senioribus illis sanctam simplicitatem

redolen-

redolentibus ita formare alumnos, vt omnis inflans abesset occasio tumoris. Primus hic Riccardus statariam disciplinam inuexit, secundum quam & discerent intra methodos, leges, & præcepta stabiles, firmiue, & per ea itidem alios docerent, & se scire ostenderent. Id verò tum demum exequi valuit, cum penè quatuor annorum lustris in profitendo protritis existimationem sui penes alios genuit, & obtinuit omni æmulatione maiorem. Iijs enim, penes quos iura erant Reipublicæ, viri disciplinam longo dierum tractu ponderantibus acri iudicio, modum insuper, ac mores humilitati consonos, & religiosæ modestiæ consimiles, quos præcipuè in auditoribus & traducebat, & transfundebat; ijs, inquam, pronum fuit rem promerito duci permittere, vt illam digereret, disponeretq; ex integro. Hinc stadium ordinatum, hinc metæ attingendæ, hinc classes, hinc reliqua doctoream legitimè producentia. In omni Academia Ordinis triumphantes inducuntur Angelicus, & Stagirites, schedulæ proponuntur quolibet anno materierum interpretandarum ex comitijs, classes ipsę non absque delectu instituuntur. Quis verò non videat benè cultum agrum agricolarum sedulitati fructum rependere duplicem in tempore suo? Sacrosancta inter hæc Tridentina Oecumenica Synodus indicitur, & ex omni terrarum christiano orbe ad illam properant Antistites de anno 1546. atq; iubente Supremo Hierarcha Farnesio tres ab Congregatione Theologi postulantur literis in forma Breuis duplicibus ad Herculem Gonzagam Protectorem Cardinalem, & ad Pacificum Damicellum Generalem Rectorem expeditis, vt quæ inibi pro defensione Catholicæ Fidei, & Reipublicæ Christianę facienda occurrerent, quantum in eis foret, facerent, & exequerentur. Quare omnium ordinum nominatione vnus ante omnes eligitur ad tantum Conuentum Riccardus, tum temporis Præuallensis Abbas, & vna cum eo Sixtus de Rhenis Cremonensis Abbas Sancti Bartholomæi de Pistorio, atque Paulus Pelatus Laudensis. Non autem absq; Dei benignitate factum est, vt qui sub Paulo Tertio, Præsidentibus Ioanne Baptista de Monte, & Marcello Ceruino Cardinalibus Tridentum tenuere ab quinta sessione de Originali peccato, & infra, ijdem omninò post annos quindecim sub Pio Quarto Præsidentibus Hercule Gonzaga, Hieronymo Seripando, Stanislao Hosio, Ludouico Symoneta, & Marco Sitico de Altaemps Cardinalibus ad illud ipsum conuenerint; vt ijdem nempè ad vniuersam Sacrosancti illius Senatus decisionum seriem interessent, & irradiati desuper luminis participes sanctè fierent. Quo autem in pretio Riccardus inibi haberetur, vnum Herculem ipsum Gonzagam Purpuratorum Pręsidentium coriphęum testem omni exceptione maiorem sat erit audire in Epistola, quam ad Ludouicum Maioranum Grauinatem dedit Tridento Nonis Martij Anni 1562. & habetur in fine Clypei Militantis Ecclesiæ; Accepi, inquit, literas


literas tuas Idibus Februarij Romę datas, ſimulq; Orationem tuam Patribus, qui in Sancto Tridentino Conuentu nobiſcum ſunt, miſſam: quam nonnullis doctiſſimis viris legendam dedi, præſertim autem Riccardo noſtro Vercellenſi veterano Eccleſię Catholicę militi, & ſummo, vt tute ſcis Theologo. Potuit autem Gonzaga id elogium eo ſecurius de viro profiteri, quo intimius illum agnoſcebat ab annis pluribus Protector Congregationis ſolertiſſimus, & vniuſcuiuſq; meritorum indagator ſtrenuus, compenſator ue fidelis. Appageſis hinc incertus ille rumor, qui apud vulgares aliquos ex noſtris aliquando circumuagauit abſq; fundamento poſt vtrorumq; deceſsum Tridenti; cum & Hercules, & Riccardus ij omninò extiterint præſtantiſſimi doctrinæ, morum, ac vitę, de quibus vana, confictaq; admitti nequeant ſiue in poſtulanda, ſiue in dicunda ſententia, ſiue in quolibet alio ritè, & rectè præſtando. Accidit verò vtrorumq; deceſſus ipſo adhuc pendente Concilio, & iam penè finem maturante, vt eorum pijſſimi labores (vniuſcuiuſq; in gradu ſuo) in ea Patrum luce ſanctè exanthlati, & egregiè repoſiti apparerent. Riccardo quidem Abbati tum Sacediano longo adhuc ſenio venerabili, & propè ſeptuagenario clarior ſepulturæ locus, quoniam obtigiſset? Nec defuerunt fuenra celebriora ab collegis curata inter tot præſtantes omnis literaturę amicos, & familiares. Herculem abſtulit mors die ſecunda Martij 1563. Riccardus per aliquot menſes anteceſserat, quippequi ſeſſionibus de Euchariſtia die 16. Iulij, & de Sacrificio Miſsę die 17. Septembris interfuerit, diſputationeſq; de ijſdem illuſtrauerit. Reliquiſse manuſcripta poſteris Commentaria præclariſſima ſuper Lactantij Firmiani Inſtitutionibus, & ſuper Libros Diui Patris Auguſtini de Trinitate nobis non ſemel narrauit Petrus Franciſcus Malettus poſtremum Nicię Epiſcopus, quæ tamen lucem non aſpexere. Generalis Conuentus anni quinquageſimi ſeptimi eius ſeculi ſub Gregorio Barbadico Rectore illum inſigni præconio commendauit. Quoniam, ait, ſemper fuit noſtrę Religionis laudabilis conſuetudo probos, & virtuoſos extollere, & laudare; idcircò placuit noſtro Generali Capitulo licentiam concedere Patri Domio Riccardo Vercellenſi ſingulo anno veniendi ad Capitulum Generale, & in eo habere (ſi pręſens fuerit) vocem, ac ſi eſset vnus ex Prioribus, ſeu Socijs capitularibus, & hoc ex intuitu probitatis morum, nec non excellentię ſcientiarum, quas in noſtra Religione per annos triginta ſeptem profeſsus eſt actualiter magno cum labore ſuo, noſtręq; Religionis & honore, & vtilitate: ſimiliter deſiderantes & alijs concedere, ſi quis tamen tantundem tempus, & eodem modo in noſtra Congregatione prędictas ſcientias profeſsus fuerit. Atq;hęc quidem illi. Scripſit igitur

*Commentaria in Libros Diuinarum Inſtitutionum Lactantij Firmiani.* *Lib.* vij.

*Item Commentaria in Libros D. Patris Auguſtini de Trinitate Dei.* *Lib.* xxij.

RIC-

# RICCARDVS RODIANVS A BLANZATE.





IE sacro principi Archangelorum Michaeli prępridiè Kal. Octobris anni noni ante millesimum sexcentesimum scito Canonico mancipatur in Bugellano Diui iaculati Narbonensis Collegio Riccardus Rodianus à Blanzate, quod inter Canapicios est oppidum non obscurum. Vtique verenda dies solemniorem reddidit accessionem, & verè memorabilem tum se ipsa quidem, tùm præcipuè admisso adolescenti, qui sub tanti Patroni, Protectorisq; tutela insignem militiam actitaret. Innocenter vsque tum traducti dies, & ad captum ætatis in minoribus litterarum fundamentis benè positi nil opposuere superuenientibus donis & exundanti gratiæ. Propter quod siue quæras bonitatem, siue disciplinam, siue scientiam, is fuit in triplici funiculo difficile frangibili, qui dicere posset; Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hęreditas mea præclara est mihi, atq; ideo Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum. Profectò grandibus ausis viam iustitiæ ambulauit, & in medio semitarum iudicij, pietate, religioneue fulgens præ cæteris donis. Quamuis enim data opera doctrinarum assecutioni incubuerit feliciter, & pręambula exercitatione plurium annorum in Lyceis Placentino, Ticinensiue, præsertim sub Ludouico Pauesio Neapolitano ad Laureæ Theologalis decus ascenderit; illarum tamen vsui inhęsit posteriore cura, & prout famularētur actiioni, cōtēplationiue pro vita meliore, & ad beatiores terminos. Hinc stabat super vias suas, & sibi intentus non vltra dilatabat se. Non à declamationibus quæsiuit titulos, aut præconia; sed obsecundato more Congregationis, per aliquot annos rudioribus oppidorum plurium verba fecit illa, quæ dictaret charitas de corde puro & conscientia bona, quæue fluerent ad frangenda corda, & iaculandas animas. Suoptè quidem genio in elegantiores propendebat literas, & in politiorē eloquentiam, quod ab culti carminis ætrusci exemplis liquidò, & ab ijs, quos in Affidatorum nobili consessu habuit aliquando discursibus, quorum approbatione in album Academiæ reponitur. Non tamen ideo placuit animæ candidę, non fucum dicam, sed nec etiam artis legittima adhibere ad concionandum, toto pectoris hiatu spiritui patens secundum quem, & ex cuius regulis oraret,

& exora-

& exoraret. Id autem ideo factum ab illo videri potuit, vt se auditori conformaret, qui in rudiore sensu exornatiora linguę non caperet. Cultum verò ab illo carmen, quod diximus, liquet ex nobili dramate de Mariæ Magdalenę conuersione, apud illos pręsertim qui spiritualibus inhiant fructibus, & illos metunt, ac colligunt ab Musis verè puris, & virgineo ore loquentibus: non tamen passus aliquando fuit in abrupta proripi pophanę lucubrationis vel minimæ, quamuis illum in id obsiderent siue communis poetarum consuetudo, siue sæculi procacis vsus, siue exposcentium importunitas consociata ætatis pruritui, & auræ populari non ambiguæ. Nos quidem, dum Genuensem Prioratum ad Martyris Theodori ageremus, illius conuictu, ac pia consuetudine obseruauimus, tum demum illum tantummodo pangere, cum deuota spiritus pateretur, & in teneritudines, ac lachrymas laberetur; vt profectò alligatæ meditationes eius essent carmina, quæ nec tamen palam omnibus faceret. Adhuc auctus ætate generoso repudio curam etiam huiusmodi abegit, suspicatus, ne aliquid leuitatis immisceretur rei tantæ, vt prorsus pateat quam sobriè bibat suauitates tenax austeritatis sanctæ animus. Porrò fecit volens, ac lubens quod coactus egisset ab superueniente curarum mole. Præfectus Canoniæ montis Cretæ enituit apud populos Montisferacis charitate, prudentiaue per quam insigni in eo bellorum motu, quo Petrus Toletus Insubrum Gubernator Sabaudum Regulum intra limites compescere, & ab Monteferaci auertere studuit, Sandamianos, Vercellenses, Veruanosq; obsidione, & expugnatione vexans. Dum enim omnis oræ illius grex, imbellis promiscui sexus ab militaris libidinis periculis, & auaritia ad sacras mirę Virginis Deiparę ędes confugit, penè fame, omnibusq; incommodis enecti; officiosa Rodiani Abbatis pietas omnibus patuit perfugium, & securitas, curatis per plures dies corporibus pariter, & animis. Hinc montis eius, sacriue loci religio aucta, hinc deprædicata pariter præfecti virtus, commendatumue meritum inter finitimos, & exteros. Congregatio ipsa, pluribus licet nationis exuberans regimini idoneis, Riccardum nunquam seposuit, vt luceret ardentius ex candelabro. Vitanam apud Mantuanos inter ardua, iterum & Cretēsem præfecturas laudabiliter gessit. Absolutus per assueta legũ nostrarum interstitia à regimine sacris Gyneceis Genuensiũ, & Taurinensiũ, ac Bononiēsium Canonissarum operam diligentissimam posuit, & in hoc quidem genere cultus valuit cum paucis omninò, & puritate vitæ exemplo præeuntis, & dexteritate, ac prudentia pertractandi imbecilles. Viuit adhuc probitatē eo maiorem exprimens, quo metæ proximior cursum magis intendit. Audiuimus scribentē in librum Prouerbiorum Salomonis. Interim adest in vulgus *De Mariæ Magdalenæ Conuersione Dramma Itaticum, quod Repræsentationem dicunt. Neapoli apud Ioannem Iacobum Carlinum Anno 1612. Lib.* 1.

FINIS.

LY-




# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER SEXTVSDECIMVS

## SAVINVS SECCAMELICA PLACENTINVS.



INTER eos, qui pro dignitate Lateranensis familię in acie stetere, quiue ad illius res domesticas illustrandas alicuius ingenij opes contulere, Sauinus Seccamelica enumerandus accedit. Hic cum per plures annos Canonica stipendia promeritus curiosę cuiusdam naturę flammulis exæstuans varias hinc inde Ordinis familias percucurrisset; tādem siue fessus viarum labore, siue per ætatem deseruescens sarcinas colligere, in vnumq; locum constanter deponere prudens elegit. Placentinam natiuitatis sedem, eandemq; professi instituti altricem habuerat eodem ferè ipso tempore, quo egregia cum laude florebant conciues, & & concanonici Marcus Antonius de Bagarotis, Theodosius Burla, Hippolytus, & Sigismundus Anguiscolij. Hic verò cum omnem prorsus locum

occupasse viderentur præclari alicuius consessus tam apud suos, quam apud exteros, in sortem pauculæ portionis venire Secamelica cernebatur. Nam Bagarottus prudentia ciuili, politicoq; gubernio præpotens, & procerum cognitione, ac familiaritate illustris, agendorumue notitia mirus in prænominatos incumbebat omni fauore prouehendos. Burla item eloquentia viri Ecclesiastis digna per Italiæ suggestus pręcipuos acceptissimus, minoris notę qualitatibus prędítos obruebat adhuc pręter mentis institutum; in eum scilicet extollendum confluente hominum opinione, cuius iubari sustinendo impares se esse arbitrarentur. Sauinum verò cum non exornarent nisi communes viro probo dotes, quas nec ille tantisper perpolire satageret, vtiq; volens, ac lubens seponebatur. Impares autem pretexebat vires siue imbecillioris corporis, siue mentis labori importuno ineptę, si aliquando vocaretur ab amicis tam ad honores, quam ad onera. Neque admittebat genium suaue supercilij grauis auctoritatem, qua Sigismundus ille ex pręstituto legum nostri conuictus, & imperitabat, & benè audiebat apud maiores. Sibi autem uiuere in multam partem felicitatis enumerabat alieno utique parens imperio. Ne uerò stoliditatis omnis nomine damnaretur, cum peregrinari iam desijsset, admouit calamo manum, & opusculum in speciem tabulę composuit, per quod non posteritatem modo doceret de colonijs per Canonicos Lateranenses deductis per Italię prouincias omnes; uerum etiam breuissimo compendio, atq; ordine ob oculos poneret cuius Summi Hierarchę concessione, quo salutis Pontificatus anno, quo mense, quoue die & fundatę extiterint, & inita possessio. Pręsentissimas habuit uires longo conatui, etsi paginarum mole pauculo, quoniam assiduus peruolutarat tabularia Canoniarum, penes quas illum moras aliquales ducere contigisset. Ad id autem muneris factus à natura fuerat, quippe quem nullum omninò character fugaret, quantumuis antiquum, quantumuis nodosum, & per amanuensium, atq; notariorum abreuiaturas cuilibet papyro consignatum. Sola talem diuturna praxis, & obseruatio reddiderat, ac interior illa Minerua, qua inuita nil agendum, dicendumq; in antiquo fuit adagio Neque tamen improbus labor etiam dum perficeretur inanis exibat. Quippe vnamquamq; Canoniam locupletabat cognitione rerum circa bona stabilia, quarum memoria exciderat siue temporum iniuria, siue incuria ministrorum, siue litium diuturnitate, atq; ideo obuios inueniebat œconomos, facilesq; Prælatos, vt penetralia archiuiorum adiret. Auidè exceptū ab singulis Ordinis Collegijs opusculum acuerat auctori voluntatem ampliora digerendi Congregationis æs alienum respicientia, sed dum stilum parat viam vniuersæ carnis ingreditur. Est igitur eius calami

*Tabula Collegiorum Ordinis Canonici in Reformatione Frigdionaria Lateran.*

SERA-

# SERAPH· ACETVS DE PORTIS FIRMANVS·



T tu prius exemplo, quam voce eloquens inſcribe, in chartis, quas pridem moribus expreſſiſti vitiorum victrices in virtutis paleſtra exercitationes. Rudis adhuc inani ſæculo politiorum literarum docere ne metue; ad animos enim diuinitus illuſtrandos, inflammandoſq; ſatis eruditus eſt, & cui Deus affulget, & qui Deo calet. Scribe, nam ſcribendo pinges, atq; inter ſapientiſſimè à te ſcripta documenta aſpiciet poſteritas animi picturam tui. Scribe diuinæ exordia, progreſſioneſq; militiæ, nam ſimul in ijs Cæſarianis elegantiores inſcriptos legemus victoriarum commentarios tuarum. Dilapſum profectò de Cœlo Seraphim, tuaq; vir ſanctiſſime, purgaſse pectora calamo ignito, quem forcipe tulerit de altari, dignoſcimus, dum vitam admirabilem, dumq; ardentiſſimas lucubrationes vel etiam prætepidè obſeruamus. Et quidem de innocentiſſimi huiuſce viri, ardentiſsimiq; Chriſti præconis vita quid referri omnino poteſt, quod paradiſum non ſapiat? quod ſupremos illos ignitorum ſpirituum Deo iugiter aſsiſtentium, et collaudantium ardores non oleat? Quid de caſtigatiſsimis, pijſsimiſq; compoſitionibus eius commentari, quod ex Empyreo profectum, productumq; non appareat? Quo tempore ad tranquillitatem portus Canonici ex ebulliente ſęculi freto cymbam ſuam adduxit, erant tum domi præter duodecim profeſsos nouem etiam alij, qui ſe nuper Congregationi addixerunt, et ſuum quiſque munus curabat alacriter. Flagrabant apud omnes ſtudia priſcę pietatis, et crucis Chriſti ſumma erat in obtemperando voluntas, ingens alacritas in obſequijs, mirus in conuictu candor animi, ſimplices mores, compoſiti ad modeſtiam vultus probitatis indices, et cultus interioris: ſpectaculum Superis hominibuſq; iucundum. Nulla niſi virtutis ęmulatio, nulla obtrectatio inuidię, nulla vox querelarum, mutuis officijs certabunt omnes, honore inuicem preuenientes: ſola erat de humilitate contentio pacis genitrix, et concordię, qui cum eſsent ex multa morum, nationum, ętatum varietate permixti, inter ſe tamen uelut unum corpus, et vnus ſpiritus concordiſsimè uiuebant, ut non tam hominum in terris degentium, quam Angelorum cœtus in humanis corporibus videretur. Nulla virtutis diſcipli-

na præſtantior illorum vel conſuetudine, vel exemplo, aptis etiam ad permutandos perditos, & profligatos mores. Atq; hoc pacto, hacq; innocenti norma tum viuebant antiqui progenitores noſtri. Vtinam experrecti aliquando imitarentur nepotes. Haud ergo difficile fuit ardentiſſimo Tyroni, & per ſe bene expedito Seraphim eò ſemitam dirigere vitæ, quò reliquos cernebat eniti, vt peruenirent, quòue poſtmodum præ cæteris Diuino afflante Spiritu prior, potiorq; ipſe peruenit, Valerio Facino Vicentino Tertium exercitui Canonico imperante ſtipendia promereri cœpit: eodem Quintum gerente illum ipſum Magiſtratum poſt ſeptennem militiam laurea doctoratus inſigniri meruit, quem pluſquam vna ciuica ob plures ſeruatos ſuo exemplo, hortatuq; iuniores ciues in vitæ norma titubantes ornare quoque decuiſſet. Proſilijt tum demum in medium flagrantiſsima illa charitatis, qua totus æſtuabat, ebullitione, proximorumq; omnis ſe dedens profectui e ſuggeſtibus ſalutoris tuba claſſicum ciere cœpit in vitia tanto cum Diuini Pneumatis impetu, vt non verba, ſed flammas vndique effundere, atq; excitare cenſeretur. Non ex arida quadam formula exq; conceptis verbis dicebat, non hora quapiam ſingulariter aſſumpta, ſed vt cunque ſe ferret occaſio priuatim, & publice, e ſacris quidem tribunalibus aliquando bis, terq; in die. Indagabatur vias omnes omnibus con ſulendi, & quocunque ex obedientiæ miſſione diuertebat, omnem ſermonis occaſionem intenta mente captabat. In omni congreſſu, atq; conuictu, in circulis, ac conuentibus, in templis, ac foris, in domibus, & vijs, in conuiuijs, & itineribus ardens illa anima eructabat, quæ abs Deo biberat. Incidit autem in illos hæc tanta viri ſolertia annos, qui vniuerſo Fidelium cuiuſcunq; generis cœtui ſummè exitioſi, ſummèq; infelices eſſent: in ea ſcilicet tempora, quæ ſceleratam illam Martini Lutheri Apoſtatæ ex Eremitano Auguſtinienſi peſtem protulere, & diffudere: in illas, inquam, funeſtas dies, in quibus & tota Anglia ab orthodoxa religione deſciuit inepta cum perditiſſimo, laſciuoq; Rege: Germanorum fidelia quondam ingenia, non modo ipſa in tenebris ruere geſtiebant lubentia, volentiaq; ſed & exterorum quoque mentes cœca offundere caligine, in alienaſue regiones malè hauſtos errores effundere toto conamine nitebatur. Quam verò perditè dudum florens Italia ſe haberet, iam plena extant commentaria. Incendia, clades, vrbes, regiones vaſtatæ, Roma ipſa dirempta, ſacra, prophana ſurſum, deorſum verſa adeo omnibus ſunt nota, vt iuſtè narrationi parcamus, non item lachrymis, ſeris quidem, ſed nunquam tali in recordatione omittendis: Sat ſit dixiſſe, Ius erat in armis: Nulla fides pietaſq; ijs, qui caſtra ſequuntur. Nunc igitur latum campum ſpinis, ſentiſq; obſitum nactus Vir Dei, ideo totus inſiſtebat in eo perpurgando, & expoliendo, ac ad natiuam feracitatem, domeſticumue cultum reducendo, eo feruentius

uεtius,quò vberior neceſſitas eius perrumpebat viſcera ex amiſſione tot animarum Chriſti Seruatoris ſanguine redemptarum. Eccleſiaſticam primo peragrauit ditionem,Picenum,Sabinos,Æmiliam , Flaminiã declamationibus frugifer, quas vita commendaret Apoſtolica in viro arctiſſimi victus, & indefeſſi laboris, quæ dotes in oculis proçerum, populorumue eò infigebantur, ac penetrabant intimius, quò ſæculi laxitas rariores fecerat. Vt autem cernebat meſſem copioſam, operarios verò paucos , qui in veritate cordis tales eſſent, non in fuco verborum; nil lachrymabatur frequentius, nil lamentabatur operoſius. Si quando nanciſcebatur Eccleſiaſten fructuoſum, procumbebat in genua, ſolumq; ab illo preſſum (ſi cautè, ac ſemotis arbitris id ſibi licebat ab illius receſſu) oſculabatur humiliter, ac piè lingebat,ab eius pendebat dicentis ore, caſtum amicitiæ nexum exorabat,ſanctaq; iungebat fœdera. Quas commentationes ipſe ſeu in ſe exercendo, ſeu in alijs curandis expertus eſſet efficaces, communicabat alacriter, ſinceroq; pandebat animo,viciſſim ne rogabat,vt ſibi copia fieret Euangelicarum viarum, quas vtiles alij probaſſent cum proximis. Addebat Deus impigro operario animi vires illius animæ varijs ſe communicans modis,illuſtrationibus mentis, cordis dilatatione, viſionum ſacrarum fruitione, colloquiorum internorum numero, & noui ſemper feruoris acceſsione, vitæq; perfectioris ſtudio, & anhelitu. Quis verò referat quę pluſquam viginti annorum curriculo egerit,ſitq; paſſus vni tantum intentus fini,cooperandi Chriſto in ſalutem animarum? Excipiebat, fama præclarè vulgata;concionem in templis, quocunque pergeret innumeram : excitabat in ea pietatem, vitæque melioris deſideria, quæ opere explenda curaret eo iugis Omologeſis miniſterio, ut e ſuggeſtu ad tribunal auriculare deſcendens irrequietus, & impranſus uniuerſam diem prorſus tranſigeret inter admirationes, & grata murmura. Rem quidem Chriſtianam haud mediocriter formido bellica uniuerſam quatiens Italiam retardabat; ueruntamen tantis in motibus minimè Seraphim inſtitutum uitæ remittens ſuis partibus deerat nihil,nec à ſuis ceſsabat muneribus; quin acuẽs ad iſthęc animos in omnem ſe uertebat partem, & omnia fiebat omnibus, ut omnes Apoſtolico more lucrifaceret. Rauennæ inter cæteras ditionis Pontificiæ urbes benè locauit induſtriam. Florebant tum ibi præclaro ſolidarum virtutum exercitio Margarita de Mollis de Ruſcio,& Gentilis de Iuſtis de Rauenna minoris quidem mulieres fortunæ apud homines, at præcipui apud Deum meriti. Hę primò ex ardentiſsimis viri concionibus inhabitantem in eo Diuinum odoratę Spiritum, moxq; intimius aſſecutę per domeſticas ſpiritualium rerum allocutiones, perq; vitę auſterioris obſeruationem, totę ſe illius in gubernando ſpiritu inſtitutioni tradiderunt, inq; Patrem, & directorem animarum ſuarum elegerunt. Ipſe verò viciſsim agnito, à quo agebantur

Numine

Numine, veneratoue, non in eam solam, quam illę exposcebant prouinciam incubuit, sed ex ea in alteram progrediens sibi ad altioris perfectionis gradus viam strauit: Quippe apis ingeniosa de virtute in viritutem ascendens libabat ex earum sublimi charitate profundæ humilitati annexa quid in dies imitaretur vberius, collustrabaturq; ex mutuo diuinorum eloquio mens, & anima. Hæ illæ duæ sunt, quarum promotione religiosa, valdeq;pia Presbyterorum Boni Iesu Rauennæ Societas instituta est Hieronymo de Malusellis Sacerdote Cæsenate auctore, Seraphino autem ministro, præcipuoq; suasore. Cum enim à sacris confessionibus & isti, & illis fuisset, & in eius pectus arcana omnia reponerent tam diuinarum reuelationum, quas habebant, quam humanitus ad quicuncem prudentiæ excogitatorum; ipse, vt intellexit in quantam tres illos, & si diuerso tempore, Deus gratiam proueheret, suasor adfuit valde pius, & coniuncta oratione, ac spiritu, in præscribenda gubernationis serie illos summopere iuuit. Interea ab Moderatoribus Bononiam mittitur, indeq: vniuersam lustrare iubetur Insubriam plusquam vno Dei flagello diuturnius exercitam. In creditis sibi talentis indeficienter operanti ij erant ad templa concursus, quocunq: accedebat, effuso de Ciuitate in Ciuitatem nomine, vt alicubi in area excitato subitaneo verba facere cogeretur ingenti cum animorum motu, plurimoq: semper cum fructu. In itineribus non semel intercipiebatur à populis catheruatim occurrentibus, quorum sitim nec integrę hebdomadę sacrorum ministeriorum exhibitorum hauriebant. Profecto caritas operariorum, & multitudo indigentium haud inter se conconueniebant, atq: ideo dum nauos administros Ciuitates operiebantur. non nisi ægrè conuelli patiebantur. Latam illam, vberemq: prouinciam nunc armis tumultuantem, nunc induciarum inter Principes initarum nomine quiescentem exercuit totam: at seuerioris ieiunij conciones posuit apud præcipuos populos Parmenses, Mantuanos, Ticinenses, Mutinenses, Placentinos, Cremonenses, Nouocomenses, Nouarienses, vt interim taceam Bononiam, atq: Mediolanum plurium annorum sede continenter exultas. Et Mediolani quidem desuper datus videri potuit extremis morbis extrema animorum medicus paraturus remedia. Illecti autem per tot exempla,laboresq; procerum, ac populorum amplissimos ciuitatis animi in propositas pijssimas prouincias etiam si eo tempore per quam difficiles consenserunt, vt Charitatis subsidium, quod Montem Pietatis nominant, eo Auctore erigerent pro iuuandis pauperibus & clerus vterq; iuges, nunquamue intermittendas supplicationes coram sacrosancta Eucharistia per Ecclesias ad vices exposita, quas dicunt quadraginta horarum, amplexus est. Quo anno Gallia ferox captiuum fleuit Franciscum Regem ad Ticinensia mœnia illo eodem, atque circa Medio-
lanenses

lanenſes ſupremas fleuere ruinas caritatis annonæ , obſidentis, propugnantiſque arcem militis , & acriter ſæuientis peſtilentiæ. Heu dira Dei flagella , heu horrendam rerum , hominumque faciem . Præclaram autem laborum ſegetem præbuit hæc ipſa perdita facies Seraphino Eccleſiaſten tunc ibidem incidenter agenti . Quo enim impellebatur charitatis æſtu aditis Magiſtratibus iam non ſuam modo exhibuit publicam operam, ſed & per quam plura ſugeſſit, quibus & alij adminiſtri ſacrorum adhiberentur ſpontanei, & ordo in ipſa mortis confuſione apponeretur irrefragabilis languentium, atq; medentium numero, loco, ac tempori. Ipſe alteri Noſocomiorum ſe præfici exorauit opportuno trium adiutorum leuamine. Sed cum horum binos funus oppræſſiſſet glorioſo ſub faſce, totum penè in illum, ſociumue imbecilliorem onus incubuit. Sua ipſe manu vir indefeſſus miſcere, & exhibere pharmaca, vnguenta oblinire, cathaplaſmata conficere, & apponere, in os cum morte confli&antibus cibum inſtillare, vaſa, veſteſue curare, & perpurgare : idem præſto eſſe cunctis alloquio, nocturnas orans excubias ducere, præque alijs ſedulus, cautuſq; agere, ne quem inexpiatum confeſsione criminum extrema neceſsitas occuparet, iugis ſacrificium offerre, expeditum de rerum caducarum vanitate , de corrigenda vita , comparandaque æternitate ſermonem contexere ; ſuprema demum officia vita functis prece , & iniecta humo perſoluere horrentibus ac à longe ſtupentibus ciuibus, ſpectantibus , lætantibuſue Superis . Alij ſuper alios interim ſternebantur, nec modo laborum moles , ſed ipſa loci , quin & totius fermè ciuitatis graueolentia , ſpirituſque putreſcens adminiſtros inferiores omnes ad vnum afflixit, eripuitq: multos. Vnus cum ſocio Seraphim, quibus minimum erat quietis, valetudo, & (vt ab memorijs illorum habemus temporū) ſolito firmior conſtitit, quod alij penitus miraculo adſcripeſere, remq: vt deſuper immiſſam hic agnouit. Inter hæc, vt eſt vir, quem Chriſti Charitas vrget, vnus pro multis, nil refugiens omninò quod morboſæ infectioni obuiare, eam minorare, & abigere poſſet, hos, illoſue animabat ad labe contactorum ſeruitia, armabatq; monitis, & præcautionibus rerum in ſe vno exercitarum. Ab tanta hac exercitæ charitatis mole in non minoris ædificium aſſumitur operarius fermè, & architectus . Maturabat in iam præfinito ab immenſa illa æternitate tempote benigna Numinis prouidentia ditare noua quapiam ſacrorum clericorum phalange Militantem in terris Eccleſiam : iamq; Mediolani ſimul conuinxerat in vnico vinculo charitatis, & voluntatum ſecretos à ſæculo Iacobum Antonium Morigium, Bartholomæum Ferrerium Mediolanenſes, & Franciſcum Mariam de Zacharijs Cremonenſem viros ex patritijs maiorum ſplendore illuſtres, at multo propria pietate clariores. Si diutius obſeruata , quæ circumfe-

rebatur

rebatur Seraphini virtute,perq;tot exanthlatos labores in proximorum custodia deriuatos ad lidium quasi probata lapidem, primo quodam accessu familiaritatem cum illo contraxere seiunctim. Inde (vt omnia vorat, in seq; vertit, si debito approximentur spatio, ignis diuini affectiua potestas) ita viri seraphicus ardor pios illos lucratus est, vt minimum fuerit se ei pedetentim aperire, atq; committere. Ipse verò longo iam experimento spirituum magister, atq; discretor se ornari à Deo nouorum charismatum largitione persensit in tantorum virorum accessu, atq; in tot moliendorum pro fideli populo obumbratione. Hinc eo se constantius abijciens, ad humillimaq; deuoluens stupebat vberrimè, flebatq; supremam Numinis bonitatem, quæ se tantum homuncionem in opus tot ministeriorum assumere dignaretur, indignumq; iudicabat cui tales accederent Sancti Spiritus vnctione deliniti, viuaq; donorum eius inhabitantium templa. Quare communicatis omnimodè studijs,ac voluntatibus agere cum Deo nunc insimul, nunc seiunctim, rimari diuinum illius beneplacitum,quæ ad maiorem illius gloriam expiscari, quęue ad promptius proximorum seruitium, ac commodum inquirere. Vt autem veteranus ille miles, duxq; strenuus ab tribus habebatur ob exercitam diù religionem, obq; tractatos populos, in eius pium, sacrumq; pectus quasi in fidissimum scrinium depositis sarcinulis feruentissimarum cogitationum, sublimiumq; inuentorum, ab eius ore, solutionibusq; pendebant tam in sacro pœnitentiæ foro, quam extra; quorsum videlicet dirigerent iter, vtrumue diù meditata, & quasi leniter inchoata perficerent. Tot pluere sacræ consultoris menti, totq; affulsere diuinitus irradiationes, vt demum eruperint tres eius filij spiritus in eum sacratissimum partum, qui vniuersum propè christianum Orbem suo splendore illuminauit: in præclaram scilicet Institutionem eius Clericorum Regulariũ Familiæ, quæ ab prioribus illi attributis Ecclesijs Diuis Apostolis Paulo decolato, & Barnabæ dicatis, & Bernabitæ, & Clerici Sancti Pauli decolati nuncupantur. Hæc alter est excelsorum illorum Cętuum Clericalium, qui in extremis hisce seculorum diebus ad reparandas morum ruinas, ad surrigendam in plerisq; labefactatam hæresum tabe fidem, ad inducendam pietatem, religionemq; fermè deperditas affuerunt à Deo præsentissima remedia: virorum doctrina, zelo, sanctimonia, prudentia, agendorum solertia præclarissimorum seminarium inclytum, & admirabile. Hinc haud satis admirabitur & præsens, & futura posteritas super diuini consilij altitudine, quæ & in hisce nouis Clericis instituendis Diuum Patrem Aurelium Augustinum maximum Canonici Ordinis Reformatorem per manus filiorum facem præferre, & nepotes quodammodo illos ei substituere decreuerit. Ita coniungentes posteriora prioribus, antiquisq; noua facilè colligemus vnam, eandemq; semper Ecclesiam, quæ vno eodemq; semper in om-

in omni differentia temporis agatur Dei Spiritu. Quantus in supremo hoc tanti ædificij conamine intefuerit, præcisè quanta præstiterit, quibus ue partibus, muneribus, atq; functionibus manum admouerit siue in condendis prioribus legibus, siue in assumendis nouæ familiæ moribus, habitu, motibus tam apud Deum, quam apud populos, virosq; principes suis directione, ac prece, alius quispiam absq; sacrorum Fundatorum, Institutorumq; præiudicio narrabit alibi. Fermè quem deferunt, dum agunt e suggestu cum populo Bernabitæ, rochettum; in cooperatoris Seraphim gratum pignus, præclaram tesseram, nobilemq; memoriam retinent. Atq; hæc quidem, ijsq; similia præstitit agenda cum proximis ex charitate. Quæ verò pręstiterit agendo solitariè cum ipso Deo liquidò constat ex ijs, quæ edidit asceticis, seu Vitæ Spiritualis commentationibs, quas Theologiam Contemplatiuam, alias Mysticam, seu Affectiuam dicunt, in suas partes distributam Purgatiuam, Illuminatiuam, Inflammatiuam, Vnitiuam. Neque enim ab eo talia præcepta, sublimesq; tractationes absolutæ virtutis aquirendæ prouenirent, quæ in se ipso illa minus exercuisset, cuiusue ad cor rerum magistra non perorarel experientia. Quamuis enim piam illam consuetudinem suam agendi cum populo ad extremos vsq; vitæ dies indesinēter retinuerit; tamen aliqua alia ratione adhuc cōsulere animabus exoptans ex pręambula plurium horarū oratione surgens se totum ad ea componenda rapto calamo colligebat, quæ tanta cum Orbis Christiani vtilitate, fructu, approbatione, plausu circumferruntur, breuia quidem, si volumina chartasq; mediteris, at quæ Enchiridion omninò sint salutis assequendæ. Non hæc autem simul vno, eodemq; contextu digessit; sed ex oblata occasione, quę fortius interiores animę vires simul compingeret. Iunior quidem scripsit Vitas Beatarum Margharitę de Mollis, & Gentilis de Iustis, quarum supra meminimus, instantibus Mantuę Regulis Friderico Gonzaga, & Margarita Paleologa. Simul cum eo opere, ac per ea tempora digessit Tractatum de Discretione spirituum, & alium de Confidentia, & Diffidentia, quę tamen ipse non euulgauit, neque fortè euulgasset, quamquam in nullo pœnitenda, sed post eius obitum typis prodita sunt. Longè vtiq; distant ab alijs posterioribus styli, ac spiritus efficacia, atq; feruore, quem admirabilem postea consecutus est; nondum enim illum conscenderat perfectionis apicem, quem postremis eius ętatis tribus, vel quatuor annis, quando postrema edidit, summum obtinuit. Iuuere verò animum eius non infimè in tanti apicis assecutionem feruentissima colloquia nunquam satis collaudatę Virginis Angelę Paulę Antonię Mediolanensis. Hęc illa est, cui librum inscripsit de Vera Conuersione, cuiusue meminit in pręfatione problematum de Oratione, atq; in cęteris ferè opusculis, quos subscribere consueuerat,

ac consignare per maiora tria nominis eius elementa, vtiq; acceptum per eam à Deo referens quicquid optimi in illis contineretur. Hinc narrare solebat intimis familiaribus nonnulla se ex illius Collocutione profundissima, atq; abditissima Sacrę Scripturę mysteria, & pręsertim ex Diui Apostoli Pauli Epistolis didicisse, quę nunquam vel ex Sanctissimi Patris Augustini, vel aliorum Doctorum perceperat lectione. Ita Deus gratiam dat his, qui de se minimè sentiunt, prout se deijciebat iste mirabiliter vir Sanctus, & eruditissimus sub paupellę, ac contemptę virginis ducatu. Cęterum lubet ex pręfatione Gasparis Scoti Placentini in eis per annos duodecim exerciti, quiue incredibilem fructum ex illorum lectione persenserat, nonnulla summatim ad Lectorem de horum Opusculorum eximia, atq: pręcellenti vtilitate, ordine, argumento, ac serie balbutiendo vt ipse, inquit, perstringere, ne ad ea tanquam ad incognita penitus, si quando, quod pręcamur, accedat. Si igitur vitam in melius commutare velit, veræq: pœnitentię feruore ad Deum conuerti non externa tantum quadam assumpta pœnitentiæ formula, sed immò ex cordis fundo Deum suum amplectendo, peccatoq; penitus repudium dando, legat, qui de Vera inscribitur Conuersione, librum. Ibi plane inueniet, vnde peccatum verè horreat, quantaq; deflendum sit illud cum amaritudine, atque detestatione, vt ibi plenè docetur, addidiscet; ita vt tanto feruentiori Deum suum deinceps, se ipso contempto, amore complectens, quanto prius sibi ipsimet, eo spreto, fuerat immodicè, & recurue affectus, ita in omnibus sitiat, quæ vel in tempore, vel in æternitate sibi possent contigere, eius sanctissimam exequi voluntatem, prout prius suam ipsius in omnibus vitiosissimam studebat semper facere.

Porrò conuersus, si assidua Deo suo oratione aspirare, illiusq; iugiter attrahere vitalem spiritum, quo sine procul dubio hac in spiritali vita prorsus deficeret, desiderat; legat breuissimum simul, atque omni ex parte absolutissimum de Interiori Oratione Tractatum cum annexis Problematibus: vbi nihil non quod ad hoc perfectæ assequendum Orationis, seu contemplationis studium faciat, compendiosissimè inueniet collectum.

Hæc sunt, quæ habet de duobus primis Seraphini Opusculis Scotus prædictus, quæ introductiones censentur ad cætera, & exhibent veluti Ariadnę cuiusdam spiritualis filum ad inueniendam veram ingressus, egressusq; semitam inter obliquos, & tortuosos labirinthi tramites illi ipsi, qui tanquam melior Thæseus, & Heros fidelior minotaurum uitiorum ignorantiæq: obtruncare, triumphumue agere de se ipso uelit. Si tamen satis est labirinthum appellasse humani pectoris ærarium, de cuius penetralibus exeunt (ut in Euangelio est) cogitationes malæ adulteria, &c. Cæterum prosequitur Gaspar iudicium de alijs Opusculis.

Vt

Vt autem in oratione prosequenda, & in cæteris omnibus peragendis rebus, spiritus discernere motiones, quidue à Deo, quid à Natura, quid à Diabolo sit, atque quid plus, quid minus à iusto recedat, valeat agnoscere, tutissimamq; semper incedere mediam, ac regalem viam, relictis extremis vitio obnoxijs; ita vt & sibi, & cæteris omnibus perfectum, ac saluberrimum semper omnibus in rebus cum externis, tum internis capere, ac suggerere possit consilium, legat de Aurea, & Regali Discretione Tractatum perfectissimum, ac planè diuinum.

Cum verò hæc omnia nec inchoari, nec prosequi, nec ad extremum perduci possint, nisi prius, & diligenti vitiorum omnium (quatenus quidem fieri potest) inuigiletur ad mortem vsq; quotidianæ extirpationi; in primis, & ante omnia accipiat, nunquamq; derelinquat aureum illum librũ De sui ipsius Cognitione, atq; Victoria. Ibi septem capitalia vitia tanquam septem hydræ lærneæ, vel potius tartarei illius draconis capita, quomodo in nobis & oriantur, & succrescant, & alantur, vnde omnia in nobis pullulascunt vitiorum germina; quomodo rursum, & decrescant, & succidantur, &, quantum quidem fieri potest, extirpentur, ita vt omnium mox in nobis surgere possit virtutum, atq; diuinorum charismatum pulcherima structura; distinctè adeo, ac planè descripta comperiet, vt nemo sit, qui quidem diuina suffultus gratia, velit aduersus se ipsum arma assumere, qui hunc legens librum non maximam assurgat, certissimamq; se ipsum deuincendi in spem, idq; facilè sit (quantum quidem illum Deus vocare dignabitur; non enim omnes ad eundem vocat Deus perfectionis gradum sed pro modulo suo) præstiturus: modo velit, quam hic docet viam incedere, suauissimasq; eius perceptiones obseruare. Vt verò & possit subinde tanquam in speculo se ipsum contemplari, qui se omnibus simul in supradictis, vel vno quoque eorum habeat, legat admirabile illud, ac planè diuinum Internum Speculum cum annexo breui confitendi modo inde desumpto. Ibi totius altissimæ perfectionis cum in Actiua, tum in Contemplatiua vita formam, normamq; vniuersam ab initio ad summum vsq; gradatim, strictimq; comprehensam offendet; Ita vt quotidiè quantum in vno quoq; eorum, quæ ad perfectionem capescendam sunt necessaria, vel proficiat, vel deficiat, quantumue ab ipsa summa perfectione vel absit, vel adsit (abesse autem se longè semper, immò semper magis, si verè proficit, inueniet; Ea enim est Christana perfectio, vt semper currendo ad finem, nunquam perueniatur. Cum semper in ea inuenire sit vndè amplius proficiatur; quò ue magis crescit verus illius gustus, eò crescit & desiderium, atq; esuries infinita) possit agnoscere.

De expositione porrò in Apocalypsin quam clarè, quam dilucidè simul, ac comprehensim, summèq; tendens semper admirabili cum contextus se-

rie, ordineq; suo illo planè diuino ad scopum, nedum earum omnium rerum, & enigmatum abditissima enodarit mysteria, quæ iam erant completæ; sed & de instantibus quoq; quæ nos impleta cernimus, aut nonnulla tetigerit, vt de acrius irruitura per aliquantum adhuc temporis in Ecclesiam Lutherana hæresi: de percutiendis suo tempore Principibus nonnullis à serpente, quem fouent in sinu: deq; locustis, &c. ac de posituro illo Angelo, cuius pedes tanquam columna ignis, de posituro, inquam, Angelo illo, cuius pedes tanquam columna ignis, &c. pedem suam dextrum super mare, sinistrum autem super terram &c. nihil volo loqui magis. Lectoris ipsius volo super his fusius, disertius, eruditius, maioriq; præsertim cum spiritus lumine contemplantis iudicium (vt spero breui) expectare. Sat sit loca indicasse.

Scripsit autem Auctor hic noster supradicta hæc omnia modo quodam, ac methodo sibi peculiari, ac planè singulari, & qualem qui præstiterit, vidimus ad huc neminem. Scripsere etenim, fatemur quidem, hac de materia viri plures & sanctitate,& eruditione cõspicui: sed alij longa texentes volumina,variaq;varijs in locis tractãtes:alij exhortatorios habentes sermones,variaq;interferentes,quæ declarant, Scripturæ mysteria: alij magis contemplationum,internęq;ac mysticę penitus Theologię materię intendentes alij de mera,& simplici agentes externa mortificatione;id fecerunt. Scripsere quoq;eorum pleriq; ea ferè ratione, quæ non facilè nisi tantum doctis, & eruditis, subtilioriq; præditis ingenij acumine sit peruia, & perceptibilis. Qui autem breui Enchiridij forma, quod semper ad manum haberi, in sinu gestari, facilè memoria compræhendi, in eoq; iugiter se exercere quilibet posset totam sex,vel septem Opusculis perfectionis conscendendæ cum in Actiua, tum in Contemplatiua vita formam, ita, vt nihil omninò intactum remanserit, quod sit necessarium, nihil admixtum sit quod non sit maximè necessarium, compræhenderit idq; verbis adeo apertis, sine fuco ornatis, compræhensis, efficacibus, admirabiliq; contextu, atq; ordine planè diuino vidimus adhuc sanè neminem. Vt mirum non sit si tanto animi cum ardore pijssima, ac deuotioni planè addicta Hispania opuscula hæc arripuit,vorauit,deglutiuit,& vt verè eius sint propria,fructusq;possint ibi admirabiles producere,& in propriam earũ regionũ maternam linguam, & transtulit & tertiò iam, & quartò, & eò amplius Salamanticæ prælo sunt excussa. Qua præ cæteris excellentissimus hac tempestate nostra, & vitæ pietate, & eruditione catholica (vt innumera eius declarant scripta) clarissimus Frater Aloysius Granatensis Ordinis Prædicatorum in eo, quem de Oratione edidit libello capite vigesimo quinto præ omnibus ab Ecclesia probitatis spiritualis vitæ opusculis ea censet longè vtilissima, atq; fructuosissima: & capite quinquagesimo tertio integrum huius Auctoris caput

proli-

prolixum valdè suis non dedignatur inserere nominato auctore, operibus Hæc quidem ille. Ab cuius etiam penu, ac deuotione eadem Opuscula ex Italico Idiomate ( in quo Seraphim ad omnium captum & intelligentiam Italorum illa ediderat) in Latinam linguam versa in omnem omninò omnium nationum commoditatem legimus typis elegantissimis cussa, præfationibusq; vtilissimis exornata Placentiæ anno septuagesimo post sesquimillesimum apud Vincentium Comitem, quæ postmodum vndecim exactis annis eadem lingua fuere recussa Antuerpię à Nicolao Almorino, vt notat eruditissimus Posseuinus in Apparatu. Quin & illud etiam scitu dignum est, illum in ea versione secutum esse exemplaria emendata, & integra, quę ipsomet Seraphino viuente impressa fuere partim Bononiæ, partim Mediolani biennio ante eius decessum, & quæ anno sequenti post eius obitum simul collecta edidit Venetijs Cominus de Tridino: nam reliquę omnes quę successerunt ęditiones infinitis scatebant erroribus & diminutę admodum, atq; discissę, & lacerę adeo, vt & ipsa quoque Italica ęditio eguerit diligentia eiusdem Gasparis, cuius ope emandata prodijt ex eadem typographia Placentina eodem anno. Inter hęc Seraphim consumatus in breui expleuit tempora multa. Nam dum Bononię ageret assuetis intentus operibus pro salute proximorum, in suiq; corporis castigatione acerrimus fato fungitur vix quarto anno quadragenario maior anno quadragesimo supra sesquimillesimum. Curatum funus est tota confluente Ciuitate, existimationemq; vitę lachrymis, prece, tactu, vestium attractu contestante. Vix demum terrę datus est post longa parentalia excitato paruo tumulo prope solum qua parte musica habet organa propè sepulchrum Petri Lucensis, qui & ipse non sine pręclara sanctitatis fama obierat. Sunt igitur ex Seraphini calamo.

*De Interiori, seu Mentali Oratione.* *Lib.* 1.
*Problematum centum de Oratione.* *Lib.* 1.
*De vera Conuersione.* *Lib.* 1.
*De Aurea, & Regali Discretione.* *Lib.* 1.
*De sui ipsius Cognitione, atq: Victoria.* *Lib.* 1.
*Speculi Interni.* *Lib.* 1.
*Modi Confeßionis auricularis.* *Lib.* 1.
*Commentariorum in Apocalypsin.* *Lib.* 1.
*Vitæ Beatarum Margaritæ, & Gentilis Rauennatum.* *Lib.* 1.
*De Discretione spirituum.* *Lib.* 1.
*De Confidentia, & Diffidentia.* *Lib.* 1.

SE-

# SERAPHINVS COLLINVS VENETVS.





MNIVM qui nostra hac ætate in Lateranensi cætu floruerunt Concionatorum (floruerunt autem plurimi) primatum tenuisse Seraphinum Collinum Venetum constans omnium opinio est, si cultioris, ornatiorisq; linguæ studium, si pateticum dicendi genus, si oratoriam ipsam artem attendamus. Quin si summa ea loca, quibus Euangelium comportauit, & à quibus intonuit, siq; Summos Principes inspiciamus, penes quos Ecclesiasten egit; pauci omninò sunt ex omnium Religiosarum Familiarum vniuersitate, qui eidem conferri posfint, qui anteferri, nulli. Vtinam amicæ veri eloquentiæ par respondisset seuerioris conuictus studium, & æqua Instituti Canonici dilectio, disciplinæq; plenior sequella. Profectò (si qua tamen pars sunt præmij Infulæ sacri consessus) viro illæ frontem laudabilibus sudoribus fluentem redimissent primo loco Hic honestis natalibus inter illos secundi ordinis, quem Ciuium dicunt, apud Venetos oritur patre humanarum literarum professore egregio. Ab ipsis penè infantilibus indolem admirabilem exhibet ad eloquentiæ dona; atque ideo, vt naturæ sequeretur propendentis stimulos, vix annos attigerat rationis lumine capaces, cum in disciplinam datur Roberto Cusano viro & erudito, & forti. Ad quos autem asurexerit profectus sub eo, non postremæ, aut maturiori ætati declarandum reliquit; ipsa, quam terrebat puer, erumpebat gemmas, fructusq; reddebat electos, obstupescentibus non ijs modo, quibus erat intimè notus, & peruius; sed & ijs quoque, qui nil de eo præter vocem sciebant, clarioribus Reipublicę Patribus. Testes adhuc sunt orationes illæ, quas ex proprio marte habuit ad Laurentium Priolum Patriarcham in Basilica Castellana, & ad Marinum Grimanum Ducem in Excellentissimo Collegio annos vix gerens quatuordecim. Factus aliquanto maturior in disquisitione circa vitæ institutum, cui foret adigendus, prætulit ipse Romam mitti, suopte quidem genio ad omnem Eutrapeliam formato; sed adhuc non sine animi pugna ab eminentiore luce prodeunte, secundum quàm sentiebat ad metam aliam, non eam tamen ab intellectu obnubilato captam, destinari. Forenses quidem strepitus, quorum vtilitati, & commodo volebant consanguineorum aliqui

illum

illum dirigere, (vt in ea Republica pretiosi sunt controuersiarum, litiumq; patroni) abegit magnificè, constanter, atque celerrimè, Neociuitatis Reguli Cæsarini aulam in Vrbe domicilium habuit, clarissimam non magis nobilitate, quam cultu virorum ingenij acumine, scientiarumq; suppellectile excellentium. Potuit in gymnasio tanto nationum omnium receptatore curiam omnem versans ad amussim perfecti aulici collimare meditata, viresq; roborare prudentiæ. Verum non ea erat spiritus eius sedes, non centrum. Augebantur quidem splendida sæculi in eo; sed pari passu præcordia angebantur, quæ nullibi quietem noscebant, prout nullibi experiebantur. Academica laus, venustiq; Oratoris decus inficiebat iuuenilem animum, quem irrorabant splendidè in commendante Procerum, Prælatorumue corona, cum aliquoties diceret soluta oratione, vel poetica recitaret. Sed superueniens fulgor de Cælo scenam aperiebat mentis, docebatq: futurum, si ampullosam aulam sequeretur, vt in sibi distributis talentis non operaretur ob occasionum egestatem, instillabatq; alia his similia complura, per quæ fluctuabat, & ęstuabat Scepticorum, Aporeticorumue more. Vnus Ioannes Delphinus Cardinalis Venetus pugnam diremit titubantis animi, qui pluries auditum iuuenem ad pulpiti normam excellenter idoneum, efficaciter animauit ad religionis statum meditandum, in quo excultus, & expolitus iuxta Dogmatum instituta, iactisq; firmioribus scientiarum fundamentis, valdè proficuus fieret in Christi sanguine redempta plebe. Quod ad eam vsq; diem transegerat solutum viuendi genus accerrimè repugnabat optimis monitis, salutaribusq; consilijs, licet quales erant, rationi imperanti aliquando apparerent. Vicit tamen gloriosè portio melior, & eodem Cardinali opus vrgente maioribus nostris placuit. Seraphino Merlino Generali decernente, & in filium spiritus adoptante ad Montis Donici solitudinem, in qua tyrocinium ponat procul omninò ab ijs, quæ iuuenem prius egerant in transuersum falsis fulgoribus, & vana frequentia. Suscepit lineam cottam eo die, quo Sanctissimus Abbas Antonius Anachoretarum secundus ad Cælum migrauit decimo sexto kal. Februarij de anno tertio huius, ad quem properamus centenarij, depositoq; Ioannis Ludouici nomine Seraphini nomen accepit. Iosephum Semperuiuum innocentissimum senem, & inter Veronenses Patres egregiè administratis Prælaturis valdè clarum præceptorem inuenit iam alijs initiatis munia dispertientem, & viam disciplinæ complanantem. Acrius verò per omnem eum probationis annum dimicasse aduersum se, & aduersum immissas faces ab veternoso hoste ex consuetudinis prioris igne subductas plura edocuere. Neque minor profectò beneuolentia stitisset eum ad solidandas bases, & ad radices firmandas, quam illa, qua Merlinus Antistes in eum affectus erat. Emissis de more solemnibus votis Cremonam transmittitur,

smittitur, vt ab ouo repetat scientiarum stadium, Dialecticisq; operam nauet; nec tamen seponitur animi cultura, quæ nouitiorum est. Et licet ætas eius proxima sacerdotio mitiora postulare videretur; Constantij tamen Vernatij Abbatis iudicium eò castigatius, præssiusq; vrgebat imperia, quo fortius illum videbat ad excelsa assurgentem. Si tempora diuturniora in illud fuissent, præclarius cum eo fuisset actum. Verum cum ab eo gymnasio ad Patauinum commigrasset perfecturus Theologicam, Philosophicamq; notionem, patuit magis intellectui exornando, quam affectui componendo. Nam ex superueniente interdicto, quo Paulus Quintus Summus Christi Vicarius Venetorum Dominium feriebat, plurimum labefactata vndique est omnis Ordinis disciplina, dum ius rem alteram postulat, alteram factum extorquet. Declinauit tamen ipse, licet serius aliquanto, vna cum Camillo Sanctasophia Patauino sub alieni gestaminis integumento diris penè deuotam terram, Rauennamq; se recepit. Cum verò sub Honorato Roberto, & sub Gabriele Pennotto aliquam portionem percucurrisset Naturalium, & Diuinorum in Viridariana vniuersitate; in ea Portuensi perfecit suo modo stadium Hieronymo Carandino, & Augustino Ventura Doctoribus, & per assueta tentatiua, perq; publicè contutatas theses dimissus est ad vtilius laborandum. Bonifacius Caietanus Cardinalis Romandiolæ Legatus, idemq; doctissimus primam illi curauit arenam Vincentio Gonzagę Mantuanorum Duci per efficacia illum officia commendans, à quo iussus est dicere in Diuæ Barbarę Regali Basilica per vniuersam ieiunij magni quadragenam. Id fuit initium laborum eius, is primus climacis gradus, quo ad summa Oratoris perfecti conscendit. Nam licet sacro muneri plurima contulerit iuuenis dona; venustas tamen, decorue tantus fuit, vt cætera omnia superaret, atq; hoc vno talento mirè auditorem caperet. Neque id priori tantum illi ætati, aut sub illa initia adhibuit, sed quoniam ab naturæ elegantissimæ interiore proueniebat scatebra, totum prædicationis eius cursum comitatum est. Si illum affectuum consessus vniuscuiusq; ab ore eius pendentis dixerimus dominum, vtique parum dixerimus. Vt compassiuas lachrymas, vt dolentes fletus, vt erectiones animi, & destitutiones, deliquiaue sui ipsius in promptissima habebat potestate; eadem sic circumstantibus pro libito imperitabat non voce, sed actu. Profectò admirabilis est Deus in donis suis omnibus, quæ dispertit singulis prout vult: sed adhuc admirabilior in viro hoc cognosci voluit. Licet enim longè plurimi essent prædicationis officio fungentes (ex celebrioribus inquam) qui solidioris scientiæ, vberioris doctrinæ, latioris eruditionis vsu, & possessione commendarentur, & catholicum populum pascerent: hos tamen omnes & æquabat, & eorum multos superabat Collinus per dicendi suauitatem, leporem, ornatum, gratiasq; omnes sine fuco, sine vitio. Quin licet in eis-

in eiſdem omnibus floreret, & ſeuerioris vitæ ratio, & ſcelectior morum grauitas, & communior innocentiæ opinio, vtpotè qui abditè magis, & procul à ſæculo viuerent (inſtrumenta magni ponderis penes multitudinem vniuerſam) vix tamen tot dotes æquilibrium tenebant vni huius eloquio. Totos vitæ Vincentij Ducis annos Mantuam incoluit eidem intimus, & dexteritate rerum agendarum, morum ſimilitudine, genijq; conformitate prædilectus. Id tum innotuit clariſſime cum ex plurimorum tam Mantuanorum quam exterorum numero, qui politiorum literarum profeſſione commendabantur, vnum elegit Collinum, qui Ordinarij Lectoris officio fungeretur in præclariſſima Inuaghitorum Academia, quam iam diù collapſam excitari denuo, inſtaurari, reflore, haberiq; apud ſe iuſsit, vt ex Hippoliti Doneſmundi hiſtoria liquet. Atq; hinc fortaſsis ab diuturniore conſuetudine aulæ pruritu non aliquo reſperſus non eſt. Quippe infectionem ſenſim pertimeſcens illo vita functo pedem refere ſategit; ſed incaſſum. Nam apud filium, & ſucceſſorem Franciſcum eandem ſuſtinere perſonam opus fuit; donec & illo viam vniuerſæ carnis citius ingreſso, Ferdinandus ex Cardinali Regulus aliam terens ſemitam virum libens dimittit. Longa dierum ibi tranſactorum ſeries protulit plurima, per quæ facundum os immortalitati litaret extra omnem Eccleſiaſtici declamatoris aſsuetudinem. Reddemus infra celebres illas Orationes, quas in Summorum Quinque Principum parentalibus habuit. Non intactus verò ab inuidorum iaculis euadere licuit in tantopere acceptis, gratiſue obſequijs, per quæ aliquando penè transfixus eſt. Factus plenè ſui iuris, hoc eſt Ordini permiſsus de integro, in commune bonum ceſsit. Nam licet antea quoq; quadrageſimam agere de ſuggeſtu permitteretur; id tamen aut fiebat Mantuæ, aut Ciuitatibus ijs, quas Princeps ratas habuiſset. Deinceps Euangelio frequentius famulatus eſt per anni dominicos, feſtiuoſq; dies, per Natiuitatis Sacratisſimæ prenunciam bideccadem ſupra ipſius maioris ieiunij aſsiduum opus. Potiores populi ab clangente aurea bucina pependerunt, Bononienſes, Florentini, Lucenſes, Meſsanates, Palermitani, Genuenſes. Vrbium vrbi quaternas habuit quadrageſimas ex ſuggeſtibus Laurentij, & Damaſi, Baptiſtę Florentinorum, Animę Germanorum, Ludouici Francorum. Neapolitanis ad Diuę Annunciatæ binas dedit, ternas Venetis patrijs pęnatibus. Pedemontanorum Diomedi Carolo Emanueli, Principibuſq; filijs, ac filiabus euangelizauit debellata fortuna, & trumphatis aduerſarijs, quorum non temeraria machinatione aliquando vetitus fuerat non modo concionem aggredi, ſed & Taurinum intrare licet pridem accerſitus. Verum vna Italorum regio quantumuis longè, lateq; patens in planities, & aſsurgens in apeninos vix capere videbatur melifluam eloquentiam. Tranſuadato Varo, Alpibuſq; ſuperatis Gallico etiam intonuit cælo. Mariæ enim

Mediceæ Reginæ accersitu & illi quadragesimalem inædiam nectare diuini verbi temperauit, & diù postea ibidem concionatoris extraordinarij decoratus officio, ac titulo, iussus consistere, obtemperauit. Generosos labores præmia non minora compensarunt. Paulo Quinto Summo Pontifice expediente, & Scipione Burghesio Cardinali curante donatur perpete pensione super Episcopatu Clodiensi, quæ res in Regularem parum sueti fuit exempli. Sub Antonio quoque Priolo Duce Veneta Respublica in illum contulit iura,, signa, sacri Rectoratus Arcis, Ciuitatisue Palmæ nouæ in finibus Fori Iulij extructæ. Item sub Nicolao Contareno Duce, apud quem maximè charus florebat, insigniore, opulentioreq; Sacerdotio cumulatur. Sed regiæ prorsus munificentiæ, summæq; liberalitatis dona ab Serenissimis Sabaudiæ Principibus habuit, plenissimas tesseras quanti placeret, quantiue fieret virtus inclyta. Adhuc tamen ea minora fuere, quam Carolus conciperet mente: atque ideo semel peperit ex animi ditiore erario prȩmia nec vulgaria, nec ab alijs vix opinione capta. Præclarissimæ militię equitum Mauritij, & Lazari adiunxit illum sacro cętui per fiduciariam, quam, dicunt, administrationem, & per egregiam pectoris sacerdotalis obsignationem de maiori ea Ordinis cruce, quæ Primi confessus est. Sola Congregatio sobriam manum exercuit in illo lautius habendo, quę neque honores, neque onera publicæ administrationis ei facere communia voluit. Quin licet aliquando in Dieta Ferrariensi acrius pro ipso staret, vrgeret ue Iacobus Sera Cardinalis ibi Legatus, & nobis Protector, & conuentui assistens; nil tamen obtentum abundantiùs fuit ab latis suffragijs, quam vt Abbatis Veneti publicatio in aliquod temporis spacium differetur, & interim Collinus Proabbatis munia exerceret, idq; in solam ipsius Protectoris gratiam, & in seruatę reuerentię signum. Ea autem, quę superius tetigimus in causa fuere, ne pijssimam alioqui matrem, de integro in hac parte propitiam haberet. Vna enim omnium erat sententia, ab communi illum ratione viuendi recedere satis, Canoniciq; ritus formam, quæ in sobrietate est morum regularium in incessu, statu, habitu, in omnibus denique motibus, ex præscripto Sanctissimi Patris Aurelij, non pariformiter ab illo obseruari, qui nimius esset in laicæ conuersationis vestigijs, & inhærentia, quiue laxius, & splendidius præ professo ageret dogmate. Fortassis & hęc eadem ne semel atq; iterum episcoparetur obicem egere infractum. Cæterum priuilegio honestandus Prædicatoris eximij Senatus Consultum fauorabilem obtinuit. Scripsit autem

*Regia Tumba, vel Tumulus Orationes Funebras Mantuæ, & Neapoli Ad Scipionem Burghesium* Cardinalem Anno 1615.

I*tem Heros* Sacer *de Actibus Eminentiss. Cardinalis Richelij Carmine* Italico *Ad Mariam Mediceam Galliarum Reginam, Parisijs apud* Caualer. 1626.

SE-

# SERAPH. MARCHETTVS DE ANGELINIS BERGOMENSIS.



RANDE illud Sinensium Imperium, quod Europæ vniuersæ ab non ignoti nominis Scriptoribus ęquiparatur, inter cętera barbariem omnem excedentia admirabilis Politicę decreta illud vnũ omni commendatione maius habere dicunt, vt parentum suorum filij quicunque artem siue liberalem, siue mæchanicam profiteri omnimodè teneantur. Quandoquidem ex eo id Reipublicæ necessariò consequitur vtilitatis, ac commodi; vt artes ad apicem vsq; perfectionis ascendant, dum liberis genitores candidè aperiant quicquid reconditum didicisse, expert iq; esse contingerit siue ex proprij inuenti phantasia, siue ex longæ diei praxi, & exercitio, quibus dum ij aliquid noui superaddidisse, (quod bonorum ingeniorum est) meditantur, & post hos alij, atq; alij exactiora semper inueniat, vtique opus omne non nisi exactissimum consurrexisse oportet. Nullus insuper relinqui accidit natorum, cuius vitæ necessarijs cautum, prouisumq; sufficienter non sit, atq; ideò otiosus nemo, nemoq; iners omnimodè reperiatur. Vtinam si non idipsum planè, quidpiam saltem tale apud Europeos quoque diurnæ praxeos actitaretur ministerio laudabili. Certè quod non in statutis, sanctionibusq; prouisum legimus communiter nostris, id executum priuattim voluere Belsarinus, Seraphimq; Angelini de Marchettis Pater, ac Filius Bergomates. Ille namq; innocentis vitæ testimonio supra laicalem statum apud cōciues suos clarus dum ius Vtrunq; studio, responsis, consultationibus insigniter profiteretur, filium hunc quoquein idem erudire, instruere, atq; dirigere omninò satagebat. Neque istius genium abhorrens esse videbatur pro captu minoris adolescentiæ. Quandoquidem, sub bonis præceptoribus, quæ iecerat compositiora humaniorum literarum fundamenta declarabant quamcunq: admissura se meliorem scientiarum molem, & præcisè eam ipsam, per quam genitor tam egregiè audiebat apud omnium ordinum viros, siue clientes, siue iudices, siue etiam litibus aduersarios. Verum septemdecim iam factus annnorum dum de vitæ ducendæ statu secum intimius confert, flammulas mentem conci-

pere seu immitti apprehendit, vt Iura quidem admittat, ac sequatur, sed nobiliora, sed sanctiora: de quorum scatebris non iam contentiones, lites, rixæ, controuersiæ (actuosæ laicalis vitæ diluuia) promanent, & elabantur, sed amica veræ probitatis pax, quies, concordia, & de quibus non effluat meum, ac tuum, frigidum illud verbum, & quicquid est malorum in vitam nostram inuehens, innumeraq; gignens bella. Obsecundauit supernas immissiones, piamq; adolescentis electionem genitor, qui inter tumultus Babyloniæ sęculi fenestra mentis Daniel alter Hierusalem cęlestem prospiciens orabat iugiter. Quare Proposito Augustiniani Canonis apud Patres Sancti Spiritus adiungi sedulè curans per obedientię schedulam, quam aiunt, Generalis Verdellij Cremensis proximo monti Donico ad non remotos Veronenses transmittitur in veram libertatem filiorum Dei vindicandus sub vinculorum diribitore, fractoreq; Patrono Diuo Leonardo Titulari. Annus vigesimus huius, in quo scribimus centenarij, luxq; Octobris octodecima Antiocheno sanctissimo medico Lucę Euangelistę sacra inter maioris sacri solemnia lucis intimę extimam nubeculam lucidè candidam lineum supparum de Abbatis manu recepit obtegentem; vt transfigurato quodammodo ad exemplum Domini Saluatoris fierent vestimenta alba sicut nix ad vitę albedinem, candoremq: insinuandum retinendos. Ab natiuitate autem decretus desuper Instituto huiusmodi profitendo videri potuit (nil enim inane quoad diuinam Prouidentiam est) quem in ipsa die Dedicationis Saluatoris Lateranensis solemni nona Nouembris mundo matrem edidisse contigit. Ab rudimentis Canonicis ad scientias transeuntem auscultandas Doctores Ordinis pauci agnouere, qui paucas adiuit scholas. Ex paucis illis præcipuum coluit Antonium de Parmesanis Rauennæ Naturalia, Diuinaq; explicantem, & in eodem Portu lauream assecutus est. Munia redimitorum, quæ in ministerio verbi consistunt, nulla obire elegit siue ex prudentiæ cuiuspiam cautionibus, siue ex studio pressius de se sentiendi. Cum enim non satis idoneè formatum se ad eloquentiam eam, quæ in pronunciatione consistit, cerneret ex natiua quadam tarditate, & impeditione, munus sibi censuit non exequendum aduersa, inuitaq; Minerua, neque enitendum, vt labore improbo (quod fortè dabatur exequi) vitium naturę nouercę frangeret, pręsertim quod alij coæqualium plurimi in credito huiusmodi talēto Ecclesias circumirent operarij vtiles, & gloriosi. Cæterum indefessa lectione Sanctorum Patrum volumina, Sacrorum Conciliorum sanctiones, antiquāue Scriptorum primi consessus eruditionem aggrediens oppulentissimā sibi adiunxit solidioris doctrinę suppellectilem. Habet plura in promptu, quæ proximè cudantur. Edidit Italicè *Politicam Ecclesiasticam libris 4. comprehensam ad Reuerendiss. D. Paulum de Auogadris Brixiensem Congregationis Lateranensis Visitatorem. Venetijs apud Gueriglios* Anno 1647.

SE-

# SERAPHINVS MERLINVS RAVENNAS.



HIC ille vnus est, quem non ad supremum modo apicem sui Ordo Canonicus semel euexit, quod & alijs nonaginta septem ad hanc vsque diem commune fuit: quem non modo per repetitas vices supremis redimiuit insignibus, quod & cum alijs perpaucis gessit; sed etiam tanquam Reipublicæ Principem per sexdecim annos tacita quapiam omnium ordinum consensione veneratus est. Hic primus ille est, cui ab triennali gubernio instituto fasces consulares Tertium anteiere. Ea fuit gentis eius conditio, vt infra mediocrem fortunam staret. Sensit ipse tamen adeo propitium Numen, vt ad summa dignitatum fastigia extra spem euectus, præter ambitum potens, supra naturæ infirmitatem cumulatus honoribus, magnatibus præcarus, Canonicis prædilectus ad extremam vsque floruerit horam. Hinc immortalem prouidentiam admirentur, qui supersunt agnati, quæ magnitudinem eo potentius sola prodidit, quod hominem ad ea prouexit, quo vix pridem penetrauerant amicorum cogitata. Pontificante Paulo Tertio circa annum trigesimum sextum eius sæculi nascitur Rauennæ propè Ædem Apollinaris, tertio annorum quinario vixdum expleto clericali instituto adscribitur apud Portuēses Canonicos per egregiam illam descriptionem Vitalis Mercati, quæ viros postmodum claros genuit dogmati. Id in illos dicitur accidisse dies, in quibus idem vir Dei Mercatus animo prægrandi, & præcordijs verè desuper dilatatis ingentem illam rerum congeriem præparabat, congregabatue, quæ ad nouam Basilicam Dei Matri Virgini construendam, à fundamentisq; in Ciuitate excitandam necessaria erat. Faustum, felixq; profectò omen de futuris nouiter aggregatorum profectibus, qui superædificandi veniebant in recens, atq; in nullo minus magnificum spiritale Dei, ac Domini templum, quod & postmodum re ipsa verè prestitum est, vt in hiscemet libris ad sua loca narratum cernitur. Ad ducendum tyrocinium pauco interiecto tempore ad Viridarianas Diui Baptistæ sedes transfertur, vt expeditiùs per exercitationem interiorum probitatis actuum coalesceret excultis per vnam, & eandem horam intellectu, ac voluntate in virum perfectum. Suopte genio gradariam quãdam motionem, statariumq; incessum sortitus erat, nil pręcox

vel

vel more, vel captu: & dum alij super alios siue ingenij acumine, siue apprehensionis velocitate, siue promptioris expressiuæ laude ex classiarijs floreret, ipse neutiquam morositatem illam vel præcipitem dabat, vel calcaribus æmulatorijs adigebat ad cursum. Hinc pollere quidem ingenio credebatur, sed tardiore illo, longumq; exposcente laborem, vt colono feracius responderet. Id verò dotis, quæcunq; illa fuerit, vel per callidam, cautamq; animi electionem, vel quia reluctari, vimq; naturæ facere nollet, toto uitæ curriculo ita retinuit, ac quasi coluisse notatus est, cum cęteroqui in agibilibus alacritatem quampiam vultus, oculorumue gratissimam pręseferret. Neque ideo tardiùs prę condiscipulis in doctrinarum Naturalium, Diuinarumq; stadio aut metam tenuit, aut brauio redimitus est. Quin inter operarios messis Dominicæ enumeratus statim, si non præ cæteris, saltem cum paucis florere egregio cum plausu cœpit, sibiq; in dies aditum ad præclaros aperire suggestus. Nam qui ingenij laude superari non inuitus admiserat, innocentia vitæ, seuerioris disciplinæ admissione, & exercitio, ac viri verè Canonici punctuaria expressione, nec anteiri voluit, & alios anteire obtinuit. Quare talibus hisce munitus pręsidijs arcem primi confessus diuturnus, indefessusq; expugnabat, dum tamen neque id operis ille mente conciperet, sed Regi Christo lucra gestiret in dies gestare vberrima. Acer in vitia inuehens præpotenti voce concionabatur, vniuersiq; corporis habitudinem sic efformabat gestu, motuq; vt totus in aures, totus in pectora, & corda penetraret, ac mergeretur. Simplex alioquin eloquio, minusue comptus fluebat cætera concionis parte in olei modum spiritus pinguedinem præseferens, in aliosq; transfundi irrigua concupiscens ratione, intellectum irretire satagebat, vt cognatam ipse pedetentim voluntatem lucraretur. Non prius pedem intulit suggestui, quam sacro oleo delinitam manum admouerit incruento sacrificio, quod ad annum sexagesimum eius sæculi contigit Patauij ipsis kalendis Ianuarij præambula lachrymarum præparatione munitus. Quamuis enim adhuc inter Leuitas enumeratus facultatem obtinuisset interpretandi sacra volumina, cæteraque doctoreæ priuilegia adijsset, adhuc tamen digerebat classicum bucinator canere, quo & præmeditatior accederet, & sacro Charismate delibutior acturus tanquam auctoritatem habens. Primos concionum labores posuit Nouariensibus, postremos consecrauit Vrbi ad clarissimas Diui Francorum Regis Ludouici ædes. De cætero vniuersam penè lustrauit Italiam Apostolico operi intentus pro virili, incommoda, ærumnas, algores, ac æstus paruipendens præ siti animarum, vt par erat, vtq; proprium est in similem sortis felicitatem. Quin pericula ipsa suprema, vitæq; discrimina tanquam dominicas visitationes excepit, vt pronum nobis esset recensere ex plurimis, sed vnum attigisse sat erit. Epidauriensibus euan-

euangelizatum ierat ad eorum postulata, ibiq; posito Aduentu, ac Quadragesima sub perpete impluuio gratię Dei in auditorum pectora per quam varios actus extimè contestato, moderati, præsertim cum infidelibus, comercij domestici, atque mercatoriæ negotiationis acrius ad conscientiæ lancem expensæ; iam ab oppositis Illyrici litoribus remeabat ad Italos bonorum operum onustus mercimonio, dupliciue inter alia donatus equo generosiore ex finitimorum Thracum barbarorum genere, quos neutiquam recusare per amicam largientium violentiam decuit. Horrendo interim, repentinoq; spiritu impetita nauis inter nimbos corruscantes, sonantesq; procellas, fracto temone, cęterisq; spretis, & cōminutis humani, auxilij pręsidijs viros suo modo Nauticę monuit, quod vna sit salus miseris nullam sperare salutem. In tanti casus acerbitate, interq; vagantis, & imminentis mortis crudeles vmbras, dirosue impetus quotquot comportabantur ad duo de viginti depositis animis omnia lachrymis, eiulatu, votis inconditis, confusione replebant, nil vltra præterquam absorberi vortice, & opprimi fluctibus expectantes. Vnus Seraph, etsi turbato per aliquot temporis spatium animo, quod humanum est, steterit; tamen collectis mentis viribus, supernaq; repletus fiducia in genua prouolutus primum intimè orans, dehinc vultu alacri, voceq; potenter excita omnes erigens, nautasq; præcipuè confirmans datis in præceps salo equis, quos vehebat, ad onerariam, quod in se erat, subleuandam; vbique promptus, quocunq; in loco opportunus, & expeditus confessione omnes excepit, & lustrauit sacramentali pro instante periculo, vt desperata corporis salute temporaria, staret saltem æterna. Dehinc iterum curuato genu, oreq; ad stratum prouoluto longius, intimiusq; Virgini Deiparæ apud suos Portuenses cultæ se, cæterosq; commendans, & voto se obstringens salutari totus se futurę uitæ composuit prout placitum desuper esset. Exaudiuit uerò clementissima Mater exorantis Sacerdotis, deprecantiumq; preces, & illorū miserata uices eos naufragio redemit, redita prius luce, litoreq; dehinc nō procul, ad quem appulerunt, ostenso. Hoc illud discrimen est, ad cuius memoriam iugi aspectu refricandam, ut grato beneficæ Dei genitrici satisfaceret animo, penicillo erudito repræsentari uoluit, tabellaq; in cubiculum appensa & sibi, & alijs patere curabat. Nominatim ab piorum cinerum impositione adusq; Paschales solemnitates excoluit Firmanos, Fanenses, Vicentinos, Imolenses, Mediolanenses, Mantuanos, Ferrarienses, aliosq; minoris notæ, sed æqualis meriti. Ab missione uerò Æterni Consolatoris ad usq; necatos Innocentes Bononiensibus, Venetis, Placētinis, Brixiensibus præsto fuit eodem Euangelico auxilio. At Romæ, si usquam alibi, salutaria eius uerba intonuere, dum ad Virginem de Vallicella uerba faceret. Ibi enim tum temporis introducto primum more sanctissimo, & frequentius

quoli-

quolibet profestò die agendi cum populo, & purius, familiariusq; disserendi mutatis per uices & statas horas concionatoribus diuersorum Ordinum: ipse cum paucis in eo dicendi genere excellere iudicatus est: atque ideo solus suggestũ in maiore ieiunio tenuit. Ibi diuinũ illum uirum Philippum Nerium nunc in apotheosim relatum dogmatis illius institorem non cognouit modo, sed & intimè excoluit uicissim ab eo sancta conuersatione exculcus, & efformatus tam sibi, quam reliquæ plebi fideli. Certè quo anno in Diuorum album is relatus est nos Rauennæ Seraphinum præ interna spiritus dulcedine longius ad rei nuncium illachrimantem, hæc & narrantem ipsa audiuimus citra sui ipsius commedationem, virosq; qui tum ibidem concionnbantur cum laude recensentem. Atq; hæc quidem ab ipso prodiere antequam Reipublicæ administrationem attingeret, vel saltem illa vix in limine salutata. In præambulis Prælaturæ gradibus se tantum hospes exercuit, transitu nempe quodam, & nusquam fixo pede. Neophitis aliquando instituendis operam dedit longè probatam, ijsdem logicalia Aristotelis interpraetatus est: nec alio ex capite diffutum hoc munus est post triennium, quam ne tubicen taceret tantus, & ne priuata commoda, etsi præclara, publicas distinerent vtilitates. Hinc meritis, & opportuna maturitate cumulatus in partem assumitur pastora lis solicitudinis per Comitia Rauennatensia anni septuagesimi septimi supra sesquimillesimum, eidemq; Portuensi Canoniæ præficitur. Iuuant tempora electionem alioqui difficilem. Quandoquidem Vicentini Patres cum ab Vitalis Mercati postrema eius Abbatiæ ressignatione, ac non ita multo post in territu subsecuto assumpsissent iterato eius regiminis habenas, quas pridem diutius fuerant moderati, atq; iam nouennes possessione starent; egrè submoueri patiebantur, & vulgo circumferrebatur illud, Turpius eijcitur, quam non admittitnr hospes, pugnabantq; permulta ad illos retinendos extima ab eis, & intima. Is annus secundus erat ab Epidimiæ morbo Italiam penè vniuersam diuexante: atq; ideo sicut præterita annua Synodus Romæ in templo Pacis coacta per solos septemdecim suffragatores ex Apostolico priuilegio fuerat celebratã Georgio Vedano Vercellense in Generalem Rectorem promoto; ita hæc, de qua agimus, Portuensis solos triginta quatuor enumerauit suffragium habentes, Prælatos vigintiquinque, nouem Collegiorum Procuratores. Quare satis opportunè accidit Cornelium Vicentinum ex Abbate Portuensi ad Visitatoratum assũmi Archangelo Rossio Bononiensi Supremo Moderatori Collegam cum alijs tribus assignatum; nam in minore numero præsentium candidatorum impræpeditior ascensus. Atq; hic quidem postremus Vicentinorum ab nobili gubernio exitus, ptima Seraphini accessio. Præcauerat autem (vt decuit virum solertem, & doctum) Generalis Vedanus futuram Patrum ius suffragij

fragij habentium paucitatem, & ne Senatus ſanctiones inualiditatis, aut forte & nullitatis accuſarentur, Litterarum Apoſtolicarum præſidio munitus acceſſit, quibus ſibi impertiebatur imperium cogendi Senatus ad placitum vel præueniendo, vel protrahendo, & per eos, qui intereſſe potuiſſent illum celebrandi, cæteraq; omnia pertractandi, ac perficiendi, quæ in pleno Capitulo tractari, atq; perfici conſueuerunt. Hinc adiere quiq; promoti Prouincias aſſignatas nemine contradicente. Præclarè ceſſerunt exordia hæc triennalia Seraphino, cuius merito, & nobili de ſe excitæ expectationi laus occinebatur ab recuperata (vt conciuium pleriq; dicebant) patria domo ex peregrinorum, quamuis illuſtrium, manibus. Verum ei ſpari exitui per quorundam intemperantiam ſubiacuere. Quamuis enim ad amuſſim promota fuerit regularis obſeruantia, reparata conſtantior diſciplina chori, morum, conuictus, egreſſionis, habitus, ſtudiorum ad minutiorem antiquorum imitationem, atq; inde odor optimus, fulgorq; coruſcus illuxerit in populo, non eadem tamen circa temporalium bonorum adminiſtrationem affuere. Siue enim inferiorum œconomorum incuria, & tantæ molis incapacitate, ſiue temporum infortunatorum iniuria, ſiue æmulatricis virulentiæ calumnia, vel demum clementisſimi Numinis permisſione res ex ſuprema ſpecula æternæ ſuæ prouidentiæ gubernantis, ipſe depoſita ad præſcriptum legum præfectura abacti peculatus, contractiq; grauis æris alieni inſimulatur. Interea forma regiminis vniuerſi ſiue publici, ſiue priuati poſt treſdecim menſes in Congregatione mutatur, introducta Prælatorum in gubernationibus perſeuerantia eorum vita durante, quam noſtri perpetuitatem dicunt. Siquidem celebrato Romæ conuentu, præſidenteq; in eo Marco Antonio Columna Cardinali Protectore ex Apoſtolico indulto Gregorij Tertijdecimi vniuerſa ſub anulo piſcatoris confirmantis Abbates, Præpoſiti, Archipresbyteri, cæteriq; Canoniarum moderatores, qui triennales tantum in officio ſtabant, decernuntur futuri perpetui hac vna adiecta conditione, vt triennio regiminis vnius Collegij expleto ad aliud transferantur, ne more Prelatorum fiduciariorum, quos Commendatarios nominant, dominia Monaſteriorum ſibi vindicare cenſerentur. Similiter Rector Generalis, & Collegæ Viſitatores, qui annuales tantum erant, & anno regiminis expleto in ordinem redigebantur, vſque ad integrum triennium ſunt prorogati: Sed & Capitulum Generale, quod ſingulis annis cogi conſueuerat, non niſi de triennio in triennium congregari debere inſtitutum eſt duobus annis intermedijs Congregatione decreta Rectoris Generalis, Viſitatorum, & Diffinitorum, quam nos Congregationem vſurpato vocabulo Dietam nuncupamus. In tanto igitur rerum innouatarum molimine, ac mole, alijs Portuenſi præfecturæ aſſumptis, Ambroſioq: Pordano præſertim viro neutiquam ignauo, & aliquando Ordinis Cancellario,

ac Theodosij Burlæ Placentini summo clauo sedentis à secretis penè oppressus Merlinus iacuit. Certè vndennis arcetur à gubernatione, & in ius postulatus prædictorum, quamuis ipse iudicij expeditionem omnifariè vrgeret sibi conscius, & innocentię fidens, per impotentiam tamen protrahitur causæ cognitio, & non nisi post longas remoras terminatur Iustiniano de Lucchis Vicentino cauillorum, & litium perperam indictarum dissipatore solertissimo terminationem legitimè extorquente. Quare plenissimo calculo Seraphinus rectè,& ritè moderatus decernitur, & illius in tabulas scribitur absolutio. Cæteroqui bene cessit virtuti proprię innixo viro ea vacatio, & eius diuturnitas. Prioratum enim agens rusticanum Diuę Margharitę in agro Ferrariensi penes Oppidum Portus Maioris, reparato seruore,composuit se per biennium ad interiora spiritus innouati, & ad exteriora suggestuum repetitorum. Inde nouam orsus in Euangelio circumferendo expeditionem, docuit posteritatem omnia tempora esse æqualia, semperue frugifera mentibus nequaquam per otium torpentibus, nec illi deesse occasionem meriti, ac gloriosi laboris, qui plusquam vni aptus esset rerum gerendarum generi. Ea propter dissipatis oppositionum, ac suspicionum nebulis penes electorum pectora mittitur iterato ad Portuensem Academiam gubernandam. Promotores integerrimos habuit Camillum Becium Casalensem Generalem Rectorem, & Antonium Miserocam Rauennatem eius virtuti propensissimos; quorum alter per eius anni noni de sesquimillesimo Generalem Conuentum Cremonæ coactum dilata ad vsq; sexenium potestate per Apostolicum diploma in officio fuerat confirmatus, alter ex Abbate Portuensi inter Censores assumptus. Ab secundo hoc accessu viri ad Reipublicæ partes, & iura pertractanda lubet initia promere summæ auctoritatis ab illo pedetentim aquisitę, perq; summos imperij actus,& verè salutares exercitę. Nam plusquam triginta annorum spacio protractus in longum seniū,ac semper in modum florentis iuuentæ præuali dum(si duos vel tres ānos excipias in quibus volūtarius,& exorans vacauit) Prelaturas iuges hinc inde exercuit. Ab Rauennatibus ad Imolenses Præpositus Diui Iuliani transfertur: inde auuocatur ex speciali mandato Clemētis Octaui Summi Pōtificis in Vrbē Ordinis Procurator,& almę Virginis de Pace Abbas. Quandoquidem anno secundo Theodosij Rouescalæ Papiensis Congregationem moderātis ad pedes summi Hierarcæ defertur,ac depromitur, nationes nonnullas potentiores,& præualidas,& virorum numero,& virtute curati ab antiquo tempore regiminis, prefecturas Ordinis, & Canoniarum inter se fuisse partitas, atq; distributas in latum pręiudiciū patriarum minoris notę,quarū nec admittebantur ad habitū idonei deprecatores, nisi perrarò,nec promoueban tur admissi,quamuis alias suffulti merito, ne ab inueterata possessione tur barētur. Hinc Clemens demādat Michaeli Bonello

Alexan-

Alexandrino, Antonio Mariæ Saluiato, Camillo Burghesio, & Pompeo Arigonio Purpurati Senatus Patribus, vt de veritate oblati negotij inquirant, & examinent, ac sibi referant: prædictisq; relatioribus cognoscit Vicentinos, Veronenses, Placentinos, Mediolanenses, Brixienses, Cremonenses, aliosq; nonnullos actualiter tunc quamplures moderari Canonias longè, lateq; ab eorum natali solo dissitas, exclusis Lucensibus, Mantuanis, Parmensibus, Ianuensibus, Neapolitanis, Alexandrinis, alijsq; Status Ecclesiastici, inter quos viri pietate, doctrina, religionis zelo, ac alijs regularibus virtutibus præstantes reperiebantur. Quare pro muneris debito de Apostolicæ potestatis plenitudine narratam diuisionem, & distributionem Prelaturarum inter prædictas nationes perpetuo reuocans, nullitatiq; supponens, de cętero illas personis quarumcunq; nationum, habita ratione meritorum cuiusq;, conferri, & assignari debere declarauit, ac statuit. Insuper Rectori Generali in virtute sanctę obedientię, ac sub indignationi suę pœna; nec non priuationis dignitatum, & vocis actiuę, & passiuæ eo ipso incurrendis præcepit, vt in Dieta proximè habenda literas talis decreti anulo piscatorio signatas solemniter publicaret, & immediatè Abbates, Prępositos, cęterosq; Pręlatos omnes reuocaret, & deponeret, atq; à Pręlaturis omninò absolueret: deinde alios assumeret, & institueret omnium, & singularum nationum prout idoneos ipse iudicaret, sine vlla limitatione. Quod & postmodum ad amussim in eo conuentu pręstitum est. Hæc illa Dieta est, quam nos tantopere per ora nostrorum hominum de illius effectu hinc inde differentium volitantem sępè sępius audiuimus, cuiusue perpetua erit, & semper sonans toto in Ordine recordatio. Quãdoquidem absolutis à perpetuo gubernãdi munere duobus de triginta viris alioqui claris, & præpotentibus, alij ad infulas adhuc perpetuas substituti sunt ex minorum nationum numero; atq; hinc iustitia distributiua introducta ad subtiliorem lancem, donec idonea vigeat virtus, in promouendis ex qualibet natione indifferenter. Ab hoc igitur tanto conuentu in Abbatem, & Oratorem penes Apostolicum pro Vniuerso Instituto Merlinus inauguratur substitutus Vrbano Cremonensi, & biennis locum pro sua, communiq; dignitate tenuit. Plura, de more ęrumnosi non minus, quam pręclari muneris, prę manibus habuit, eaq; digna ope calami ad posteritatem instituendam. Sed iam elogio pręstolari expedit. Lubeat tamen ad eius animi compositionem detegendam, adque insinuandum quantopere paci cordis insisteret, illud vnum attigisse, quod latius prosequitur Serenius. Augustinus Doria Augustinianus Eremita Theologus ex Leonardo Benalio Reformatorum altero sibi necessitudine coniunctissimo opportunè hauserat nonnulla Ordinis Canonici dignitati per quam accommoda ad continendum intra Patrum terminos circa integri habitus Canonici irrepentem vsurpatio-

tionem Canonicos Regulares Sancti Saluatoris de Bononia. Quoniam verò peramicè vtebatur vbiq; nostrorum consuetudine, Procuratorem Merlinum rem totam docuit in hanc Reformatoris affirmationem terminantem, Si Patres Sanctæ Mariæ de Pace institerint, iam Sacræ Congregationi consilium incidit, non solū istis (nempe Sancti Saluatoris de Bononia) interdicere à contrahenda patientia, sed albū quoq; pileū scapularis caputio consimile deferendū pręcipere, quemadmodū vsu receptū Carmelitis de Congregatione Mantuæ, quo à cæteris eius Ordinis secernūtur. Huic autem Reformatorum propēsioni spontaneæ subiunxit Doria ex animo suo quid facto opus esset. At Seraphinus actis viro cordato gratijs, vicissimq; communicato illud idem se ex altero Reformatore Hieronymo Agucchio accepisse, subiunxit nil sibi curæ de aliorum habitu, vel incessu, qui ab inita senectute sibi proposuisset rerum suarum satagere, seduloq; rimari philosophicum præceptum, Attende tibi. Quin cum familiarissimè vteretur Procuratore eorundem Canonicorum feruentissimi ingenij viro, rem illi ita aperuit, vt ab huiuscemodi periculo sibi cauentes postmodum exorarint. Adsunt post hæc Comitia Generalia Rauennæ indicta, à quibus Censorea potestate donatur post longas, satisq; dubias promotionis discusfiones, quod pluribus Pręlatorum visum esset, illum abusum esse Procuratoris Generalis potestate, excesfisseq; facultatem sui Magistratus, & iura, qui inconsulto Ordine, & absq; legitimo mandato prout oportuerat, sugesfisset per Reformatores Pontifici vt Coradum Tartarinum Episcopum Foroliuiensem iuberet Apostolicum præsidem adesse coacto Conuentui. Ab initio Pontificatu Clemens, vt totis animi votis reformationem omnium, & quorumcunq; Ordinum Regularium peroptabat, Congregationem quandam erexerat, seu Magistratum aliquorum Prælatorum sæcularium (Reformationem illam, eosq; Reformatores postea appellauere tempora) quorum ope, ac ministerio ad primęua instituta quique reuocarentur. Et ijs quidem valdè notus, satisq; probatus erat Merlinus, illosq; sæpè, sæpius adibat, siue ex muneris sui ratione, siue quod non ingratè audirent virum probum, & regularis disciplinæ instructissimum zelatorem, quem & quandoq; in consilio difficillimorum adhiberent. Hinc verosimilis valdè, fortiorue fiebat suspicio de eiusdem Præsidis accessu curato: & ideo qui ante ista promouendus primo loco in omnium opinione, & desiderio erat, vix quinta die vltimus Censorum renunciatur, dum summo labore, summisq; studijs, ac contentione Iacobus Ruellius Venetus Generalis desfignatus pro illius stat dignitate, dumq: Antonius Miseroca imminentem sibi magistratum in illum declinari valido veteris beneuolentiæ exemplo exorat. Pendente huiusmodi fluctuatione sibi inter nubeculas summussitationum nota angebatur Religioni infixas de se dubitationes, qui nihil omninò deliquisse scie-

bat

bat neq; facinori vel assensum præbuisse, quod nullo prorsus modo ad eius notitiam deuenisset. Declarauit postmodum proxima dies, ab Ascanio Donguidio Siculo viro ob zelum indiscretum rerum nouarum cupido seriem deputationis processisse, qui quodam capitulato plurium Congregationis abusuum Reformatores prouocasset quo tempore Merlinus ad instãtem Synodum Vrbe excesserat. Reformatores verò apud Pontificem in Tartarinum iere tanquam opportunè accommodum, qui per eos dies iussus fuerat præsidere Camaldulensium Capitulo in eadem Ciuitate Rauennæ. Per has nunc planas, & æquales, nunc asperas, & præruptas semitas sternebant Superi & Merlino aditum summo clauo, & Congregationi maturabant demolitionem introductæ pridem Perpetuitatis. Eodem quippe anno post congressum priuatum Arimini habitum ad Idus Septembrias, in quo euocatore Ruellio Generali ad grauissima negotia pertractanda conuenerant, debitum naturæ persoluentes Ascanius Martinengus Brixiensis, & Thodosius Rouescala Ticinensis Consulares, nec non Hieronymus Riccaldonus Casalensis, Frigdianusq; Burlamachius Lucẽsis Visitatores; Reipublicę necessariã magis reddidere Merlini experientiã, sedulamq; rerum cognitionem. Quin Ruellius etiam ipse Romã profectus ad peruincendam Clemẽtis Cicalæ Genuensis suffultam proteruiã inopinato interitu cedens fato post quartumdecimũ Magistratus mẽsem; Generalatus sedẽ amicissimo Seraphino reliquisse visus est: nã ex primo Visitatore ob prius suscepti habitus prę alijs Collegijs prærogatiuã illi sufficitur. In illo verò sufficiendo nec generale Capitulũ coactũ est, nec seruata forma Tridẽtini Concilij, sed obtẽto Apostolico assensu mos antiquus Congregationis seruatus est prę scriptus capite quartodecimo Secundæ Partis Constitutionum Cremonæ æditarum, cuius tenorem hic ad verbum reddemus, vt innotescat successoribus de legittimè antiquati iuris formula: Si, Deo permittente, Rector Generalis per tres menses ante Capitulum Generale decederet, ne tota Congregatio absq; suo capite maneat, successor eius eligatur hoc modo. Primo Visitator prouinciæ, in qua obierit per literas, seu fidos nuncios cæteris Visitatoribus, & omnibus Monasteriorum Patribus hoc significet, ad quos volumus in hoc casu tantum electionem Rectoris Generalis pertinere absq; consensu, vel voce reliquorum fratrum. Tunc vnusquisq; ipsorum in cedula clausa, atq; signata sigillo monasterij sui mittat nomen eius scriptum in forma electionis, quem ad tantum officium dignum esse iudicauerit. Omnium autem scriptis ad præfatos Visitatores simul congregatos præsentatis, scribant & ipsi in hac electione separatim voces suas. Postea adhibitis sibi duobus, vel tribus testibus ex numero fratrum, vbi fuerint, pronuncient electum Rectorem Generalem, qui plures voces in electione habuerit, etiam si solum in vna voce superauerit, ac etiam si vocum medietatem non habuerit. Hoc

igitur

igitur pacto Merlinus Generalis renunciatur omnium tamen ferè suffragantium assensu, quamuis tanta locorum intercapedine dissitorum. Ad biennium prouinciam tulit ea prudentia, quæ in molimine requiritur magnarum rerum ad optatam metam feliciter perducendarum. Quippe cum longa discussione hinc inde pugnantium rationum, nec non & certo ductu magigistræ rerum experientiæ sibi suasisset, introductam iam ab anno vigesimo Perpetuitatem Prælatorum in regimine Congregationi exitiosam esse, & tyrannidi (quod ipse dicebat) valdè propinquam; Reipublicæ se consulturum opportunè arbitratus est, si triennali gubernio illam restitueret. Quare lapidem omnem mouens, nilq; intentatum relinquens negotium in Vrbe digessit ex voto, ad Reformatorum aures cuncta referendo. Erant hi Antonius Seneca, Leonardus Benalius, Cæsar Mora, & Hieronymus Agucchius viri illustres, omnes quidem in illius virtutem notam animati, vnicè præsertim Augucchius, qui familiarissimè vtebatur illo ab eo vsq: tempore, quo se Gubernatore Merlinus euangelizabat Firmanis. Hinc per istorum ministerium munitus diplomate Pontificio, Prælatorum Congregationis tertia parte ressignata, in ordinemq: redacta, Perpetuitatem aboleuit, antiquauit, & extinxit in Dieta Rauennæ habita anno secundo currentis huiusce sæculi. Arduum opus non omnes vndique comprobatores habuit partitis vtrinque studijs, vnum tamen zelum publicæ vtilitatis, & dignitatis præseferentibus, & adhuc sub iudice lis est, potior ne Perpetuitas, an Vacatio sit Ordini. Nos non semel viros clarissimos audiuimus diuersimodè sentientes, & scribentes Gabrielem Pennottum, & Basilium Serenium; quorum iste publico plebis scito statuam decernendam prędicabat Merlino, qui vindicasset in libertatem tot tantosq; viros, Religionemq; ipsam: ille verò notat exinde vim obedientiæ, & Prælatorum reuerentiam penitus eneruatam, & ferè extinctam, ac conculcatam. Certè calamo nostro manet subtilior discussio in aliud tempus. Cum primum summam pręfecturam ressignauit, Secundo in Vrbem mittitur Abbas, & Procurator Ordinis post Constantium Villanium Laudensem illi valdè coniunctum, totoq; triennio iura monasteriorum omnium tutatus est, vnum, & eundem spiritum cum Generali Dugnano indutus, à quo tamen circa finem gubernij, & in comitijs resignationis eorum diffidere cogitur studio publici commodi non eodem modo ab eis appræhensi. Iuit ipse primus in Petrum Bonsignorium Bononiensem ex Abbate Sancti Ioannis in monte Generalem acclamatum: quo tempore, vt legem pateretur, quam promulgari curauerat, ante alios absolui ab omni regimine voluit, Ariminensemq; sibi secessum elegit desecando animo, quietiue religiosæ peridoneum. Verum tantus cum esset, diù sibi soli non est permissus, sed post annum reuocatur ad Portuenses moderandos, ac intra paucos menses summo etiam clauo restitui-

restituitur ob decessum Bonsignorij Generalis. Nam Archangelus Campatius Mediolanensis in Vrbe Generalem Procuratorem agens egit enixè, & obtinuit, vt Vicarius Generalis Apostolicus dato diplomate assumeretur. Erat Campatius summo necessitudinis vinculo coniunctissimus Seraphino, vtpotè ab eodem exaltatus ad publica ministeria, & excultus ad omnem ciuilem, religiosamq; facultatem, & illi vicissim ipse impensè fauerat, præsertim cum Generali Dugnano à secretis esset; ideo profusè in eo reponendo summi magistratus consessui incubuit. Nec se iniurium Ordini futurum credidit, qui reparandis per latam Bonsignorij benignitatem irreptis virum seuerioris disciplinæ, acriq; zeli substitueret Protectori purpurato, vniuersæq; aulæ non minus probatum, quam notum. Gessit Apostolicum Vicariatum ad sesquiannum, in quo Pontificium Statutum exorauit publicarum Congregationis contributionum (quod nostri Bullam Compartiti dicunt) vt per æs, & libram discusso censu, quid cuiq; Collegio oneris ferendum constaret, Cōmissariæq; Sixti Quinti mens impleretur. Deinde per Comitia Rauennatensia Flaminio Plato Cardinali Protectore Præsidente, instituto successore eodem Campatio, Rauennatensium suorum habenas reassumit, in quibus exercendis triennis perseuerat, & illis resignatis de more, Tertio Abbas Generalis renunciatur seposito præ alijs Hyppolito Ottofredo Bononiense, in quem plurimorum studia, & eiusdem Merlini impetus aliquando iere. Postremum hoc eius primæ sedis regimen decoratur accessione Canoniæ Minaciensis ad lacum Larium, qui maximè assensum præstiterit Celso Dugnano promotori circa conditiones, etsi non spernendas, alioqui tamen difficiles. Poponuntur etiam pro prima vice Cōstitutiones Ordinis Synodo corrigendæ, quæ ante Concilium Tridentinum æditę limam exposcerent subtiliorem nouo iuri, postremisq; temporibus accommodam. Exacto maioris officij imperio reponitur Abbatiæ Portuensi, eiusq; iura per iuge sexennium iuuat confirmatus cum paucis ad prescriptum legis bullæ Compartiti, illis fauorabile, de quorum proba administratione constaret, quorum florentes operationes Canonijs proficuæ laudarentur. Atque hoc tempore impetitur lite difficillima, & per quam graui à Classensibus Monacis, quorum nonnulli administri fraudulentissimè seduli, iniussu, & fortè inscijs moderatoribus, ad praua cogitata suadenda, ac fermè conuincenda clanculum amotis antiquis terminis, & hinc inde effossa humo, dispersis, opportunèq; dispositis; Possessiones vniuersas, ipsumq; Portum de foris, fructusq; decursos, & per tot sæcula exactos ad ingentem millium aureorum summam sibi adiudicari postulabant ciuiliter. Insuper per non minus detestabilem versutiam imposito crimine cōfinium turbatorum criminaliter quoque Portuenses exagitabant. Arduum omninò negotium, ac per coniecturas probabiles aduersariorum sub initio

proce-

procedens non perculit moderanti Merlino pectora, sed aliquando ad ipsas vsque desperationes adegit timore dignitatis communis pariter, ac substantiæ per summam iniuriam amittendæ. Vnde & frequens, quæreretur, se infelicissimè extremo senio reseruatum, vt videret se Rectore nobilissimam quondam Ecclesiam, perdiuitemq; Patrum hæreditatem amissam, & in alienos nequiter declinantem. Placuit tamen iustissimo Numini, Virginiq; Deiparę, cor, ac mentem dilatare, illuminareq; Gabrielli Brusio tunc Procuratorem agenti, vt nil intentatum relinquens, scripturas antiquas solus euoluens, inuocatisq; diuinis, ac humanis auxilijs, & se totum prouocatum, lacessitum ad æquissimam patientiæ, prudentiæue lancem componens tandem ex lumine subnubilo in serenissimam lucem deuenerit, imposturas detexerit, ac non modo crimina coram iudicibus, & vniuersa Ciuitate diluerit, sed etiam in nequissimos auctores retorserit, reiecerit: ita Seraphinus obiturum iam se lætè in Domino prędicaret. Deposita demum gubernationis sarcina, iamq; mortem proximam præsentiens totus per aliquot mēses futurę se vitę composuit, & qui pridē tentari stillicidio cęperat, eodem quoq; sensim resolutus est. Plenus dierum emigrauit sacris quibusq; deuotissimè munitus Ludouecio Pompilo Rauennate Abbate Anno Domini 1622 die sextadecima Iunij. Postremæ vnctioni & interfuit, & coniuncta manu inter adstantes Canonicos præfuit Alexander Vrsinus Cardinalis Æmiliæ Legatus, & Ordinis Protector innocentissimus, iuuitq; & benedictione, & præsentissima prece exremam animam exhalantem ad pia resignatissimi senis ædificationis exempla. Tumulatur ad medium chori in sepulchro ab se egregiè excitato de subterranea illa lata concameratione. Laudatur oratione funebri penes vniuersam Ciuitatem ad parentalia decoranda confluxam ab Dominico Valeriano Præsbytero Rauennate viro erudito, & noto. Decedit ætatis octuagesimo sexto vigesimo secundo currentis sæculi prospera fermè semper vsus valetudine, robustaq; membrorum compage ad perferendos labores, & multorum itinerum, & varij climatis, & iugis regularis obseruantiæ aptissima, quam diutina firmauit sobrietate Nos dum Rauennæ Sacram Theologiam ipso Abbate profiteremur, sæpius admirati sumus strenuum senem propè octuagenarium bis in hebdomada supra communem feriam sextam ieiunantem iucundum, & rubicundum, atq; succosi humoris plenum. Tenax quam maximè fuit antiquorum institutorum, veterumq; morum custos acerrimus, sylentij, tonsuræ, refectionis communis, habitus, cæterorumq; huiusmodi. Circa cultum Ecclesiarum, & sacram, quam dicunt, psalmodiam morosus, altus, compositus, & deuotionis plenus, suosq; Canonicos toto nisu tales efformatos volebat. Nobis per eum aliquando contigit priuato quidem, sed perferuido sermone acrius increpari, quia clericale biretum priusquam cęteri

suppo-

ſuppoſita papyro erexerimus de mente Abbatis Generalis certiores facti. Ad communem ignis calefactionem verno tempore dubitationes, quæſitaue proponebat iugiter ex currentibus Euangelijs, vel ex alijs Sacræ Scripturæ locis, omniumq; ac ſingulorum exigebat interpretationes, ac reſponſiones ſiue iuniorum, ſiue iam emeritorum ſummo quidem cum fructu, & in cuiuſdam Eccleſiaſticæ Academiæ ſpecimen. Ad quam exercitationem certo ſcimus aliquoties conuenisse, vberiuſq; illam commendaſſe Petrum Aldobrandinum Cardinalem Archiepiſcopum, dum in bacanalibus receſſum Portuenſem ſibi reponeret. Quolibet dominico die infallibiliter exhortationes capitulares habebat in multam horam, omneſq; animabat, erigebat, corripiebat, ſolabatur iuxtà rerum, ac temporum exigentiam, etiam ſi minus ſeueris quandoque importunè alloquens videretur. Rauennates ſuos prouexit pro virili, itaut quandoque quinque, vel ſex Ordinis Canonijs ius redderent vno, & eodem anno. Illi tamen cum Hieronymum Onofrium Fanenſem Abbatem Portuenſem renunciatum videre, amaritudine ſe intimè contaminatos demõſtrauere per querimonias acres, & per vniformia ſtudia. Sed diligebat Seraphinus Onofrium corde illo, qui vniuerſa temneret, & qui artem arte deluderet. Tribus iſtis impensè fauit in regimine Reipublicæ Archangelo Campatio, Hieronymo Onofrio, & Iuſtiniano de Lucchis, quorum primus ſupremam præfecturam attigit, proximèq; ſucceſſit, alter Viſitator per ſex annos, poſtremus deceſſit Abbas Vincentiæ: dignaq; eorũ cognita virtus, ac illuſtre meritum erant quæ legittimè promouerentur. Diuerſo tamen tempore rumorem circumlatum dicunt, duos illorũ ab ſene benemerito deflexiſſe, cum Campatius Generalis de illo omnimodè cum alijs pleriſq; procerum deponendo Romæ obtinuiſſet, & hoc repertum in ſcripturis poſt obitum eius Florentiæ narrant: Onophrius verò Inſulanus Abbas renunciatus ſatis contradixiſſe, pleraq; pro Rauennatibus proponenti, quem nimio ſenio confectum rapi à ſuis in diuerſa arbitraretur, & prædicaret. Verum hæc incertæ fidei credimus, qui alioqui Fanenſem virum inclytum, & ciuilem experimento cognouimus domeſtico, ac diuturno. Quin multiformiter Portuenſi Canoniæ iuuiſſe conſtat anditu, & ſacriſtia amplè ædificatis, cantorijs ad presbyterium erectis, alijſue pluribus ad loca foranea reſtauranda. Ac mirũ profectò fuit tantũ Seraphino probatum, qui genio diſpar eſſet. Ille enim omnem tumultum, ac ſtrepitum cautus ſuaptè natura auerſabatur, vnde & fabricis, alijſq; ſimilibus decoris magnifici parum aptus erat: Onofrius verò ſemper quid noui conſtruẽdi præ manibus habebat, ſacris etiam drammatibus repræſentandis per iuniores canonicos præualidè propenſus, quæ & ſemper ad confluentem ciuitatem, & clariſſimos proceres, ac principes nobiliſſimo exhibebat apparatu, egregia cum theatri laude, & ſummo cum orcheſtræ bono, vt de Iephte, de Iu-

de Iudith, alijsq; actitatum audiuimus, & de Thaide cōuersa vidimus. Quod si aliqua remanent posteritati Merlino moderatore erecta, puta ornatus Sacrarij, Tholus, vel Absida, altariaq; duo ex marmore tecto excita, ea vel ipso Onofrio cura ore, vel al js domesticorū impulsoribus absoluta sunt. Idem est & de arithmeticę notitia illa, quę exigitur in Collegiorum moderatoribus, qui nihil artis possideret, sed ab administrorum penderet seruitio, quos fortunatè assequebatur opportunos, & addictissimos. Postremū ex illustrioribus, & publicis ęquitatis, quam gerebat in pectore, exemplū colligipotest ex Pontificia illa sanctione, quam Turni legē crasso vocabulo dicimus. Cum enim de anno millesimo sexcentesimo sexto assensisset Procuratori Cāpatio distributionem Congregationis in quinque Prouincias apud Apostolicum exoranti, vt votorum æqualitas quępiam in Definitorio constitueretur; post nouem annos Abbas Generalis conuenit etiam cum Petro Francisco Maletto Procuratore Generali sedem Supremi Magistratus per girum ducendā supplicanti, vt singulo triennio quęlibet quinque prouinciarum exornaretur ad iustitiam distributiuam de integro conseruandam. Cum verò in expeditione Breuis piscatorij series circuitus, ac ordinis seruādi reponenda esset, qui secundo, vel tertio loco Ecclesiasticam prouinciam suggerere, ac de facili obtinere poterat recensendam; maluit illam relinqui postremam, atq; se propediem resignandum, tanquam si ex eadem lege Generalis fuisset creatus pro iam assecuto numerari. Atq; hoc quidem ille pro animi sui integritate. Quid verò sentiendum sit de fructibus dictarum sanctionum, & vtrum militent aduersus vnitatē Cogregationis, vtrumue sint contra fundamentalia eius leges & instituta, vt aliqui definiere, non est præsentis loci, & indaginis. Scripsit tantus vir inter assiduas publici ministerij curas.

*Epistolarum Pastoralium diuersis temporibus ad varios directas Librum vnum, qui adhuc manuscriptus seruatur.*

Basilij Serenij Mediolanensis.

*O' Tu, qui totus Christi succensus amore,*
*Inflammare alios iam Seraphine solebas,*
*Postula nunc nobis diuina incendia Patris*
*O' quantus sacri pectoris ardor erit;*
*Hinc velut è Cæli splendoribus emicet ignis,*
*Ad purum scoriam, quo possit excutere.*
*Sed cælestis amor cum vrit refrigerat vna,*
*Vt liceat medio carpere ab igne rosas.*
*Nunc ora, nam fies ardentior, ingneus vres*
*Nunc alios melius, nunc Seraphinus eris.*

SE-

# SERAPHINVS DE PASTIS ROMANVS.



VO tempore Octauus Clemens octodecim clarissimos ex toto Orbe Christiano viros ad purpuram Cardineam extollebat postrema sui Pontificatus promotione recessit ab Vrbe Seraphinus de Pastis adolescens annorum quindecim, vt abderet se in almæ Crucis secessu Cæsenate penes Regulares Canonicos; Crucem scilicet Domini sui vexillum insigne inter alienos fulgores quãtumuis speciosissimos meditans, & abiectionem in Domo Dei sui sibi præponens obiectum exigendæ vitę. Seraphinus Merlinus Rauennas Ordinis Orator in curia, & Sacratissimę Virginis de Pace Abbas exoranti, multipliciq; tentamento probato Rochettum obtinuerat ex Ariminensis Dietæ decreto. Aurelium Riccium Imolensem Visitatorem (cuius anima in benedictione sit) virum integerrimum eam Canoniam pręsentia exemplo, & directionibus roborantem pre nouiter assumpto Abbate acceptorem habuit humanissimum: Cura verò eformandi noui tyronis penes Ioannem Raphaelium Lucensem fuit ab Prioratu Portuensi ad id muneris laboriosi destinatum. Numerum Apostolici chori impleuere qui post eum aduenerunt cum ijs, qui præcesserant iuuenes, inter quos non interuallo diuturniore aurora illa promicauit, quæ solem vtique splendidum, & radijs vndique effulgentem occineret ad diei mediam progressum. Vtique in publicum Congregationis bonum ex tyrocinio illo assurrexere ad inclyta præ cæteris Celsus Gratiolus Anconitanus, Clemensq; Giordanus Romanus, laude verò uerbi Seraphinus anteuertit omnes. Prorsus in eo clarum apparuit quod iugis experientia, consonaq; ratio suadent, quanti nempè prosit accedenti ad nostros instructa gerere pectora artibus illis, quæ maiorum scientiarum quædam veluti prolusiones esse solent. Hercule Monaldino Abbatiam Portuensem moderante is cum potioribus condiscipulis eo transmittitur Philosophicis initiandi sub Augustino Ventura Astense professore eximio; atq; inde Patauium. Quinquennis incola Vniuersitatis eius potioribus Ordinis magistris operam dedit, atq; potiores item comprofitentes iuuenes æmulo labore virtutem concoquente expertus est: illis quidem, Gabriele Pennotto, & Michaele Angelo Parpaglioneo Nouariensibus, atq; Hono-

rato Roberto Neapolitano, hos verò, Ioannem Marium Collucciumi Firmanum, Celsumq; Brunettum Vrbinatem, & alios non paucos. Hos verò duos habuit etiam concathedrantes in Dieta Vicentina, cum obsignaturi studiorum curriculum publicas de more theses disputandas euulgassentt. Iosephus Viuolus Rauennas ad Sanctum Marinum Arimini Præfectus statim ab Conuentu illo Dialectices scholam illi apud se dirigendam dedit, qui impensè fauens enascenti virtuti in iuuene & antea, & tunc complanabat iter ad plusquam communia. Sed aliò abripti se per genium sentiens, exacto anno scholæ nuncium dedit, vt in verbi fractione totas laxaret animi fibras. Præter assueta priuatorum larium experimenta, & ea studiosè adhuc, frequentiusue per Prælatos iussa, periculum nobile sui fecerat in Diuæ Virginis de Charitate apud Venetos, cum vix Leuita etiamnum Patauinum incudem desudaret. Impellentibus enim Cecilio de Cauanis, & Vincentio de Gonzaghis eius Canoniæ primioribus, nonnullos habuit pomeridianos sermones ad dies immissionis Spiritus Sancti exceptos ab corona amicorum procerum, & confluentis populi cum alacritate, atque plausu admirabundis super adolescente, & facundo, & plurisćio. Hinc ergo erectus, & experrectus pedem, linguamue latè proferre ad populos. Martyr Babila Mediolani ædes dedit primum quadragesimæ curriculum peragenti sub anno tertiodecimo huius sæculi, deinde Diui Leo Venetiarum, Frigdianus Lucensium, Catheruus Tolentinatum, Venantius Camertum, Præcursor Anconitanorum, Euangelista Bononiensium. In maiora templa dicentem per illud idem sacrum ieiunium conuenere Ripenses in Piceno, Pratenses in Tuscia, Venafrenses in Campania, Alexandrini in Insubria, Cęsenates in Æmilia, Spoletani, Rauennates, Beneuentani, Bergomates, Firmani, Cremenses, Reatini, atq; alij hinc inde. Vegetem vbique celebritatem occupabat, quæ accueret spiritus ad perferendum labores, & ad non despondendum animos, si quando in idem stadium proludentes inuenisset primi nominis præcones. Cæsenæ quidem Ripam ex Minoritan orum familia præclarum Oratorem in sui Ordinis nobili templo, diuiteq; suggestu negotium sibi facientem, neque tamen coronam minuentem, sustinuit egregiè; atq; sub vltima concione Salicis cuiusdam vmbram irrisit, quod pingui sacerdotio notus iugiter sollicitasset frangere auditorum accessus ad se, vt illos alteri conciliaret. Lepidè, præsse tamen, in id deprompsit thema ex loco Psaltis, Super flumina Babilonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion, In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Sed multo plura sunt istiusmodi ab eo aut dicta, aut facta, quam quæ hic prosequi latius debeamus. Testes adhuc sunt populi Perusini, Æsculani, Narnienses, Laudenses, Beneuentani, e quorum siue Episcopijs, siue Archiepiscopijs intonuit tuba salutaris ad aures non minus cordis,

quam

quam corporis: testes ad eloquentiam maximè nati Veneti, cum ad Diuæ Mariæ Formosæ indefessus ipse bis quolibet die festo è suggestu dicens per longam anni integri periodum, indefessos quoq; ita illos ad se audiendum reddiderit, vt & longam Sancti Paschatis quadragenariam vigiliam habere pariter eodem modo fuerit penè coactus: testes Mantuani ab insigni Basilica Apostoli cruci per transuersum suffixi, à qua pendendo per biduum docuisse Acaiam scimus. Porrò precedere attestato suo æquum est tot, tantisq; hisce virtutum eximij preconis attestationibus natiuitatis eius vrbem, vrbem orbis vniuersi dominam, vrbem Romam, quam in grati animi sui tesseram excoluisse, cuiusq; spiritalibus commodis per septennium insudasse honorificum fuit, Moralem Theologiam, quam conscientiæ casus appellant exponendo ad almę Pacis ædes præclaro Clericorum cuiusuis Ordinis, quin & Laicorum accessu, & fructu. Habuit etiam ibidem ad Sacratissimam de Planctu, item & ad Imperialem de Anima bina maioris ieiunij stadia gloriosa. Tantus autem desudans in albam Domini messem inuenit liberalia ab sua Congregatione præmia, & illa non diutius excupita. Quippe in ea Synodo, ex qua dictus est Abbas Generalis Policarpus Capellus Casalensis, ipse quoq; Pastius dictus est Prælatus perpetuus, priuilegioq; ad id insigni munitus, primo quidem ab Nouemuiris, horum Scriptore promotore, dehinc ab Conuentu vniuerso. Alij eodem Senatu iudicante eadem ipsa ornamenta obtinuere quidem; sed de Carandino, Serenio, Pastioq; sancitum est ęquius: titubare aliquando reliqui, quod de gratia illos deturbare, deijcereq; ageretur: stetere tamen, ne pernicioso exemplo quę semel placuissent vni Synodo, alia posterior infringeret, aliqua quamuis extante ratione. Prędter eam, quam ex predicatione sortiebatur commendationem, alia adhuc illi obtingebat ex gubernationis dono, cum ad Pręfecturas Ordinis assumptus de illis bene se meruisse explicasset. Subditos facilè continet, qui normam in se exprimit agendorum, & de cuius virtutibus non nisi probam gerant opinionem ex tenore anteactę vitę genitam. Virginis Lachrymarum, Ansani, Catherinęq;, & Iuliani martyrum cęnobia Prępositus, Abbasue moderatus est inter Spoletanos, Firmanos, Imolenses, & Trebianos. Secundo Firmanis vixit, vt diruenti Monasterio iuuaret industria, opemq; talento feret. Angelum habuit secum nepotem disciplinę suę alumnum, adolescentem probum, & benè cordatum, de quo digna expectamus secundum maturitatem. Laborat adhuc Seraphinus in Euangelio, lucubrationesq; colit se auctore dignas. Præest Imolensibus ad Sanctum Iulianum. Habemus nunc tantum ex illius penu

*Orationem in funere Alexandri Vrsini Cardinalis Ordinis Protectoris habitam Bononiæ in Comitijs Generalibus ad Sanctum Ioannem in Monte Paulo Vrsino*

*ſino Brachiani Duci nuncupatam. Bononiæ apud Hieronymum Maſcharonium Anno Domini* 1627.

Alteram quoq; Orationem à ſupradicta diuerſam Romę habuit in eiundem Cardinalis funere in templo Pacis habito, ex qua latum facundiæ illius argumentum deſumitur. Hæc cum alijs quatuor in eadem vrbe habitæ, ſed diuerſis in templis coram pluribus Eminentiſsimis propè diem lucem viſuræ ſunt.

*De Diuo Philippo Nerio Congregationis inclytæ Oratorij Sanctiſsimo Inſtitutore.*
*De Beato Philippo Benitio Seruorum Beatæ Virginis primario Duce.*
*De Sancta Virgine Thereſa Diſcalceatorum Carmelitarum Inſtitutrice.*
*In Funere Illuſtriſsimi, & Reuerendiſsimi Benigni Archiepiſcopi Theſalonicenſis, cuius pijſsima liberalitate Canonia Sanctæ Mariæ de Pace heres ex aſſe eius bonorum, ac bibliothecæ inſtituta fuit.*

Incerti

*Anagramma*

Seraphim Paſtius
Hem rapis vt Apis.

*EXugens varios flores Apis Attica Vere*
*Efficit hinc proprij nobile mellis opus.*
*Tu Seraphim flores ſacrorum verba virorum*
*Surgens eloquij mel facis inde tui.*
*Ergò mentiri nequeunt tua nomina: namq;*
*Hem quod ſic eſt Apis, Præſul, & ipſe rapis.*

Ioannis Macrini Imolenſis.

ODE

*CVrſum percelleris carmine turbinis*
*Spirantem Boream, præcipites Notos*
*Ventorumq; animas, vel*
*Freno continuit lyræ*
*Orpheus: indomitas Tygrides, ac Lupos*
*Iuſsit frena pati: nec timuit Lepus*
*Se Vrſorum metuendis*
*Rictu credere, & vnguibus.*

Quin

Quin cantu valuit frangere Tartara
Et plectri modulis, arteq; barbiti
Deuicto redit Orco
Chara coniuge ditior.
Sed quis te Seraphim comparat Orpheo,
Qui fons eloquij es, vel Charitum melos,
Et linguæ Italicæ mel
Dignum laude superstite.
Tu non iam Tygrides indomitum genus
Vrges, sed latio pectine liuida
Mulces pectora, & vrges
Verbo vindice ad æthera.
Tu Pasti celerem carmine fluminum
Vel cursum cohibes, compede cum ligas
Mentem, quæ ad scelus alto
Fertur flumine pronior.
Orcum non aperis: claudere conscius
Infelix iter ad Tartareos Canes,
Seu Cælum indigitet, seu
Ditem lingua coerceat.
I Pasti: Fidicen flectere nescijt
Bacchantum furias: Tu melioribus
Vel plectris modulatus
Vicisti ebria crimina.
Victori vireat laurea vertice,
Vicisti Zephyros, flumina tartara,
Et cunctis magè dirum
Nostri pectoris impetum.



# SERAPH DE TORRESINIS BONONIENSIS.



VID de te porrò, ò Torresine Seraphim, sub aridiore calamo sitibundis propinabo nepotibus, qui per profundam tui despicientiam nil ab sęculo mutuatum voluisti? Non quæ in terris, sed quæ in cælo ęgisti exaranda venirent; si menti hæc dictanti ad regiones illas nobilis pateret accessus, ab quarum incolatu spiritus tuus ne per momenta quidem digrediebatur. Tu Seraph operę æquius, quam nomine, ardore ditabaris viuifico, lumine rutilabas inextinguibili. Verè Christi Charitas vrsit te, perfecit, impleuit. Non lingua, non calamo quidpiam sapere; quam Christum demonstrasti, & hunc proximorum, populorum, mundi Saluatorem. Declinant quandoq; qui scribunt, qui dicunt quamplures omnes alij ad alia, siue ex rerum varietate delectabili, siue ex spiritus teneritudine; tu tenax ardoris Seraphici ore, manu Deum in proximis, proximos in Deo obiectum tenuisti. Qui ab sugestu te, qui diuina nunc legentes Opuscula tua te magistrum amandi Numinis profitentur, id mente perceperunt, id manu quodammodo sentiunt. Non autem sit qui ad huiuscemodi perfectionis apicem breuiter illum autumet peruenisse. Nemo quippe repentè fit summus. Non ex naturæ probæ talentis, non ex hominum arte (quæ tamen sensim & ipsę proficiunt) culmen id pendet, sed ex gratię tuæ munere, Deus, quæ licet non funibus implexa temporis; suaui tamen opera sua solet cunctatione perficere; vnde & de vnigenito tuo ab primo conceptionis instanti omnis gratiæ, et veritatis pleno exaratum voluisti, quod proficiebat ętate, et sapientia coram Deo, et hominibus. Ab die natali ad supremam obitus horam supra septem annorum decades hic dimensus est, quarum sextam penè partem Canonicæ vitæ votis obstrictam habuit: longum profectò, angustumq; stadium, & paucis comeabile. Totum verò illud in se ritè componendo desudauit, adeò perfectionem suspiciens religosam, ac si ex incipientium tyronum numero vnus quidam esset, non triarius, ac veteranus. Victus sobrietas, vigiliarum assiduitas in naturam deriuatæ, somni, cibi, potusq; fermè expertem cominiscebantur eum, atque inde iugis illa promanabat oratio, qua mentis, qua vocis in cuius sinu se totum abdere satagebat. Sola proximorum iuuandorum causa

extorrem

extorrem illum ab ea facere videbatur extimè, dum vel purgaret corda Omologesi, vel nutriet Synaxi sacris. Sed & hæc oratio. Venetijs, Patauij, Bononiæ hisce officijs inerat quamqui maximè, apudq; populos illo solo Patris nomine audiebat, & dignoscebatur. Ab tertia ad quintam decadem ætatis declamauit in vitia acriter ex pulpito, facundia quidem conspicuus, sed multo acceptior innocentia vitæ, quam vt facies ipsa, aspectusq; primus promittebant, sic & postmodum mores pręstantissimi exhibebant vberrime. O animi candor. Non semel vno hoc illicio peccatores attraxit ab suggestu ad cellam, & ad sellam, ab consultatione ad purgationem, & per hanc ad euomendum animæ virus. Cæli talenta sunt data gratis, vel & ipsius gratiæ latentis in pectore, seq; diffundentis effecta. O semper suspiranda probitas. Erat cum Ecclesiasten ageret tanquam malleus conterens petras, cum propius curationem aggrederetur nil eo mitius, nil suauius, sed suauitate illa, quæ vinum, & oleum infunderet, nec absq; sale vulnera illigaret. O' verè veri assecla Samaritani: quin & de suo stabulum soluebat sæpissimè, pro curatis peccatoribus pœnas voluntarius assumens, proprijsq; luens in membris, quod aliena vix tulisset imbecillitas. Promiscuam audiebat plebem & libentius, & frequentius, vt docibilem magè, minusq; vt plurimum taminatam. Proceribus tamen studebat validiore conatu, qui cum sibi tanta dari cernerent, remq; salutis serius agi, confluebant, mirabantur, suspiciebant, deq; illo tanquam de oraculo sentiebant. Ab habenda concione per vires factus ineptior præcocius, quàm optasset, calamo dedit exercitia vocis, vt atramenta offerrent oculis, & illorũ ministerio mentibus quęcunq; auribus salutaria subducebantur. De alieno penu strauit primum, vt periculũ sui super irretractabili negotio faceret, humillimè scilicet semper de se ipso sentiens. De alieno quidẽ, sed ea referto dulcedine, quæ cælitibus propinatam suauitatem inchoatiuè referat: de alieno, per quod ipse ditescerat, & ab expertis in se alios quoq; ditandos speraret. Ioannis Lanspergij Carthusiani diuinissimi libros Pharetra Diuini Amoris inscriptos ex Latina in Italicam transtulit Linguam, quos dicauit Barbaro Aquileiensi Patriarchæ electo. Filios spiritus pinguescere satagebat, quorum cum aliqui teneriores essent, lacte materni idiomatis non solido cibo Latiæ linguæ nutrendos videbat: optabatq; populum omnem arma illa tractare, quæ & diuinum amorem in se, & se in diuinum amorem conciliarent, atq; perducerent. Transtulit autem non reddendo verbum ad verbum, sed sensus ad sensus, & alicubi aut minuit, aut reddidit iuxta operis, & materiæ exigentiam, vt ipsemet ingenuè profitetur in prologo. Atque hæc fortassis ratio extitit, ob quam maximæ lectionis Antonius Posseuinus ex Societate Iesu hoc idem Opus illi assignauit tanquam ex proprio penu, non Lanspergij depromptum. Obseruauit

enim vir eruditus non minora Torresinum Italicè plusquam Paraphrasim exprimendo, quam Lanspergium Latinè operi contulisse. Posthæc arbitramur illum manum adiecisse libris de Cælesti Hierarchia, quos Antonius Bumaldus in Minerualibus Bononiensibus ab Seraphim compositos exprimit, non enim nobis illos vsq; modo videre contigit. Quotos autem ex huiusmodi lucubrationum lectione aliena animarum fructus demetiret in panis, vt aiunt, fractione pernoscens, manum ad mentis dictata plura, statim recensenda, permisit, in quibus idem omninò deuotionis affectus, idemq; spiritus ardor emicat, quem per fidelium pectora ab concionibus irrepere omni studio perquirebat. His ingrauescentem sustinebat ætatem, his ægrotantibus artubus, aduersaq; sub valetudine delabentibus solatia nundinabatur honesta. Non omnia verò, quæ perpoliuit, prælo fuere supposita, quod sibi scrupulum ingereret gloriolæ fortassis hisce artibus aucupatæ. Qua in re adeo sibi cauebat, vt nunquam passus fuerit inter Prælatos recenseri. Vix semel per obedientiam coactus oneri colla subiecit. Ea propter facundè narrare solebat quotas, qualesue probas quietes, sacraq; otia experiretur anima illa, quæ alieno ritè obtemperaret imperio. Hæc, pluraue alia de egregio Sacerdote nobis talia vestigantibus referebat præclarus & ipse Sacerdos, & Abbas Iacobus Samartinus, dum nos ad opus hoc adornaremus, ab quibus exarandis vt abstineamus nos non vna ratio cogit. Ille iam præsentiens corporis dissolutionem iminere secessum Frigdionarium à maioribus exorauit. Ad leues sarcinas componendas per aliquot mensium spacium sic incubuit, vt solius Sacrosanctæ Deiparæ, quam eximijs semper coluerat affectibus, solius Passionis Dominicæ, cuius recordationi cordis lachrymas semper obtulerat, immisceret colloquia, meditationes decoqueret. Anno demum sexagesimo octauo superioris sæculi esse desijt, vt verum esse æternumq; inueniret. Scripsit ergo

*Pharetram Diuini Amoris Ioannis Lanspergij Carthusiani Italicè loquentem, quam Hermolao Barbaro Aquileiensi Patriachæ electo nuncupauit. Venetijs apud Paulum Gherardum Anno* 1549.

*Libros de Celesti Hierarchia, prout est apud Antonium Bumaldum in Anademati Minerualibus Ciuium Bononien. Bononiæ apud Hæredes Benatij* 1641.

*Vitam Beatissimæ Virginis, quam attitulauit Paradisus deliciarum spiritualium Regulas Vitæ Spiritualis. Bononiæ* 1562.

*De Passione Domini Meditationes, & colloquia Venetijs apud Rubinum* 1567.

*Thesaurum Orationum, & Contemplationũ Italicè. Venetijs apud Pratũ* 1614.

*De Resurrectione, & Ascensione Domini Tractatum vnum, quem editum affirmat, & à se lectum Seraphinus Ractius ex Instituto Prædicatorum in Libro, quem attitulauit, Viridarium Exemplorum Italicè sub Titulo De Confessione Exemplo Tertio*

SE-

# SERAPHINVS SALSIVS ARIMINENSIS.





TIQVE nomen ipsum ab indepto Religionis habitu sortitum Seraphino Salsio Ariminensi illustris cuiusdam, apprimèq; veri prognostici tessera fuit. Ardorem nanque diuinũ illũ, quem nomen sonat, expressit ita moribus, vita, cultu, eloquio per annos circiter quadraginta gesti Canonicatus, vt non perperam primi impositoris mentem desuper illustratam fuisse credi possit. Seraph verè factis, & nuncupatione. Ariminum præclaram Ciuitatem natiuitatis patriam, Signam, & Tergeste tenerioris educationis habuit. Puer enim vel à parentibus, vel à quopiam consanguineorum alio transfretari iubetur ad maritimam illam Illirci oram quacunque tandem causa domestici ministerij. Puerile autem pectus tum quoque patuisse Numinis religioni, atq; pietati ex illo innotescit, quod ipse de se scribit in mox laudando Opusculo auricularis Confessionis, quo loci capite sextodecimo Lectorem remittimus. Semina verò illa fructum reddidere aliquando centuplum. Quippe responderunt vltima primis, & rore cælestis afflatus superfusus laxauit præcordia, intimasq; animi fibras in obsequium Dei sui. Quod vt minore cum obice præstaret regressus in patriam tabulario Canonicorum Diui Marini Congregationis Lateranensis adnotari studuit conamine non vulgari, curatis nempe ex procerum, & Principum illustri gratia adminiculis, & præsidijs, quoniam non pateret tum ingressus ad benè munita castra ex nonnullis rationibus, quarum narratio non est præsentis loci. Præter vnam sanctè agendi deliberationem inermis fermè in reliquo sacræ militiæ admiscetur, vt labor exercentium piam eius voluntatem, ac intellectum iugis esset, valdèq; meritorius in eo potissimum, vt deponeret suspiciosam quampiam sinceritatem, quam ex transmarinis hauserat contubernio. Latinas tamen literas possidebat mediocriter, quarum fundamento promoueri potuit post expletum tyrocinium spiritualis hominis ad Artium studia, successiuèq; ad Sacram Theologiam audiendam. Relictis scholasticis post emensum assuetum octenne stadium aggreditur pulpita, quibus suoptè genio propendebat secundum facilitatem popularem dicendi, quæ artem oratoris nec prorsus admitteret, neque excluderet ex instituto. Nobiliores quandoq; homilias Patrum antiquorum trans-


ferebat ad vnum in maternam Italorum linguam, atq; paucis aliquibus mutatis pro temporum varietate illas recitabat adamussim. Perorabat probitas in viro conciliatrix maxima auditorum, per quam optimè loquentem adiudicabant, dum vita, doctrinaq; conuenirent egregiè. Nunquam nouit adolescentiam, aut iuuentutem, si mores sobrios, vitamq; attendas grauem, ac semper sibi sequestrem. Quo tempore vacabat ab Euangelio solitudinis amans cubiculum tenebat tantopere, vt neutiquam domi esse crederetur ab conuictoribus ipsis, qui ad statas tantum horas sacri cultus, regulariumq; cæremoniarum appareret. Studio inhærebat perdius, & pernox, quem si natiua quæpiam adiuuisset alacritas, capaxue, ac fœcundum ingenium, literatus extitisset cum paucis comparandus. Sed nō omnia omnibus: & conatibus haud respondebat ferus intellectus. Dum Hierarcha Gregorius Tertiusdecimus celebraret Romæ annum vniuersalis Iobælei, qui fuit septuagesimus quintus post sesquimillesimum vniuerso ferè christiano orbe illac confluente, Salsius concionatorem agebat apud Ripanos, quos Transones vocant in Piceno. Quare nacta occasione totus erat in animarum messe, creditos voci suæ populos disponens sanctissimo Indulgentiarum thesauro, pijssimæuè peregrinationi. Altè potissimum vrgebat sacræ omologesis accessum: atq; propterea cæpit de suggestu circa illam verba facere ex instituto, naturam, qualitates, circunstantias, effectusue singulariter enucleando, vt debito modo, ac signanter fieret ab accedentibus. Philippum Seghium Bononiensem Ecclesia illa tum obtinebat totius etiam Piceni Gubernatorem, virum plurima dote, sed pietate præsertim insignem, quem postea purpura Cardinea ornauit. Is studia religiosi concionatoris promouebat quam maximè, animosq; conatibus eius addendo qua priuatis allocutionibus, qua actione, & exercitio fouebat sanctè meditata, & continenter parta. Hinc Antistite suadente, quam pro concione materiam confessionis prosequebatur in ordinem digessit ad memoriam omnium, & ad captum multitudinis iuuanda. Excogitauit methodum nouam alphabeticam per singula scilicet latina elementa singulos versus italicos componendo ab illis inchoantes, qui rem confessionariam summatim complecterentur vniuersam. Carmina verò è pulpito exposuit appositè per breues sermones singulis respondentes, quos dehinc maturatos in modum commentariorum italico idiomate omnibus peruio euulgauit ope typographorum, eidemq; Seghio dicauit laudando non minus exitu, quam proba, & benè texta intentione. In magistratibus Religionis gerendis nihil incubuit, neque è re sua esse credidit Reipublicæ se immiscere adhuc oblato munere. Cum à Io: Baptista Castello Episcopo Ariminense plurimi fieret intuitu virtutis, eiusq; opera Presul egregius vteretur ad quamplurima pia, inuenit aduersarios gratuitos, quos suspiciones, ac dubia haud

pate-

paterentur quiescere, ne aperiretur ingressus viro nil cogitanti, præter bona, ad noua mollienda. Quippe admistratio Canoniæ Diui Marini cum annexo Gyneceço Beatissimi Narbonensis penes Brixienses erat. Ea propter præscripsit sibi, & obtinuit discessum ad exteros, apud quos moraretur sibi omninò victurus. Vt ab adolescentia Italicas musas coluerat candidè, & castè ad id genij placitum, & hilaritatem, ita illarum consuedinem retinuit non remotus à senio. Patet liquido quantus esset in eo pangendo carmine ab Ethica illa, illaque Politica, quas ex duabus orationibus Isocratis extractas, in breuesq; regulas compactas dicauit Vincentio Gonzagæ Mantuanorum, Montisq; feracis Regulo. Ferunt decessisse apud Venetos circa annum nonagesimum præteriti sæculi. Viuit eius probitatis, & eruditionis memoria in æuum. Sunt eius calami,

*Alphabetum Confessionale de Conditionibus Sacramentalis Confessionis Italicè conscriptum. Pisauri apud Hieronymum Concordiam Anno* 1625. *Lib.* 1.

*Ethica, & Politica ex duobus Isocratis Orationibus extractæ, & in breues compactæ regulas Carmine Italico. Venetijs apud Ioannem Antonium Rampacetum Anno* 1584. *Lib.* 1.



SE-

# SERAPHINVS VERDELLIVS CREMENSIS.





AVCO virum hunc temporis interuallo exaltatum in Congregatione ad maiora obeunda munia vidimus inter admirationes, & ſilentia Patrum prouectioris ætatis,& diſciplinæ. Neque tamen iniuria, ſi plures illius eximiæ qualitates æqua lance librentur, quibus aut terſit, & obliterauit, aut oculuit,& minorauit floridioris ætatis imperfectiora. Capacem enim grandis cuiuſq; fortunæ obuiauere publica miniſteria felici cauſarum ſecundarum coniuratione, quibus haud ſegniter faceret ſatis ſolers eius induſtria, & auſus quandoq; temeritati proximiores, ſed qui benè cederent ſatis parato, & vna auctoritate munito. Vos omnes inuoco teſtes maioris menſæ Patres Conſcripti,qui Verdellium penitimè nouiſtis, quibuſue ſecretiora eius conſilia innotuere, atq; adminiſtrationum illius peruia fuere media, & artes. Quoties obriguiſtis ad aggreſſas à viro Prouincias? Quoties admiratione concidiſtis ad excogitata, & propoſita? Quoties vos, vos ipſos pro muro oppoſuiſtis vt ſtaretis pro domo Iſrael, ſi quando altiora ſaperet, & executioni ex temporum coniuncturis imperuia. Optimo quidem temperamento conſediſtis diribitores maiorum Congregationis difficultatum cum eo, atq; nunc ſuperſtites pro ipſa veritate ſtatis. Ad prima tempora maioris Præfecturæ Camilli Becij Caſalenſis Septuageſimi ſeptimi Generalis conuictor factus eſt cætus noſtri: ſub eo, inquam, Dictatore Inſtituto Canonico adſcriptus eſt, qui veterem Regularis militiæ diſciplinam reuocauit ab auorum memoria, & placitis, ſummoq; ſtudio reparator ſtrenuus extulit obſeruantiæ. Ideo in eius animi feraciorem campum ea proici ſemina potuere, quæ meſſem prædiuitem, nī aduerſarius homo ſuperſeminet zizania, reprōmitterent. In Academijs Vercellenſi, Mediolanenſi, Placentina fundamenta iecit Philoſophicarum ſcientiarum, abq; Vniuerſitate Viridariana Patauij Doctor dimiſſus eſt, vbique doctiſſimos profeſſores Honoratum Robertum, Zachariam Apianum Ariſtotelicos; Florianum Nanium, Valerianum Zamperriū Theologos, Marcum Antonium Otellium Vtinenſem Iuris Pontificij interpretem primarium ſortitus. Quapropter paria fuere ſeminibus, & cultorum induſtriæ in hac parte fructuum ad confertam menſuram conamina,

& emiſ-

& emissiones, quæ tamen feracitate præcipitem actura iuuenem ominabatur quantoties absuissent emarcescentium discretores, & proiectores, ne qui in eo superabant probi, contactu, aut sodalitio inficerentur. Ideo abactus est non sine quare à Bononiensi Montano ad Pistoriense Collegium Dialecticis profitendis sub Secundo Columbo Nouariensi mediocris quidem literaturę, sed seuerioris per ea tempora conuictus viro. Dedit paucula vexatio intellectum, dum interim Romæ Alexandro Pereto Montalto Cardinali commendante in bonos fines cedunt purgandæ innocentiæ attentata. Purpurati Patris, Sacriq; Principis animo se pridem insinuarat ex nuncupatione Librorum de Statu Hominis, quos à dimissione studiorum pro Laurea obtinenda latius ediderat. Dignæ nanque vt legerentur lucubrationes, & quæ ab ætate in scientijs consumatiore euigilatæ promanassent, tantisper propenso in eius Gentiles magno Cardinali abundè fecerant satis. Ex Logicalibus interpretandis secessit ad se componendum ad pulpita, quibus nouiter tractandis naturæ beneficio satis esset præmunitus, aspectu, pectore, voce, venustate, quibusue probe se dispositum docuissent sermones (lectiones nostri appellant) post vesperas quasque festiuas habiti in eadem nostra Diui Bartholomæi Basilica vno adhuc Diaconatus Ordine redimitus. Commendationem, & fructum vbiq; ex sacra prouincia retulit, præsertim verò ex quadragesimata concione apud Laudenses, & apud Pisanos in Conuentu Clarissimorum Equitum Diui Stephani, nec non & in Cathedrali Ticinensium tota ea Vniuersitate percelebri in quotidianam Panegyrim resonante. Inde Congregationi, atq; extimis notior factus publico attingendo ministerio vocatus est. Hic verò rutilare ad excessum vsque eius dona, dum in talentis gubernationis toto genio operaretur non modo per digestum lucri aliorum quinque talentorum, verum etiam per vberiores omnimode quæstus. Penes illustre Augustinianum Collegium ad Placentinos Priorem claustralem egerat inter Pręlati benefici Pacifici Gnochi Placentini, & benè cultæ disciplinæ obsequia, & minutiores ritus, ideo nullius præuiæ dispositionis adminiculo ęgens ex statutaria lege in Abbatem promoueri potuit in hunc præcise modum, & occasionem. Anno nono post millesimum sexcentesimum Franciscus Turricellius Pistoriensis, de quo nos supra, Abbas Collegij Pistoriensis renunciatus in Comitijs assignatæ maioris Præfecturæ Archangelo Campatio Mediolanensi paucos post menses ex anthemate fato fungitur. Quare de substituendo vices gerente (communi vocabulo Viceabbatem nominant) vsque ad proximè habendam Congregationem maior Antistes cogitans, Verdellium secernit inter multos vno illo rerum successu, vt in viciniore Romana Diæta Abbas pleno iure instituatur sub eo anno millesimo sexcentesimo decimo. Exordia hæc extitere nunquam intermissorum in Congre-

gre-

gregatione fascium. Nam benè gestæ Pistoriensis dignitati per biennium successit ad proprios Cremenses Penates Diui Benedicti Prælatio. Videbunt longo æuo successores in Ecclesia Pistoriensi,eius diligentiæ, atque in sacris curandis sollicitudinis testimonia, aras quatuor de nouo veteribus humilibus demolitis excitatas in amplam, nobilemq; formam ordinis Corinthiaci sibi ad inuicem ex æquo respondentes, partim ex Monasterij prouentibus, partim ex nobilium patronorum suasionibus illectorum expensis. Vtinam veteres duæ, quæ supersunt peculiaribus patronis debitæ tenuitate virium, aut pietatis nihil tale curantibus, ad aulasq; Vienensem, & Romanam absentibus, ita nobis aliquando cessissent, prout dictante, ac bene fauente Numine boni ęmulatores Patrum in eandem omninò correspondentem formam restituissemus, quo tempore templo, & Canoniæ ex Congregationis benignitate præficiebamur. Cedent tamen successu dierum Abbati futuro alicui occasionem præbituræ munificentiæ, atque pietatis exercendæ in plenum nobilissimi fani ab Longobardorum vsq; sceptro magnificè excitati ornamentum, ac decus. Reparata insuper, & innouata publicarum loci rationum volumina, portiones notabiles æris alieni Romæ extinctę moderatas optimè à viro Monasterij habenas insinuant, tractatus pro dignitate Cathedralis Ecclesiæ eadem tempestate suggestus non vni tantummodo rei natum illum prædocent. Dum Cremense Cœnobium gubernat senio confectus debitum naturæ soluit Antonius · Cremensis Visitator, in cuius locum hic post longam discussionem sufficitur sub Seraphino Merlino Tertium Generali,Collegis Celso Dugnano Mediolanense, Petro Francisco Maletto Vercellense,atq;Marco Antonio Oliua Ianuense. Neque ita multo post functis vixdum prioribus Visitationibus ob lugubrem decessum Gabriellis Ottelli Alexandrini Diomedearum Pręsulis eo loci legatur ad proximum vsque Capitulum suprema quaq; auctoritate munitus, cuius apicibus nec per latum quidem vnguem deficiebat. In sequenti Generali Synodo Abbas illustris Canoniæ Viridarianæ renunciatur, cui triennis præest inter non modica discrimina siue ipsam Academiam spectes, siue extranea. Quippe Marco Antonio Oliua relatore in ius postulatur repetundarum. Vir enim Ianuensis ingenij, & solertiæ Arci Tremitanę, & eius annexis iurisdictionibus gubernandis datus successor Abbas, ex non vno capite depopulatorem arguebat eò firmius, quo loci genium penitimè nosset, qui eidem alias pręfuisset Abbas, quiue panderet non absq; crudeliore iniuria Verdellium in pręstantissimi, optimèq; de illa præfectura meriti Ottelli nomen, ac memoriam sęuire, dum in demortuum perperam à se acta proiceret. Obiectis tamen omnibus siue per innocentiam, siue per sagax, expeditumq; consilium præualet, & illudit, atque superato in vitæ discrimine morbo Ecclesiastes quadragenarius accedit Carolo Emanueli

Alo-

Alobrogum, Pedemontisq; Regulo Petro Francisco Maletto Generali proponente, & intercedente. Liberaliter exceptus munificentia plusquam Regia dimittitur, qui animum eruditi Principis cęperit satisfactione depasti intellectus, & religione culti piè Numinis. In sequenti supremo Ordinis Conuentu Anni Decimi octaui post sextum decimum centenarium ab Redemptore nato Abbas Generalis acclamatur laudato Maletto successor, fermè solus inter candidatos Veneti Dominij, qui satis immorari poterat, aut penitus deturbari à tanto apice, si fascibus aspexissent viri primæ probitatis, & integerrimi Cherubinus de Betteris Brixiensis, & Valerius Beltraminus Taruisinus. Magistratus imperio ad omnia præ antecessoribus vtitur in speciem quidem seuerioris, ac valdè necessariæ disciplinæ, sed cui admixtus esset quandoq; impotentiæ odor prægrauis, ab quo prædicaretur abuti potestate, dum interim ipse dissemináret, ex affectata quadam mansuetudinis, & benignitatis ratione à prædecessoribus inflictum acre supremo tribunali Ordinis præiudicium. Ita sugillabat ( iure, vel iniuria alius viderit) anteactorum Magistratuum modos. Vnus Hieronymus Onufrius Fanensis præ cæteris conatus, si quando iura excederent, confringebat in iritumq; dimittebat; ac obuersabatur, ne spes suprema affulgeret ad libitum moderaturo vniuersa, siue quod is ex quatuor Collegis Visitatoribus Congregationem intimius nosceret, qui solus eadem censorea dignitate alias egregiè functus esset, siue quod vir acer, prudens, multiq; negotij præ alijs auctoritate polleret, floreretq; gratia Protectoris Serræ Cardinalis, siue demum alia quacunque nobis minus notiore causa. Hinc sub incerta fama in Ordinem redactus prudentiori prima sedes cessit, quod in commune omnium beneficium vertisse creditum est. Triennis ea præfectura temporalia commoda Reipublicæ non leuia peperit, quia seuerioribus iussis obligatoriarum tabularum summam notabilem triginta millium aureorùm Romæ, Venetijsue extingui curasse dicunt, quo specioso, satisq; plausibili successu plurima deleta sunt non indubiè obiecta. Abacti peculatus ab communi ærario Veneto ob decessum Cecilij Balbi de Cauanis Abbatis vago, generaliq; murmure impetebatur, qui præcipiti cursu Venetias accesserit illo extremum spiritum exhalante ferè, & libros publicarum rationum, ipsumue ærarium nullo adhibito assessore, aut teste per aliquot dies pertractarit, qui census vitalitios non satis ita multo post instituerit nominibus proprio, & alieno, dum interea per plures testes constaret decessum Cecilium parsimonia, & dexteritate negotiationis seponisse ad decem millium aureorum lucratam summam ad Monasterium illud absoluendum, quæ nusquam inuenta est. Sed qui opportuit in iudicium sisti, non vocatus innocens dicitur ex se sensim elabente, euanescenteq: rumore. Vtcunque res fuerit, pernicioso exemplo, & insueto factum est, vt vnus rem tantam

aggrederetur absq; comparticibus saltem Collegij eius raciocinatoribus. Verum ex alio capite proficua Congregationi eius præfectura fuit, dum Statutarias Léges, quas Ordinationes, seu Constitutiones appellamus, Ordini restituendas per publicam æditionem solertissimè curauit. Quippe ab Anno Millesimo Sexcentesimo Duodecimo Synodus Rauennæ congregata Seraphino Merlino Generali promotore decreuerat Leges illas ante Tridentinum Concilium æditas corrigendas, reformandas, & de nouo imprimendas ob nonnulla eiusdē Cōcilij, & Pontificum decreta post illarum impræssionem emanata. Cum vna tamen hac conditione decretum emanauit, vt fienda correctio, & reformatio, siue per additionem, siue per subtractionem prius per idem Capitulum diligenter discuteretur, & approbaretur. Id ipsum Senatus Consultum relatum, & confirmatum in sequenti Conuentu promotionis Petri Francisci Maletti, ac demum in eo, quo ipse Verdellius assumptus est; ideo per tres vniformes Synodos approbatum executioni demandari debuit. Quod vt facilius absolueretur vniformi Patrum assensu prouincia demandatur Gabrielli Penoto Nouariensi, Secundo de PalijsCasalensi, Placido que Blancardo Cremonensi viris, & optimis, & eruditissimis, quibus facultas vniuersa totius Synodi tanto negotio debita attribuitur. Quare post longas discussiones, & post attentata nonnulla Romæ circa nouam quampiam compilationem Constitutionum Paulinarum Paulo Quinto exhibitarum, Gabriele Penoto Ferrariæ penes Iacobum Serram Cardinalem Legatum, & Protectorem considente vltima manus negotio difficili imposita est, atq; statim ipso Verdellio impræssionem iussis apud Venetos nostros vrgente Lex per Dei misericordis benignitatem Tutellari, ac gloriosissimo Patre Augustino, Diuisque Titularibus intercessoribus ædita est in emendatiores modos summo bonorum omnium consensu. Quo autem tempore summam Præfecturam Verdellius abdicauit, toto nixus est conamine præfici Abbatiæ Romanæ, cui Generalis Procuratio Ordinis ex vetere quopiam more annectitur; Procuratio, inquam, tam rerum in summa curia gerendarum, quam publicæ, quæ ibidem ab omnibus Canonijs transmittitur pecuniæ. Et qui plurima auctoritate floreret in Synodo, cui nihil foret imperuium, nominationem, electionemque obtinuit ab ipsa tamen possessione deturbandus. Cum enim ex præscripto Pontificiæ Sanctionis Pauli Quinti Prouincia Venetorum Ecclesiasticæ Nationi aliud Monasterium Romano æquiualens assignaret deberet ad gubernandum, neutiquam illud præstare potuit Veneto Senatu Prælaturas Dominij in exteros conferri recusante. Hinc etsi Cremensis Canonia Hieronymo Onuphrio Fanensi assignata fuerit, atque ideo ipse Verdellius præpropere Romani domicilij curam inierit; tamen

non

non admiſſo per Venetos Magiſtratus ab gubernacula, qui illac perexerat, Hieronymo, Verdellius et ipſe Roma abſiſtere cogitur. Suaſerat quidem Serra Protector acerrimæ vir præuidentiæ, & cui certiora rerum nuncia hinc inde afforent, ne ſe viæ committeret, aut Romæ illaberetur antequam pro eo ſtaret Collegij Rogatorum aſſenſus. Sed qui confidentia pluſquam tutiore prædicabat ſe in horam expectari, & certo certius imminere eam à Principe permiſſionem, quiue ardentiſſime Romanum illudofficium expetebat; præcociter Vrbem tenuit, Purpuratos Patres Congregationi addictos, aut ſibi aliquo nomine notos ex obſequij norma inuiſit, ſeq; negotijs publicis immiſcuit, vt maiore inde cum animi acerbitate ſubmoueretur, dum Venetis Patribus haud ſecum diſpenſari placuit ſuper lata lege, quamuis ſupplici libello, & longo ambitu tentati, ac fatigati. Hinc Pontifice Gregorio annuente Franciſcus de Magnanis Bononienſis Romanæ Domui Pacis, publicoque ærario præfectus eſt, & Cremenſis Verdellio, Firmana Fanenſi per anteactam ſynodi præuiſionem ceſſere. Compoſitis in hanc formam rebus, animoq; ad præſentia reuocato Canoniæ Cremenſis veterem Eccleſiam collabentem, ſenioue confectam, ac Ordini parum accommodam ſolo æquatam in ampliorem, nobilioremq; formam reſtituit, atq; à fundamentis excitauit mira ſolertia, animiq; magnitudine, & qui primus lapidem primum poſuit eodem trienni, aut parum pluris ſpacio abſolutam inſpexit, atq; ſi vnas chori ſedes eximas omnibus ornamentis communiuit. In ſequenti capitulo Placentiæ celebrato Viſitator Secundum renunciatur Marco Antonio Manetto Florentino Generali, & qui Ordinem primo loco gubernauerat pridem ſemipartitæ Viſitationi præfuit ex vſu, & lege, licet ætate præcederent, & profeſſo inſtituto Athanaſius de Arcellis Placentinus, & Placidus Blancardus Cremonenſis Conuiſitatores. Ideo cum cenſoreæ eius poteſtatis Collega Marco Antonio Gentili Bononienſe Congregationem ſeiunctim ab Generali Abbate luſtrauit; quo factum eſt vt nequaquam conuenirent circa media publicarum rerum tractandarum. Quare cum nonnulla Romæ exhiberentur aut inducenda, aut reſtauranda in Congregatione productis hinc inde rationibus, & argumentis, dum vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundat, ac meliora proponere, ſecurioribuſq; inſtare opinatur adeſt Bononienſe Capitulum, in quo ex reſcripto Pontificio Vrbani præſidet Robertus Vbaldinus Cardinalis Legatus. Hic demum in ea decreta conuentum eſt, ijq; exitus negotia ſortita ſunt, quæ longè diſtare noſcebantur ab eius propoſitis, & ab ea, quam vrſiſſet ſolutione. Abbatiæ tamen Cremenſi Tertium præficitur ipſo etiam ſuffragante Manetto, certè aliquando inſtaurare curaturus, à quibus deciderat præter opinionem meditata, ſi vita ſuperſtes. Verum ſexto ab eo conuentu menſe viam vniuerſæ carnis ingreditur vix duobus annis quinquagenario maior, vir quidem, ſi

poſtremam dictam Synodum excipias, toto vitæ ſuæ curſu, & felix, & ſtrenuus, & ad magna patranda factus, humanarumq; rerum experimento pollens. Neque dubium quin decoctis ſenio aduenientе ętatis feruoribus communi omnium plauſu iterato Religionem aliquando gubernaſſet, qui ſuperato iuuẽtutis flore præfuit maiores inter laudes, quã inter obiecta. Gubernaſſet vtiq; (quod ominamur) ſi tamen alio nõ auocaſſent virum præſtantem Romanæ aulæ ornamenta, quę plures ſemouent à Regularibus clauſtris nunc in præmij ſpeciem, nunc in maioris laboris exercitium. Quippe da tali amandatione non incongruè aliquando dubitatum, qui circa vltimum poſtremi Viſitatoratus annum Vrbano Hierarcæ propoſitus, nominatuſq; fuerit ad Epiſcopatum Polę apud Iuſtinopolitanos, dum Neapolim ad Viſitationes peragendas properaret. Illum enim epiſcopari ſatagebat Fauſtus frater interceſsoribus Laodoiccio Zachia Cardinali, & Petro Cõtareno Venetę Ariſtocratię apud Sedem Beatam Legato. Summa tamen propitij Numinis prouidentia factum eſt, vt tum in caſſum abierit illa negotiatio in luculentum pauperis Congregationis beneficium, quod eo demum obeunte innotuit. Sunt ergo eius dictaminis

De



SE-

# SEVERINVS CALCHVS MEDIOLANENSIS.





ROH quantum prępropera virtus Seuerini Calchi Mediolanēſis in ipſo fermè exortu ſplendoris effudit; dum medius inter Syrenum illecebras, medioſue inter tempeſtatum anfractus naufragam immortalis animę ſalutem non alio, quam ſua luce monſtrante cognouit: dum (repeto) puerili niſu, virili ſenſu, dictam ne diuina crepundia, an futurę obſidem ſapientię cęleſte propè chirographum? magni illius Timothei Maffei tranſcriptam amanuenſium labore concionem, auidè arripuit: dum eandem ſibi per vim extortam pijs lachrymis perfuſus recuperatam, bonam vt indolem aleret, illamq; ſibi in tuto reponeret, ad verbum vna die edidicit. O' pium, ò grande vixdum efformatum ab ætatula caput. O illuſtrem certè, illuſtratamq; memoriam, ærarum diuinorum illorum arcanorum effectam, quæ ex vmbonibus pronunciata in vnum propè ſpiritum auſcultantium ſpirituum millia conglobabat, quantumue licet Oratori, beabat. Abeas nunc priſcæ ruditatis fictio, Silenos malè dolatos extimè, intimè pectoris auro, emicantibuſq: lapillis compone refertos. Puerile Seuerini verum myſterium eſt, penetralibus ingenij committere ſacra, qui necdum puerilia ipſa conquadraſſet. Hinc amor ille mirabilis prò infantilis crepitaculi delicio literatam aliquam papyrum, pro pomis libellos habendi prę manibus, vt iam tum fermè e nutricis vbere pendulus libris operam dare videretur. Iam verò illę in omne vitium lubricę ętatis pari conatu ad ſanctimoniæ, ac ſapientiæ faſtigium celerrimæ progreſſiones ſupra teneros annos, ſupra æqualium æmulationem, ſupra expectationem parētum, ſupra maiorum exempla, deniq: ſupra omnium admirationem, quale ſpecimen iam adultæ in adoleſcentia lucis reliquerunt? Illud ſanè vnū dedere, vt audito demum (quod latè concupierat) e ſummo Mediolani templo concionante illo, quem prius ſcripto ardenti prælibarat, per vniuerſam Italiam celeberrimo Timotheo, tenebris ſæcularibus vale dicere ſibi conſtanter iniunxerit. Conſtanter, inquam, qui per omne paterni imperij machinamentum opugnari meruit, vt rutilaret inconiuentior, vt reſiſteret cordatior, vt vinceret, ac triumpharet confidentior. Conſtanter, cuius non flexere candidam innocentiam maternarum blandiciarum lachrymarum,

pręca-

precationum illecebræ, fortunatæ felicitatis illectiones, irritamenta ad effœminandam in suscepto religiosæ vitæ consilio plusquam virilem firmitatem introducta. Obmuteat Latia in posterum Romanorum eloquentia, nec vltra Martium Coriolanum, seu Volunniam matrem euehat ad sydera. Robustior Seuerinus impuber, quam Martius, vir, miles, Imperator. O quanti intereſt lucrifacere Christum! O quantam æternitatis spem Religio sacra fomentat! Itaq; Seuerinus iam victor victos, genitores cæterosq; domesticos obices docuit nullis mortalium fraudibus, viribusq; ab instituto cursu solertem salutis reprehendi posse, ac retardari. Etenim suauiter æstuant, quibus Amor aspirat. Et vnus potest Diuinus Amor ardorem ipse suum euentilare. Enimuerò non erat, cur prisca Poetarum superstitio fabularetur parco Promethei furto cælestis ignis particulam subductam ad hominis lutum animandum; cum se se totum infinitum Numen in lutea pectora vitalis incendij splendido, aureoq; diluuio liberaliter effundat. Quis diffusiuam hanc naturam non obseruet sub ipsis Seuerini pullulationibus primis in Canonicæ familiæ horto? Binos fratres Benedictum, Hieronymumq; attraxit ad Christum. Imitatores sui, discipulosq; fecit, quos natura germanos dederat, eos gignens Deo, cũ quibus pridem fuerat ille genitus mundo. Feruor regularis disciplinę recoxit in magnetem, qui ferrum pridem extiterat, vt nempè alios pelliceret, sanctoq; furto lętaretur procelloso ab mari vanitatum sæcularium subtractos. Quis non defixo mentis obtutu inspexisset vixdum conuersionis elementa prima nouentem repentina mutatione oratorem factum alios conuertere? Te ipsum appello tantæ sobolis genitorem, qui tã grandi conamine restitisti, ne vnum permitteres Canonico Ordini gnatum; qui furore percitus præferuidam quandoq; animam in perferoces minas euomisti. Num incontaminato corde, num stagnantibus oculis cernere potuisti triplicem filiorum rapinam, religiosumq; cœtum ternis quasi opimis spolijs exultantem? Suauissimam Saluatoris prædam ad funiculi soliditatem redactam vidisti, ac lætatus es. Qui aliquando mentis compos factus ex Seuerini effusis ad Cælum precibus, non absq; peculiari Numinis ordinata, fauorabiliue electione isthæc fieri, præsentissimamq; Deitatem veneratus acquieuisti. O' aspirantem ex amoris pectore vitalem perfrigidæ mortalitati calorem! O' benefici spiritus diuinis flammis diuinam probitatem afflantis impetum salutarem, qui difflatis errorum nubibus diuinę serenitatem veritatis aperuisti. Interea temporis infractus Christi colonus in orea conferebat latam messem, longamq; vindemiam, hinc inde in manipulos collectis, ad areamq; ac torcular adactis siue corporis, siue animæ exercitationibus tam ad purgatiuam, quam ad illuminatiuam attinentibus. Qui præibat ætatula germanos, meritis quoq; exemplisue pręire satagebat; gnarus fortè quam breue vtriq; stadium currerent, quam

proxi-

proximum brauium haberent, dum sibi in longiores ærumnas extenderetur iter, produceretúrq; non nisi perplexa viatoribus semper corona. Quippe superstes ipse præmisit ad Cælum illos meritis plenos, quasi firmæ fidei obsides, certæ spei fideiussores; ni dicere optes, futuræ totius vitæ patronos, ac protectores. Quinquagenarius intra Religionis metas, ò quoties anhelauit terminum, ò quoties cursor suspirauit finem cum illis Apostoli verbis, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Neque ideo sibi, alijsue fucum imposuit in aliena mella decoctor, sed apis ingeniosa libauit è floribus, quod depuraret in fauum. Scientiarum supremarum, quarum laus prima est, lustrauit latibula cum Philosophis, ac Theologis, potissimumq; fixit pedem in Sacræ paginæ suauitatibus, vnis penitimè innixus Paulo, atq; Dauidi vtriusq; legis antesignanis, quorum vt in agibilibus sequi feruorem, sic in diuinis studuit assequi spiritum. Hinc prompta illa, & ad omnem horam extemporaria suppellex, quæ viri Dei sermones & honestabat, & fœcundabat Superis semper assignato fęnore siue intra domesticos Canoniarum parietes contineretur, siue extra vagari contingeret, Hinc illa calami ad manum admissio, qua luculento, egregioq; opere Sanctorum Dei ministrorum Canonicorum vitam, & acta prosecutus est, siue quorum sæcula Reformationem postremam præcedentia aluerint, siue quorum postrema dies mirabiles, cordatosq; peperisset. Nutantibus plerunque Canonicalis cymbæ coassationibus, & contabulatione, turbine nunc inflante, nunc fluctuante freto, cuius sinum de more Militantis enauigaret; iuuit exemplo sic, atque vocibus vectos, vectoresue, vt ad aurę tenuis fruitionem, ad placidiq; maris vsum addixerit. Ea propter Rector Generalis vigesimus octauus in ordine renunciatus anno octuagesimo primo à Reformata Congregatione, Quartum repetitis vicibus eandem pręfecturam gessit; Quartum, inquã, eo tempore, quo plures florerent Imperio dignissimos, quorumue promeritis, atq; virtutibus maior ipsa Petri Nauis non impar (si Cælo placuisset) onus extitisset. Enituit autem cum primis virtus eius, atq; publici cura profectus in ea, quæ cum Cassinatibus Monacis tum ebulliebat Ordinum, non hominum controuersia. Quamuis enim in eo esset, vt iura almæ Matris tuerentur, decorq; Canonicalis prærogatiuæ sospes, ac integer consisteret; ex placido tamen genij tenore, exq; Regularis quietis conditione, veraq; sanctimonia lites pertæsus, exosus ve dissidia; amicabiles compositiones, pariformiaq: compromissa suadebat, & proponebat, quibus dirimerentur emergentia iurgia, & in officio charitatis continerentur auersantes voluntates eorum, qui nescirent disputare de iuribus, quin digladiarentur etiam de summa rerum. Id autem feruore illo vrgebat, qui & propria sartatecta ex parte plurima repromitteret, & non pauca, nec minima collitigantibus permitteret in amoris mutui fædus, & in reciprocum bonæ volun-

voluntatis tesseram. Verum frustra molitur humana fragilitas exequi, quod neutiquam desuper decretum sit. Aliud in fatis erat, quæ illustri causæ illustriorem maturabant exitum, vt à beato ore Summæ Sedis Christi Saluatoris Vicariæ lex emanaret, & euulgaretur de Saluatorianæ ipsius Lateranensis familiæ indemni, supremaq; prærogatiua. Demum properans Seuerinus vltra senium ad decrepitatis confinia, licet non sentiret in animo ætatis iniuriam, quam sentiebat in corpore; celeriore tamen, punctuosioreq; solertia vrsit sanctitatem ipsam in sui præsertim suauissona abiectione, & in frequentissimæ orationis exercitio, qua rapi se ad meliores mentis sentiebat affectus, præsertim quod vltra non videretur castigari posse carnem, sed carnis vmbram, arrida ossa, semiadustamq; pellem. Verum adhuc trepidabat igniculos, & verberabat flagro, ieiunioq; animæ domicilium ad retinendam exscopationis consuetudinem. Patientia vix ennarabili postremam subijt quadrimestrem ægretudinem, secundum quam decumbens diuinorum tantummodo colloquia admittebat, reliquis nullatenus intentus si circa iam iam exsicati corporis curam medica monitione exercerentur. Vt Sãctorũ mos est decessit, qui de Sanctorũ more vixerat, sexaginta quinq; annos natus, dũ Placentinã Abbatiam gereret curatus studioso Patrũ funere, ibiq; tumulatus. Seriẽ totã excipiet studiosa posteritas ex Matthæi Bossi fidelissimo promptuario, qui vt omnibus interfuit Visitator tũ temporis, sic ternis Epistolis rem totã ex asse prosecutus est in sequentia formalia verba. Seuerinum nostrum tibi Gabriel natura Germanum, nobis vero charitate confratrem graui, ac longa febre consumptum nobis tandem dies acerba surripuit. Quem virum, & patrem quinquaginta fermè annos nobiscum habuisse plenum, sanctitatis, prudentiæ, doctrinæq; præcipuæ, vt lætati sumus dum viueret, ita ne illius memorabilis bonitas, imitatuq; dignissima depereat posteris nobis opere pretium videri debet. Et si cuipiam, mihi prę∫ertim hoc sanè conuenit munus, qui cum illo in moribus, literis, vitaq; propè omni coalui ęqualis, & socius, & à quo perdilectus semper extiti, & impulsus vnicè, atq; sanctissimè ad probitatem omnem, & laudem, & vt ad studia multum, sic ad scribendum quamplurimum; condelectabatur enim meum aliquid in manibus habere frequenter, maximè dum disiungeremur pręsentia. Quo fiebat vt ad eum scriberem sępè, & ad me ille responsa studiosè, & impigrè daret stylo, quo affluebat graui, ornato, atq; mundissimo. Viuet in me semper eius nomen, atq; memoria, & tantum mea si conari poterunt scripta, ac monumenta, inter posteros viuet, eritq; in æterna memoria, vt scribitur, iustus, & ab auditione mala non timebit. Itaq; quod factitauit ille de maioribus nostris illustribus, & sanctis Dei ministris, & virtutes, & merita celebrando, & eosdem ipsos tanquam aculeos ijs, qui currebant adijciendo, sic nos eum

eum ijs proponemus imitandum, qui insequentur, minoribus, atq; nepotibus. Quæ recordatio nec erit iniucunda ijs etiam, quibus contigit præsentibus illius frui, ædificariq; virtutibus. Tibi quoq; Gabriel, ac tuis fratribus, & liberis speciosa. Hic in primis satis quidem iuuenis præconem Dei magnum Timotheum nostrum Mediolani concionantem exaudiens tanquam de Cęlo tactus ita exarsit in Deum, & deuotione mirabili fastidiuit humana, vt continuò de mundi fuga cœperit cogitare, & quod cogitauit parum moratus expleuerit, patre reclamante, & quanta vi, arteq: potuit repugnante, quem pro Christo exaudire surda aure contempsit. Cui & gustato splendore virtutis, religiosaq; dulcedine, non fuit satis seipsum tutissimo in portu claustrali seruasse, nisi duos fratres, quorum vni Benedicto, alalteri Hieronymo nomen erat, ad eandem vitam attraxerit, qui ambo multos ante eum annos vita functi cum laude, & meritorum copia requieuere in Domino piè. Candidatum verò illum, Deoq; obstrictum formare perfacilè fuit, & regularem ad vitam componere, vel quod voluntas eius ad hoc erat incensa, vel quod mitissima, quam nactus erat, secundabat illi natura. Parere ideo Patribus, frequenter in orationibus esse: continere se cellula: taciturnitatem amare: cæremonias Ecclesię: ritusq; percipere: ad omnia humilitatis opera se affatim exhibere paruo labore, spacioq; didicit. Quę omnia ritè obiens, & ardentissimè in spem de se magnam extulit institutores, & patres, qui edoctum eum in huiusmodi illis dicandum studijs putauerunt. Quippe quibus, vt applicuit animum, illis cum humanitatis literis, quibus erat imbutus cum ad nos accessit, Dialecticam, Phisicamq; coniunxit, eatenus in ijs elaborandum putans, quoad ei literę illę ad Theologiæ artem viam planam astruerent, quam diuinam scientiam postmodum nunquam sanè deseruit ad vitę vltimum vsque. Quo fiebat, vt familiari in sermone sanctum aliquid in promptu semper haberet, quod vel proponeret, vel de quo dissereret, vel de quo ab alio etiam ex tempore quereret. quippiam nullo non die de Paulo lectitabat, in quo familiarissimo suo nihil tam abstrusum, tamq; ambiguum erat, ut ignoraret quid de eo sacri, subtilesq; sentirent interpretes. Vgonis, Anselmi Cassiani, Dionysij, Augustiniq; maximi Patris opera nec deserebat. In delicijs habuit Psalmorum nectar, & dulcissima hymnorum carmina, ea maximè, quę celebrantur in templo, quibus deuotissimè deditus primus interreat, & ab ijsdem postremus recedebat. Celebrare quotidiè mos illi erat, & cum Canonicis horis mortuorum officiosa suffragia, & pœnitentiales Dauid adiungere. Aliud cum nihil ageret, uel scribere, uel uerò legere nunquam omisit. Quę occurrissent pro nostri Ordinis statu, ac dignitate diligenter, animoseq; suscipere, suscepta mira prudentia; consilio, perpetuitate, laboreq; tueri nunquam fatigatus; vt suo ducatu, atq; auspicio sępè seruata ab fluctibus,

atq; periculis nostra nauicula fuerit, quibus, quę deorsum militat, Ecclesia Christi pulsatur interdum & grauiter quatitur. Vnde optimo illi, & tanto animo, atq; industria Patri, cum ex more nostro ad eum concedere potuit, delatus est primus consensu publico apud nos locus, atq; potestas, datę habenę, datum, & gubernaculum totius rei nostrę gerendę, cui profuit non minus sanctitatis exemplo, quam solertia, infatigabiliq; labore. Iacentes animos erigebat dexteritate, opinioneq; mirabili. Elatos contra premebat suæ humilitatis inspectu, in amictu, & in omni corporis cultu humillimus. Cibi, potusq: parcissimus, qui etiam cum per vitam totam passus acerbitatem asinatici pectoris esset, & crassam quandam fluentem à capite pituitam excrearet, mordaceq: tussi raucus sermo, & infractus à præfocato pulmone in officium ęgrè concederet: leuissimo tamen, & vili se cibo fouebat. Ei sæpè subcinericia vel cœpa, vel rapa, pulmentum farinæ hordeaceæ, aut recens ouum, paululumq: butyri ferebatur ad mensam. Viuebat magis aliquanto validior vitando contraria, quam exquisitè vescendo. Molli pane, sorbiciunculaq: gaudebat, quod dentes, quibus atteritur cibus, & mollitur, vel interquassantes ei, vel eruti è mandibulis essent. Tempus dierum, & noctium ita partiebatur, vt nihil perditum iret. Pius, & miserantissimus in egenos, suauis, & mitis in omnes. Sed indestitutos auxilio, atq: consilio promptus, & sagax semper inuentus: qui & infirmos, & debiles plusquam seipsum curaret. Ad hospites aduentantes lætus. In emittendis hortorum munusculis, & in alijs humanissimi, & grati animi signis nec obliuiosus, cui displicebant sumptus ambitiosi, atque insaniores, in fabricis maximè. Aiebat enim decere minimè Ecclesiæ Christi ministros vel quadrantem prodigere, qui non concederet, aut ad necessitatem, & vsum, & eum quidem honestissimum, aut ad Ecclesiæ ipsius cultum decens, ac moderatum. Strepitum Ciuitatis, curiosaq; negotia quantum omninò poterat declinabat. Et quanquam fratrem Auratum Equitem, & in Iouis arce apud Mediolani Ducem ab arcanis primarium secum ha bue rit, nunquam tamen ad eum accessit, nisi graui de causa, & ineuitabili lacessitus, ne salutationes multorum quærere, & ambitiosas apud fratrem cœnas optare videretur. Auxit paululum sibi vires exerciolo non raro, molliq; labore. Quo fiebat, vt nullo daret otio corpus, nisi quandiù vel orasset, vel studio incubuisset, si tamen hoc est otiari. Vnde meditando sępè, ac recitãdo cõficiebat crebras deambulationes per hortos aut verò claustrales per porticus. Sic gestari equo, & inuisere villam assequebatur animi, & corporis firmitatem, vt semper rediret alacrior, ac vegetatior: nec non solerti suo oculo arua perpinguiora relinqueret, & edoctiores colonos de re rustica faceret. Verum de vita hæc hactenus satis. Nam qualis vixit, talis è vita recessit, innoxius, sanctus, & plenus multifariæ gratiæ, vt

omnium

omnium oculis, qui aderamus cum moreretur, eius emigratio visa sit admirabilis quidem, & felicissima, vixq; vllus ebullientes deuotionis lachrymas cohiberet. Perpetua supra quatuor menses, postquam ægrotare cœpit, exustus febre eo deuenerat, vt expulpatus sic esset omninò, vt vix sola cutis arida ossa contegeret, possetq; omnis membrorum compago discerni, ac numerari, & ad anatomiam (vt ita dixerim) quandam adhuc viuus exhiberi. In quo tantisper tolerantia extitit tanta, animiq; infractio, vt nunquam vel mœrorem, vel tædium præsetulerit vllum, nec ineuitabiles ministrorum etiam errores aduerterit: sed neq; sit visus, vt cæteri solent, qui longum ægrotant, vel optasse serenum, vel odisse turbidum Cælum. Perosus vana, sermonibus diuinis satis expleri non poterat. Qui legerent, aut verò cantarent diuinum quippiam accendebat sæpissimè. Ita quoties esset paulo quetior, quotquot circunstarent admonebat, & firmabat in Domino. Quod si quid videbatur vni duntaxat esse dicendum, id istillabat in aurem præssa, surdaq; uoce. Vnus ego inter reliquos fui, quem frequens vocitabat, vt aperiret ille mihi, aut dignum memoratu aliquid, & Religioni vtilitati futurum, aut verò Sanctum, atq; Cæleste, quod solus excogitasset, vel per visum, & quietem recepisset. Ei enim pleraq; manifestata sunt visis admodum lætis, quæ sanè illi, vel abstracta cogitatio suggereret, vel animus tanquam interlaxatus à corpore illustratione diuina delibaret. Cum ad exitum tandem vita properaret, id ille prænoscens legi fecit vltimas morientium preces, & suo se factori commendari Deo. Quibus rebus dum esset intentus, stupor erat quam lætus, quam animosus, quam Deo fidens excederet. Donec animus sacer, & cādidissimus extitit in corpore, de diuinis tum loqui, tum cogitare non destitit, vt etiam si deliraret uaporibus febris interdum, uerbaq; concisa, ac uacillantia promeret, ea tamen ita uaria, atq; turbata essent quippe sanctissima, atq; cælestia, ab præcedenti uisu, & summè plena pectoris arca eruta, atq; deducta; tanquam non possit dulci à fonte, atq; mundissimo nisi sapida aqua scaturire, atq; perfluere: uerumq: sit illud Diuini Regis, et familiaris nostri citharędi, Beatus uir, qui impleuit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta. Tandem figens in superna oculos, et supinè manus coniungens, spirituq; et hiatu ultro, citroq: contracto, atq: emisso uisus est omnibus Cælum petere, non interire: non spoliari corpore, sed uestiri gloria. Quem finem, ò utinam mihi cum emoriar, et tibi quoque Gabriel, ac tuis omnibus Deus impertiat, quos loco Seuerini semper amabo. Vale Regij Sexto kal. Ianuarias 1497. Ad Bartholomæum autem Calchum item fratrem Equitem, et protoscryniarium sæpè laudatum, sic scribit. Hodiè paulo ultra meridiem noster Seuerinus reliquit humana, eius adhuc super strato calente corpusculo, et ab oculis mihi

manantibus lachrymis arripui calamum ad te Bartholomæe clariſſime ſcripturus, vt poſſem: vt illum emigraſſe noſtris ab oculis meo hortatu non tam doleret bonitas, & prudentia maxima tua, quam quidem lætaretur ſe illum habituram pro ſalute patrocinatorem Diuinam apud Maieſtatem in Cælo, vbi vita mutata non quidem amiſſa exceptum ab Angelis ambigo nullo equidem modo. Sic enim eius anteacta innocentiſſimè vita, & cum perpetuitate deuotio: ſic & dum ægrotauit contriti pectoris lacrymæ: ſic intentus animus ſemper in Deum, & de re diuina, vitaq; beata mellifluus ſermo, & ardens vſque in finem cupiditas mihi planè perſuadent illum tenere cæleſtia, quæ ſingula aſtantes plurimi ſæpè conſpeximus illa chrymantes præ mira dulcedine, ego præſertim dum illum exoſcularer interdum, atq; complecterer, cuius ſpiritum vbi euolauit e mortali hoc carcere Cælum petiſſe intueri ſum viſus. Talem ò mihi ſortem, ac vicem mea me cum poſtrema compræhenderint, poſſim certa fide ſperare, quam quidem felicitatem, & gratiam pluſquam omnia cætera, & mihi, & tibi ſuppliciter precor Bartholomęe. Vale, & hanc ſcribendi breuitatem menti conſternatæ concede. Placentiæ undecimo kal. Decembris 1496. Demum in hanc formam loquitur in familiari, quam Eſaiæ Eſtenſi Concanonico direxit circa idem tempus. In Diuæ Ceciliæ uigilia, ueſpertina ſub hora Seuerinus noſter à nobis exceſsit, & bonorum Cæleſtium, ad quæ anhelauit ad ultimum ſpiritum uſq; factus eſt compos. Tu pia illi iuſta, quibus tamen nullo equidem modo innocentisſimam illius animam arbitror indigere, religiosè perſolues noſtri Ordinis ritu. Et cæteros Hetruriæ Patres permonebis, ut idem ſanctisſimè efficiant. In Abbatem ſuffecimus Simonem Mediolanenſem probatum ex ueteranis Patrem, illum omni fermè fratrum depoſcente conuentu.

*De Vitis Sanctorum, Illuſtriumq; ex Ordine Canonico Virorum inſignium, de illorum egregiè perpetratis.* *Lib.* jv.

SIL-

# SILVESTER CIGNVS VICENTINVS.





NICVS Canonicorum Regularium Ordo æquatis vna incommodis, atq; vtilitatibus lætatur inter quaslibet Deo militantium in Religione familias suorum hoc honorefiliorum,quod ad sacerdotia quæcunque (Beneficia dicunt) siue curam animarum habentia, siue simplicia sint, etiam si dignitate cumulata, promoueri possint ipso vno suo institutionis iure. Quippe secluso omni priuilegio, & legis fictione Clerici cum suapte natura sint, qui ab exordio nascentis Ecclesiæ sacræ administrationi fidelium præfuerunt, & nunquam reciso tramite in ijsdem functionibus exercendis perstiterunt; in melius reformata aliquando laxiore vita non modo ius ipsum hæreditarium sibi retinendum cēsuerunt, sed & iuris etiam animam, executionem: hac tamen sibi professionis præscripta formula, quam in reddendis substantialibus votis solemniter adhibent, Et quod nunquam absq; licentia Capituli Generalis dictæ Congregationis, vel eius auctoritate fungentis aliquod cum cura, vel sine cura beneficium acceptabo intus, vel extra Ordinem nostrum, renunciando omnibus iuribus, priuilegijs, & consuetudinibus in contrarium mihi competentibus, vel quomodolibet competituris. Æquatis, inquam, vtilitatibus, & incommodis: quoniam quanti euidentius præstat in ea Sacerdotiorum assignatione cæteris Regularibus, qui nisi Principis Sacrorum indultum intercedat, inhabiles sunt ad ea obeunda; tanti proximius sentit incommoda, dum ijs operarijs destituitur, qui translati ad priuatarum Ecclesiarum rationes habendas vniuersæ ipsi Congregationi mereri stipendia desinunt. Ideo patulis semper foribus ad alteros inter vlnas excipiendos, in pectoreq; fouendos ingressores, veteriq; militi, & exercitato nouum substituere fermè cogitur damno non ita satis explicabili, sed charitatis tamen exercitio nunquam intermisso. Insuper quicunque assumuntur æmulantur quidem meliora charismata, & arduo incumbunt regendarum animarum exercitio ipsis etiam angelicis humeris formidando; at frequenter, qui credita quinque talenta habent nisi in duobus operantur. Innotuere isthæc ex parte in Siluestri Cigni Vicentini sat claro rerum procursu, cum abductus ex Canonico cætu opem præstantissimam licet ex animo, & non obscurè impenderit; tamen ferè sub

modio

modio lucerna posita, quæ super candelabrum prostare debuit, angulo vix debili splenduisse obijci potest. Inter Vicentinos Ciues genitores habuit pietate, & religione, quam fortunæ bonis clariores, quibus natus est fratrum plurium postremus, anno nono post millesimum quingentesimum. In valido rerum discrimine, perq; multas vagantis fortunæ vicissitudines vsque ad annum sæculi trigesimum secundum, ætatis vigesimum tertium perseuerauit inter laicos non satis sibi, cæterisq; suis de vitæ genere constans, qui aliquando militare cingulum præcinxerit, aliquando togæ inducendæ studuerit. Ambiguum enim animum in diuersa discerpebant, quæ varia pro tempore obijcebantur titillamina nunc melioris inducendæ conditionis, nunc opulentioris fortunæ, nusquam tamen futuræ vitæ cogitationibus implicatus. Quippe de coętaneorum more neutiquam vltra præsens extendebat lumina, & se rapi permittebat ab vetere ciuitatis genio, quæ iuuentutem alacrem, si qua alia vsquam alibi floreat, nulli rei occupet, & sibi soli ad votum viuere satis licenter permittat. Eò verò ætatis prouectus per vberem Dei præuenientis misericordiam ex periculo quopiam ereptus extremo, vt illud atque similia in posterum pro conamine eluctaretur, Patauinis Lycei exercitationibus, quas in speciem tantummodo adibat, ultimas impertijt salutationes, ut salutem sibi alio quereret. Post breuem aliquorum mensium negotiationem deferuntur eius uota concepti Ordinis, & idoneitatis testimonia ad Synodum Placentinam, ac Iosepho à Naue Veronensi Primum Consule exauditur. Cum recepto clericatu mores apagesit ueteres ea cordis stabilitate, quæ absimilem à se ipso reddiderit uirum. Vno humilitatis intuitu distulit sacerdotij gratiam ad annorum hebdomadem facta sibi per proceres dilationis facultate, quibus diferendi rationes non improbarentur, dum cætera eius uitæ in eiusdem uirtutis studium conuenirent. Hinc compos fit una, eademq; temporis compage duplicis ornatissimi serti, Sacerdotalis, atq; Prædicatorei coronatoribus Friderico Cornelio Antistite Patauino, & Gabriele Arboreo de Gattinaria nostris Tertium iura dicente. Primum uirtuti prospiciendæ theatrum Cremonam maiores assignare, ut in ædibus Beatissimo Cæli Clauigero nuncupatis uiam sibi ad immortalitatis terminum resseraret, abq; Padi cognomine loco indito auguratam sibi perspiceret aquarum doctrinæ ubertatem, potentissimumq; eloquentiæ flexilis, atq; rapidę cursum. Omine fęlici ita initiatus est pulpito, cum in eum unum audiendum uniuersa conflueret Ciuitas destitutis auditorio, si scamna eximas, & pauculas mulierculas, cęteris Euangelij professoribus. Mirum uideri poterat id in Vrbe populatissima nobiles suos in diuersa studia distractos habente, quorum sit in concinum opus alijs improbare probata, & ferri non semel hospites quocunque tempestas rapit. Sed hæc eadem apud Brixienses, Mantuanos,

Par-

Parmenses, Vtinenses, Mutinenses, penesq; alios præstita admirationem usu corrasere. In promptu plura essent, quæ posteritati meritò memorentur, si aut Historias texeremus, aut Annalium nos gloriosior prouincia impeteret. Vicentinorum suorum aures præ cæteris demulsit, animos in odia lapideos cereos egit, corda emolijt charitate operis, frequentia sermonis. Tenet apud eos concionem per interiecta tempora ad septem usque Quadragesimas diuerso quidem ab suggestu, at uno, eoq; iugi uirtutis, uitæq; tenore. Qui obsolescere solet ex nimia frequentia ecclesiasticus sermo in populis recentiora amantibus, ab Siluestri ore facundo in nouas formas nouus per quoslibet annos delibatur. Fœtus in annos singulos ex eius promptuario erumpebant nouem ad minus mensium interiecta die in utero mentis ad maturitatem portati. Hinc dum parturit tanta feracissimè, cedit illi Præpositura Leguzzana Diuo Martyri Vito nuncupata mixtione quapiam Iure Patronatus & Resignationis, cui subdere colla lubens cogitur. Cogitur tamen, qui de nostris deserendis aciebus neutiquam vsque tum cogitarat. Cogitur ne præiudicium inferat Iure patronatui, ne præpostere abutatur resignatione ferè extemporaria, saltem intempestiua in pernicem antiquioris iuris, in eumq; translati dominij. Per ingentem displosionem imperij hinc inde pulsantium Procerum ex Romana aula, & ex patritiorum Venetorum ordine Rector Generalis animum inclinarat ad faciendam viro acceptationis facultatem, dum nullis rationibus flectebatur, vt tam frugi operario carerent nostra vinea in exitiū vindemiarum defecatarum, viniq; salutis. Est Vitana illa Præpositura satis ampla, & nobilis in diœcesi Vicentina, quæ summo sui beneficio non Rectorem Præpositum, sed amantissimum in Siluestro parentem adinuenit, ex cuius solertiæ munificentia innouari se sensit tam interiore subiectarum animarum emolumento, quam exteriore collabentium edificiorum munimento. In ipso autem Præposito satis innotuit, Diligentibus Deum omnia cooperari in bonum, Semitamq; iusti rectam esse, rectumq; callem eius ad ambulandum: vnde & illud effari ipse poterat, In semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Quandoquidem loco à Ciuitatum frequentia semoto, vitæq; conditioni animum ita composuit; vt nouis indictis mori suo, atq; genio regulis traduxerit Canonici dogmata instituti ad solitudinem antiquis ab illis Ægypti Patribus exornatam similiter excolendam. Officium verò Ecclesiastis in diebus quadragenarij iejunij nullo vuquam iuterponi tempore sibi decretum est ex Romana largitione, cnm alioqui mens eius pauida minus auderet ab commisso grege per non grande illud spacium seiungi, qui residentiam de iure Diuino esse satis profiteretur, atq; in oganniente dicerer se lætè pauere, quia legerat Beatus vir, qui semper est pauidus. Primam autem Sedem liberalem eò

facilius

facilius sensit, quod satis constaret quanti benè cederent labores clarissimæ illius per vniuersam Italiam prædicationis, quodq; illo inscio facultatem huiusmodi alij intercesserint, quibus iuuaret concionantem audire, reluctantemq; Vicentinum Antistitem superare. Hinc ab anno ætatis trigesimo primo vsque ad sexagesimum sextum indesinenti missione Euangelium annunciauit in soliditate doctrinæ, omniq; secluso fuco. Extorrem se fieri ab sacro opere permisit solo ipso ad decrepitatem declinante senio, quando scilicet vox fractior, viriumq; languor mentis, atq; memoriæ constantiam viridem vltra imitari, aut sequi nequirent longa die sensus extimos labore collisos hæbetante. Ex plurimis eius lucubrationibus solum superest Annuale, (quod dicunt) cōciones nempe in omnes dies anni Dominicos. Item conciones de omnibus Sanctorum Solemnitatibus, Atque Tractatum de Purgatorio, deq; Suffragijs mortuorum aduersum moderniores hæreticos Italicè, quæ vniuersa Hippolyto Cardinali Atestino nuncupauit. Decessit ex stillicidio anno primo octauæ suæ decadis plenus dierum, atque meriti. Sunt igitur ab eo,

*Sermones Prædicabiles in omnes anni Dies Dominicos Italicè. Venetijs apud Georgium Angelerium Anno* 1575. *Lib.* 1.

*Sermones Prædicabiles in omnes anni Sanctorum Festiuitates Italicè. Venetijs apud Georgium Angelerium Anno* 1575. *Lib.* 1.

*Tractatus de Purgatorio, & de Suffragijs Mortuorum aduersum Moderniores hæreticos Italicè apud eundem eodem Anno.* *Lib.* 1.



SIX-

# SIXTVS DE RHENIS CREMONENSIS.





MNINO' meritam sedem hoc loci sibi uendicat non nisi summa iniuria abijciendus Sixtus de Rhenis Cremonensis, qui inter Orthodoxos illos Sacrę Tridentinę Sinodi Patres sedem tenuit Theologus, & Abbas. In triumuiratu illo, quem Lateranensis Congregatio eo loci transmisit, iunior quidem ille cæteris ætate erat, meritò nihil inferior. De Ricchardo Vercellēsi Abbate Prę uallis, atq; de illius doctrina, ac meritis sic testatur Hercules Gōzaga Cardinalis summus eiusdem Concilij Præses in epistola illa quam ad Ludouicum Grauinatem Tridento scripsit, Accepi literas tuas Idibus Februarij Romæ datas, simulq; orationem tuam Patribus, qui in sancto Tridentino Conuentu nobiscum sunt, missam: quam nonnullis doctissimis viris legendam dedi, præsertim autem Ricchardo nostro Vercellensi, veterano Ecclesiæ Catholicæ militi, & summo, vt tute scis Theologo, &c. De Paulo Pelatio Laudense superius rem habuimus, nunc remanent de Sixto paucula ex multis libanda. Comparat ille sibi famam illustrem inter præcipuos ætatis illius Ecclesiastes per annos plusquam viginti in præcipuis Italiæ Vrbibus concionatus. Singularis in eo habebatur dictionis candor exquisitus, nullo flore pullulans, nullo artificio, nullisq; fucis illinitus. Fluebant verba sinceritatis Apostolicę nuncia de corde puro, & charitate non ficta simpliciter quidem sed castigatè, solummodo doctrinę robore firmata, & tanta facilitate expressa, vt vel à minimo quoq; perciperentur ad intimiorem vsq; medullam. Totus in conuellendis vitijs erat sudore vtiq; per omnem concionem madens, atq; stillans, acris in repræhendendo supra quam referri possit, vt fulmina, & tonitura ciere videretur eloquio potentissimo, nunquam verò nimirum concitata actione. Res terrificas mortis, inferni, iudicij, turpitudinis peccatorum, seueritatis penæ ob oculos obijciebat plusquam pictorio, plusquam sculptorio more, ita vt auditores sæpè horrido terrore tabescentes dimiserit, semper tamen admirantes, & robur indefessi pectoris firmissimorumque laterum inter naturæ dona suspicientes in tonitrui modum. Inter naturæ dona dictum est, ne dona gratiæ comprehenderemus, quorum mirifica virtus altiora petebat cacumina, & firmioribus

inhęrebat fundamentis. Gratiæ, inquam, quæ pectora viuifico igne sic excoquebat, vt armoniæ, concentusue Cæli symbola quædam circumferre iudicaretur. Hæc direxere educationem, secundum quam à teneriori bus inchoantis adolescentię annis ad nostrum vitę institutum formatus est. Hæc coronauere labores scholasticos, hæc virilitatem fructibus veræ virtutis cumulauere. Charitas vniuersa complectens, probitas cuncta ędificans, scientia omnia dirigens, dona in eo gratiæ fuere, ad quæ nulla naturæ, artis nulla attingere quibant adminicula. Conducit profectò summopere ad sacri oratoris auctoritatem conciliandam, & amplificandam, si populus illum agere credat quæ docet; sed multò verius conducit, si illud idem orator ipse teneat, agnito id ex Numinis munere, atq; verè præstet. Quippe vbi facta verbis concordant, adstipulanturue, nil imperuium, nil inaccessum reperitur. Ipse verò ima de se sentiens magnalium patrator à teneris ipsi vngunculis suauissimo iugo Domini colla subiecit, per quod vitulus verè saginatus arua Sanctæ Ecclesiæ excoluit ad omnem frugem. Proficiebat è suggestu apud populos, proficiebat è cathedra apud auditores Concanonicos, proficiebat & ex sede Prælationis; vt viro alioqui debili, & aduersa valetudine frequenter tentato horæ, ac dies noua nouis ingererent, ac pararent. Priusquam ad Canoniarum præfecturas esset assumptus nouenni curriculo reddidit scholaribus, quod scholaris ipse ebiberat Sacræ Theologiæ, Naturalisq; Sophiæ. Neque tamen obstabant hæc ex animo laboranti in vinea Domini, quin ad magni ieiunij dies verba faceret florentissimis Ciuitatibus. Cum ad Tridenti Congregatum Senatum totius Ordinis nomine destinatus est, Abbatem gerebat Sancti Bartholomæi Pistorij. Inibi causæ communi totius Orbis Christiani, & particulari totius Canonici Dogmatis profuit multiplici argumento: ac in arduis enatis dexteritate honorifica vsus, & Sanctos illos Proceres, & Romanam Curiam laudatores habuit, quod ex causæ exitu per decretum Pontificium ad nostra iura terminato coniectare, uel minus peritis pronum est. Semel, ac iterum publicè ad vniuersos præstantissimos Patres, ad omnemq; pium populum concionatus est in die solemni Omnium Sanctorum, atq; die tertia Decembris anni sexagesimi primi supra millesimum quingentesimum pro promulgatione Iobęlei per summum ipsum Hierarcham concessi ad felices eiusdem Concilij exitus deprecandos. Atq; hæ ipsæ illæ duæ conciones sunt, quæ postmodum editæ Mantuę, ex tam diuite ingenio solę posteritati remanserunt; insignes illę quidem, & quę omninò demonstrarent Auctoris sanctimoniam, & eruditionem, sed paucissima prorsus monumenta, vbi tot collata erant munera. Animum à calamo futurorum seculorum alienum habuit, nostra potiusquam sua infelicitate, dum præsentibus secundum hominem incumberet in Congregatione. Euehebat enim illum benè

grata

grata parens ad omnem sui dignitatem, tum vt viri merita compensaret, tum vt eius solerti opera vteretur in publicarum munerum functionibus, sternebatq; viam ad supremam Ordinis Pręfecturam collata Visitatoratus dignitate de anno 1570. assecla pręstantissimo Marco Antonio Bagaroto Generali. Cum verò illo in munere per manum Papalem Sacra Tyara redimitus esset honoris, ac pręmij testimonium Episcopus Carinulę, tum demum se totum relinquendis lucubrationibus composuit, & illis quidem ingenio suo dignis, in Epistolas Doctoris Gentium vniuersas luculentissima Commentaria, & Quęstiones pręclarissimas ad morem scholę texens, at serò nimium, cum vix illis in molem digestis, & necdum sub secundam incudem reuocatis de ergastulo infelicis carnis huius ad meliora sęcula translatus est. Vixit in Episcopatu ad annos septem, quos fœcundissimos reddidit commisso sibi gregi omnis pastoralis solicitudinis, & amoris, pręsertim circa pietatis officia in pauperes, in infirmos, in debiles. Concilij ipsius decreta ad praxim summa vigilantia reuocauit, iuuitq; populum prouentibus Episcopalibus vsque ad vltimum quadrantem. Cultum Ecclesiasticum prouexit, templa, & exteriora, & interiora verbo, & exemplo reparauit. Summè desideratus, & optimo odore innocentissimę vitę decessit non planè senex. Sequentia igitur eius calami sunt.

*De Solemnitate Omnium Sanctorum Concio habita ad Patres Tridentini Concilij. Mantuæ apud* Lib. 1.

*De Publicatione Iobælei Concio ad eosdem Patres. Mantuæ apud* Lib. 1.

*In omnes Diui Pauli Epistolas Quæstiones, & Commentaria manuscripta imperfecta.* Lib. xjv.

# STEPHANVS BVRONTIVS LVCENSIS.





REVEM hanc persoluemus commemorationem Stephano Burontio Lucensi, ne voluntarij præterijsse videamur etiam illos, quorum & si pauca supersint operum proprij ingenij in posteritatis eruditionem; tamen bono consilio ducti vt præsentibus, coetaneisq; suis aliqualiter inseruirent, alienorum operum cussionem curauerunt, & pro viribus promouerunt. Non enim inutiliter annos transegisse censendi omninò sunt, qui laborem suum honestè locauerunt, & optime de propriæ Vniuersitatis curando beneficio censerunt. Eo autem maximè hoc loci id ab beneuola posteritate promeretur Stephanus, quoniam alioqui constat virum illum eruditum extitisse, & in vinea Domini horas suas verbi prædicatione absoluisse. Declinabat iam iam Congregatio Lateranensis in secundæ annorum centuriæ consumationem, ex quo Frigdionariæ iacturas Ordinis reparauerat, nec tamen Leges eius (quas Ordinationes, seu Constitutiones dicimus) publica lux aliqua excipiebat. Modestissimè enim de se ipsa sentiens bonorum gaudebat conscientia operum, nec vltra quidpiam præclarius de se opinari ab extraneis satagebat: neque rebatur pauperem Acaiam suam cuipiam adiumento esse posse. Laborauerant quidem primi illi optimi, sanctissimiq; Patres Leo de Carate earum primus Auctor, & post eum Paulus Maphæus, vt in vnum corpus compingerentur, nec irrito opere: & saluis substantialibus per tot generales Synodos cum temporum vicissitudine aliqualem varietatem receperant, quoniam ipsa dies diei verbum eructans, & nox ipsa nocti scientiam indicans experientia duce, ac magistra ita fiendum laudauerant. Verum ab anno quinquagesimo tertio inchoatæ Reformationis illibatæ permanebant ex decreto Capituli Generalis Bononiæ congregati, nec tamen speciosa lucis publicæ vsura frui permittebantur. Horum igitur vices miseratus Stephanus illas primus per typographicam publicæ commoditatis facere perexpeditus aggreditur. Rem in hæc verba describit præfationis loco Augustinus Angelinus Brixiensis, Cum non parum damni, ac dedecoris maiestati legum sit, quæ tot lucubrationibus, totq; vigilijs ad mortalium omnium vtilitatem latæ, conditæq; sunt, suo priuari lumine corrusco, cartulisq; tantummodo

manu

manu, ac calamo inscriptas detineri; ob id Reuerendus Dominus Stephanus Burontius Regularis Diui Augustini Canonicus, ac verbi diuini Prædicator Catholicus Canonicorum Regularium Leges has, siue Ordinationes tot retro sęculis à Patribus ipsis ad eorum obseruantiam, salutemq; ęditas, manuq; tantummodo, ac calamo inscriptas impræssione firma stabiliri, ac decorari voluit, imprimiq; fecit Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo, mense Decembri, Vale, & ora. Vtrum verò opus id ille priuato suo iure præstiterit, vel ex decreto, auctoritate, aut permissione publica Congregationis, nobis adhuc ignotum remanet. Hoc certè constat easdem Leges post annos quinque Cremonæ fuisse recussas ab Vincentio Comite sub eadem omninò forma, & sola superius allata præfatione dempta. Vtcunque, zelus vtiq: in viro laudandus, quo monitore & si ipsum prius, & alios deinde exemplo permouit suo ad volumen emittendum, vt indepto inde decore acuratius insisterent Canonici in rerum decretarum, omnibusq; cognitarum obseruatione. Quantum coniectari ex publicis tabulis potest Rempublicam nullatenus attigit, siue id ætate, siue studio recusante. Vno concionandi, & confessiones excipiendi munere contentus cogitationum suarum omnem industriam in eo posuit tanto felicius, quanto laboriosius, quantoq; magè procul ab inuidentia omni, atq; ita benè vixit, qui benè latuit.



STE-

# STEPHANVS SERVA CREMONENSIS.





OBILE, & incorruptum Diuinæ virtutis Gloriosissimi Vbaldi Iguinorum Ciuis, Episcopi, & Protectoris testimonium est, quod tot, tantiq; illius Sanctissimam vitam, innocentissimaq; Acta scripserint; & tamen floreant in dies iugiter, qui ad illud idem se præstandum recenter accingant. Ea namq; arguitur esse eius hauriendæ notitiæ populorum sitis; vt neque scribentes plurimi, neque in millia volumina disseminatæ lucubrationes eidem facere possint satis: & ea insuper esse deuotio scribentium, vt de ipsis fiat, quod de Arabico narratur alite, Fenice, vt innouentur, & velut ex cinere suscitentur per annos, & sæcula. Perfecere id Beatus Theobaldus eiusdem Ciuitatis Episcopus, Diuoq; Syncronos, Franciscus Vandinus, Petrus de Natalibus Antistes Equilinus, Laurentius Surius, Iacobus de Voragine, Ioannes Andreas Palazzius, Baldus Angelus de Abbatis, Federicus Falcuccius Comes, Michael Angelus Eugenius: & ex Canonico Dogmate Hieronymus Giordanus, Stephanus Serui, Augustinus de Nouis, Augustinus Nouariensis, Gabriel Flamma Præsul Clodiensis, & Carolus Oliuerius. Mediam autem huiusce falangis aream, veluti signifer Stephanus hic, de quo scribimus, tenere, fortisq; stare dignoscitur siue tempore, siue professione, & modo. Desierat mortalis esse post annum vitæ laboriosissimæ octuagesimum quintum Sanctissimus Pater Vbaldus Anno 1161. Gregorio Septimo Pontifice: & in Apotheosin Diuorum relatus post trigesimum primum annum à decessu per Celestinum Tertium Papam Anno 1192. deinde post biennium Anno 1194. Translatus miraculosè extiterat ab Cathedrali Sanctorum Mariani, & Iacobi ad Ecclesiolam, seu Oratorium Sanctorum Geruasii, & Prothasij super montem positam, quæ deinceps ab eodem Gloriosissimo Præsule nuncupari cœpit; cum transactis ab eadem translatione Annis 318. ex voto Francisci Mariæ Primi Ruuerei Monferetrani, & Elisabethę Coniugis, atq; Eleonoræ Socrus Gonzagarum Ruuerearum Monferetranarum Ducis, & Ducissarum Vrbini, parua eadem Ecclesia, seu Oratorium per vnicum tantum Sacerdotem amouibilem gubernata in ius, & potestatem Canonicorum Regularium Lateranensium plenè, & omnimodè ascendit, atq; deducitur.

Quip-

Quippe cum eiusdem Ducis causa super homicidio per illum in personam Francisci Alidosij Cardinalis Legati perpetrato ex causis grauissimis (de quibus apud Historicos) Romæ discuteretur, Iulius Secundus Pontifex, cui ex Fratre Nepos attinebat, in grauissimum, repentinumq; morbum incidit, de cuius desperata salute prorsus Medici quique dixere. Quare Franciscus Maria Dux sibi in Castro Sancti Angeli constituto plurimum timens, deq; Patrui vita sollicitus, & duæ Principes illæ vtrorumq; timore, affectuue excitæ, ad Diuini Vbaldi patrocinium supernaturale confugientes, Deo vitæ, mortisq; Domino votum vnanimes conceperunt, expresseruntq; tametsi loco dissiti; si precibus, intercessioneq; Diuini illius Summus ipse Sacrorum Antistes pristinæ incolumis redderetur saluti, Ecclesiam Sancti Vbaldi Collegio Canonicorum Regularium Lateranensium à se erigendo, & de bonis proprijs pro conuenienti Canonicorum numero dotando concessuros, atq; vt in illorum proprietatem cederet curaturos; quod & postmodum Pontifice restituto, & consequenter Duce liberato, integre pro tempore præstiterunt, expedito ad eorum officia, & supplicationes illorum, quorum intererat, beneplacito, Pontificiaq; sanctione perenni. Deduxit nouam Coloniam circa Idas Nouembrias Anni 1512 Hippolytus Ferrariensis primus Præpositus constitutus, commilitonibus, Euangelista Brixellensis, Augustino Ariminensi, Marco Cremonensi, Augustino Spoletano, & Tito Ferrariensi Sacerdotibus. Verum dum isthęc geruntur cum Regularibus Lateranensibus, biennio vix transacto Cathedrales Canonici Eugubini, qui à primęua institutione ad eam vsque diem Regulares extiterant, & ante annos penè quatuorcentum ab eodem Sanctissimo Vbaldo reformati, in Seculares Canonicos transiere, exorato Leone Decimo, vt super Regula cum eis dispensare dignaretur. Quin vt gradatim res siue bonæ, siue malæ procedunt, adhuc biennio decurso, Anno videlicet 1516. capta occasione ab bellicis tumultibus inter eosdem Leonem Papam, & Franciscum Mariam Regulum super eiusdem Ducatus possessione vigentibus: Regulares eosdem Lateranenses Canonicos facto impetu violenter ab noua Canonia pepulere: & nisi populus Eugubinus vocato Generali Conuentu concorditer armata manu obstitisset, actum à Lateranensibus de possessione erat, tametsi Cathedrales illi, dum adhuc Regulares erant, assensum istis super eorum accessu præstitissent. Protexit etiam super huiusmodi violentia bonum ius Lateranensium Episcopus Verulanus Vrbini Præses per Commissarium ad id deputatum, quo mediante ij redintegrati, illi omninò cessere. Porrò inter hæc, & circa ea tempora inter præcipuos operarios, qui à Lateranensium annuis Synodis de proprio cœtu conscripti fuere ad eam Coloniam pro viribus prouehendam, & illustrandam, adq; maiorem Dei in Diuo Vbaldo gloriam prolatandam Stepha-

phanus Serua Cremonenſis extitit. Hic iam confirmatus diſciplina, iamq; fortis robore, ac per ſatis multos annos in ſua vocatione vtiliter militans inter triarios, facta Dogmati Lateranenſi Canoniæ acceſsione, in ea aſsignari poſtulauit. Quippe præcipua in Diuum Vbaldum deuotionis propenſione affectus, tanquam iubar Ordinis ſplendidiſſimum, iamq; internè ſe propelli ſentiens, tam ad ſanctiſſima eius veneranda pignora, quæ ibi & integra, & palpabilia, & fermè vegetantia aſſeruantur, quam ad ibi aliquid ei præſtandum peculiaris obſequij; omnem mouit lapidem, vt nouellos inter accolas enumeraretur. Locum plurimi comprecabantur, quos nec montis aſperitas, nec acceſſus, receſſuſq; hyemales, æſtiuq; difficiles, nec rei familiaris egeſtas, nec emendicatus ex parte victus, nec arcta pro ritu Canonico habitatio deterreret. Ibi totus ſe dedit laborioſo, iugi, maximèq; arduo exorcizandi energumenos exercitio, validæ, efficaciſq; charitatis pleno, per quod & Vbaldi Sãctiſſimi interceſſio proficua apud Deum eluceſcebat, & Ordinis Canonici vtilis diſciplina, ſpirituſq; pinguedo commendabatur. Multitudo autem languentium, & infirmorum cuiuſlibet generis eò magè confluebat, quo maiore ſuſtinebantur ardore charitatis, & virentiore ſpe, atq; fiducia: quæ inde accipiebant progreſſus, & incrementa, quod perennes cernerentur reſtitutæ ſanitates, & quod (ad animum) melius ſemper ſe habentes redirent vniuerſi ad propria. Ipſe ſtatim ab inchoato opere eminere ſuper alios collaborantes cæpit Canonicos, quia pro ea gerenda omninò prouincia præ omnibus factus videbatur. Ætas, doctrina, hilaritas, ſolertia, firmitas virium, ſobrietas, viſq; compaſsiua, quam miſerationem dicunt, ac Zelus animarum explicabantur catheruatim vnitæ in viro: quin & paucorum menſium exercitatione aquiſita experientia ſuper Dæmonum artibus verſucia falacia, tecnis, cum cæteris quoddammodo præambulum conſtituebant præceptorem, qui conſtantia verè Sacerdotali, & imperio tutæ fiduciæ pleno totam aduerſantium poteſtatum, rebelliumq; ſpirituum perrumperet obſtinationem. Alia loco facta facies eſt annorũ ſex ſpacio ab acceſſu, dum pro vnico ſæculari præbytero ab alieno nutu pendẽte tot ſtrenui, decertant pro Dei, Diuiq; gloria: ij quidem in moderandis Præpoſituræ, gubernijq; habenis, illi in promouendis fabricis, & conſtructione, iſti in curandis, ſolandiſq; miſerrimè afflictis, deſolatis, atq; vexatis, omnes demum in vnum coſpirantes, ſacrificijs, oratione, ieiunio, diſciplina, atque ſacrę ſynaxis, ſacręq: omolegeſis miniſterio. Et licet aduerſis pluribus impeterentur: non expugnabantur tamen: ſed uelut aurum in camino depurabantur: addebatq: uires ipſa tribulatio, & apud populos confluentes experimento probabatur, quanta Religio eſſet, quę tales operarios ſanctè efformabat. Ipſe Stephanus auctus undique talentis, & animo, primum gratias adnotare, & mira, quę in dies

ad

ad Sanctisſimi Patris Vbaldi intercesſionem ibi fiebant, in commentarios redigere cœpit; deinceps ad augendam magis, ac magis inter fideles deuotionem, atq; ſpem, Vitæ illius conſcribendę manum admouit. Exercebat vires mira cordis teneritudo in Diuum, & in illi deuotos, vt ſcilicet honorificaretur Deus in gloria iſtius, & in iſtius glorificatione illi bona pariter & animæ, pariter & corporis indipiſcerentur. Diligens, asſiduaq; perueſtigatio in eius manus deduxit Opuſculum, quod de eiuſdem Beatisſimi Patris Vita eodem penè ſuperſtite conſcripſerat Hieronymus Iordanus Canonicus Regularis, Priorq: Cathedralis Tifernetis, cuius pręambula luce prę cæteris ſecurius inceſsit. Vt autem latius prodeſse valeret, qui debitor ſapientibus, & inſipientibus eſse cum Apoſtolo profitebatur, taurus altari victima, currui vector, in vtrunque paratus Latinè, Italicè ſcripſit. Vices enim miſeratus eorum, qui Tranſalpini, ſiue ex Gallia, ſiue ex Germania accedebant, longam dimenſi peregrinationem ſanitate reſtituta, repedantes in patriam ob idiomatis exteri ignorantiam nequirent liberatoris, benefactoriſq: proprij celebrare actus, ac merita vitæ: ea vna latinę linguę pręſcriptione illis opportunè ſubuenisſe bonum habuit, & exitus approbauit. Laudat autem vtranq: hanc editionem Michael Angelus Eugenius Eugubinus in ea, quam & ipſe euulgauit Sanctisſimi Patris Vita Romæ anno 1628. Scripſit ergo Stephanus

*Vitam, Gratias, & Miracula Sanctisſimi Patris Vbaldi Epiſcopi Latinè, & Italicè, quæ cuſſa fuit Parmæ Anno Domini* 1519.

# SYLVANVS MAVROCENVS VENETVS.



IGNVM, quem omnium Religionum vota optent in Ciuem Syluanum Maurocenum Venetum non prętereo. Hic ex vetusta Nobilitate Venetorum Optimatum inter negotia eductus, lętum animum, rebusq; maturum disciplinis, ac solertia impleuit. Cumq; accederet auitæ opulentiæ congeries omnes honestatura dignitates ex patria Republica; elegit tamen iuuenis Dei, ac Superum muneribus se mancipare. Verum paulò tardius, quam & ipse voluisset superpelliceo caput imposuit, quod nostrum alacria suffragia illi cum lanugine destinauerant præpeditus nunc morbo, nunc consanguineorum impotentia. Sed ad gloriam fuit locum prius mereri, quam habere superatis nempe, ac fractis animi constantia impedimentis, omniq; remora tandem sublata. Celsus Mapheus Veronensis Rector Generalis Primum sententiam in quam iere, & reliqui pro illius Canonicatu dixit, cuius & exemplo, ac monitis pellectus pridem fuerat ad contemnenda terrena. Et quanquam splendido cultu, atq; perquam profuso patrimonium diuexasset sæcularibus distentus curis; tamen adeo se sobrijs instrui passus est documentis, vt præclarè secum agi diceret, quoties vilius à reliquo Canonico exciperetur. Rudimenta Canonicatus posuit qualia illam decebant ętatem, qualia ferebat illud sæculum districtiori disciplina seuerius agens, & clarius eminens, abhorrendo ab esu carnium, linum adhibendo corpori in solo superpelliceo, in reliquis laneo stamine crassius membra contegendo vigil, ac dormiens. Quo genere vitæ confirmatis membris quidem leniter, ac delicatè prius educatis, sed magè roborato spiritu, atq; acrius erecto in Deum, ac proximos animo, labores amplexabatur, quantumuis validos longè tamen seipso tanquam minores. Non perfrequentes abstinentię, ac ieiunia, non iuges vigiliæ noctis, non inclemens obedientiæ iugum, non acerbius vrgens, vt tentaret, imperium, non studia longiora æquabant sitientem, esurientemq; macerationis mentem. Exorbebat vniuersa Superis, hominibusq: beneplacens anima, & illis vtebatur tanquam catechismo quodam ad vtiliorem vlteriorem formam vitæ. In dies augebatur lumine almifico per rutila probitatis, & doctrinæ, quo se plenius intueretur intimè, & alijs extimè patens fieret:

atque ideo ad candelabrum admotus eſt præfecturarum inter ſuſpiria quidem, ac gemitus priuatæ quietis peſſundandæ; dum alijs viuere compelluntur, ſibi emori, qui præſunt. Minoribus non diù inſidet gradibus Antiſtes priuati domicilij, ſed Bartholomæo Placentino infra annum cenſoratus ad fata meliora euocato ſubſtituitur Viſitator. Dignitati eidem poſt quartum reponitur annum, atq; bis deinceps, ſicq; Quartum geſto graui magiſtratu Rector Generalis renunciatur anno ſexto ante ſeſquimilleſimũ, atq; Secundum anno deinceps quarto. In præſulatu animus illi ſimul hilaris, & ſeuerus prout in virtutes offendit, aut vitia. Muſas autem, quia eum dilexerant in iunioribus annis, adeo in ſumma fortuna non deſpexit, vt ſępè eas admitteret in ſecretum, referretq; deinde ameniſſimo ingenio, quæ illę dicerent. Itaq; ad eum tanqnam ad Apollinem conueniebant, quos alta, & innocens laurus ſuperueheret vilibus mortalitatis curis. Cum poſt primam cenſuram Portuenſis Deiparæ ædibus fuiſſet præſes reſtitutus egregias nactus occaſiones virtutis, ac doctrinæ ſimul exercendæ, ſimul oſtendendæ; vtriq: miro ſatisfacit modo. Tenuerat eandem ſedem anteceſſor immediatus Matthæus Boſſus Veronenſis vir omni commendatione maior, qui grauiſſimis vrgentibus cauſis, ac præceptis dominantium ſitum in Ciuitate coemerat ad nouam Canoniam in ea extruendam. Sed præſtat (vt integrè res habeatur) fuſius aliquantiſper digredi, vt ab ipſo ſuauiloquente Boſſo rem habeamus Epiſtola ſeptuageſima nona Secundarum ad Ioannem Philippum fratrem. De transferendo, inquit, in vrbem cœnobio ſollicitamur inſtanter, & ad metandam omnem fabricam, & reponendam delectus eſt nobis ſitus amœnus quidem,& liber vndiq; atq; ſuſiſſimus, & ſuper omnem Vrbis partem eminentior, atq; ſalubrior, vbi nulla ex pluuijs, niuibus, ac tempeſtatibus moretur illuuio, & putealis aqua vlla neq; ſit infecta ſalſedine, cæterum dulcis, & hauſtu ſuauis. Interim inchoatam in Portuenſi Canonica fabricam, & quæ pinnatiora eo in loco ſe tollunt, longèq; viſuntur, demoliri iubemur, quod fratrum pleriq; viſuri non ſunt ſine lachrymis, quanquam non paruo fortaſſe id in beneficio (vt ego arbitror) futurum ſit noſtro. Præſtat enim interdum cadere, quam ſemper pendere, & mori ſemel,quam certè quotidie. Adde quid eſt malitiam peſtilentis aeris fugere, quæ ęſtiuo toto, ac autumnali nos tempore conficit ex defluxu fluminum, quę ſe pelago infundunt, & miſcent, & ab ventis tandem, qui à mari in monaſterium flantes, aut enecant incolas, aut quidem eneruant. Sed hoc tibi frater perſuade, perſuadeant & cæteri homines noſtri; ſi rei iſti manum admouero, opus me inchoaturum, quod inſigni diſpoſitione, ornatu, indole, ac dignitate modeſta (ſi arrogare hoc mihi licet) omnibus ſit arriſurum. Hac ſanè de cauſa, quæ eſt

profectò non leuis coactus sum Rauennæ hac æstate persistere, cui nihil fuerat deliberatius, quam disposita domo repente secedere, & Cælum salubrius petere sic me hortante Generali Patre, & cæteris quibus videmur chariores. Hæc ille. Coemptam igitur patentissimam aream ab Bosso successor non minus sedis, quam animi, & conceptuum aggressus est amplissimam, verèq; magnificam structuram agere. Primum quem dicunt, lapidem exurgentis Canoniæ in honorem Virginis Dei Genitricis ipse fundamentis supposuit die per miraculum niuium in Exquilijs Romæ dudum immissarum claro, eidem Sanctissimæ Deiparæ sacro inter apparatus religiosi cultus magnificos, ac inter acclamationes, & piam totius Ciuitatis frequentiam. Quanta verò vrserit opus laboriosum solertia, ac contentione, vel ex eo innotescat, quod Hieronymus Contarenus Venetus successor quinto dehinc anno illac familiam vniuersam numero, & qualitate conspicuam traduxerit ab antiquo monasterio. Vt autem tutius, ac solidius incumbere valeret, ac præesse, quam struebat, moli, & ne totum se committere cogeretur vel imperitiæ minorum murariorum, vel audaciæ exteri cuiuspiam architecti, Vitruuio primum euoluendo se dedit: ac deinceps vt facilius se explicaret, & vt promptius sensa eius assequerentur operarij iuxta rectas, & antiquas emensurationes, ad eundem Vitruuium ex Latino Italicum reddendum mentem, manumq; applicuit impetu, constantiaq; imperceptibili. Nam qui diem totam post chori obsequia absumebat super coassationes, ac tabulata fouendis, emensurandis, ac partiendis rebus; nocturnæ vigiliæ infractus amplum Auctoris illius opus, & alicubi vix assequibile reddebat scripto in paginas vulgaris idiomatis, & calchographo ad impressoriam transmittebat. Vorax sæculum, & imperita barbarie vt plurimum adhuc laborans quingenta Operis absumpsit volumina, distraxitq; in Prouincias, & Ciuitates bimestri spatio, quibus postmodum non mediocriter inhæsere, qui secuti sunt Architecturæ illustratores benemeriti plures. Interea (vt non pariformiter sentimus omnes) adsunt ex ordine, qui sugillant egregios eius, atq; Bossi conatus tanquam recedentes ab antiquis primorum Patrum fabricis, quorum modestia, humilitatem quoq; commendabat structurarum, nec laxiores admittebat incolatus. Verum ipse in hunc sensum rem suam tutatus est, vt ex Italica præfatione in eundem Vitruuium innotescit. Maiores nostri res suas ad sæculi quale tunc erat genium curauere: nobis pro diuersitate temporum, in quæ incidimus, interdum pro salute est à mente eorum, & consilijs abire; vt & profanæ superbiæ putem vbiq; negligere auitam prudentiam, & absurdum reuerentiæ genus esse, quod nos perpetuò illorum institutis meritò iure alterabilibus velimus addicere. Et has igitur domiciliorum angustiores structu-

ras,

ras, quæ iam nobis non sufficiunt, ipsi rectis (vt arbitror) consilijs eduxere, & nos non minore solertia deijciemus. Quod verò non vbique eundem habuerit sensum, quodue non pari passu semper incesserit, habemus ex alia quapiam operum suarum significatione. Cum enim abdicato Supremo Magistratu, quem gesserat, aliquod ex potioribus Collegijs sibi præsto esset ad gubernandum de more legitimo; elegit nouam decem Canonicorum Coloniam ducere ad Treuianos in agro Spoletano, qui tum primum Præposituram Beatæ Virginis Lachrymarum Ordini contulerant, summisq; votis acceptationem exorauerant: vt in imminenti districtione paupertatis dura quæque illa perferret, ac pateretur, quæ debilia rerum omnium initia sequi, concomitariue solent; atque vt potiores alios proceres excitaret exemplo ad insistendum Congregationis propagationi, quæ validè pendet ex Optimatum ipsorum applicatione, coniunctisq; consilijs. Quamuis enim pleraq; obsisterent, ne fieret ad nouas huiusmodi sedes transmigratio; tamen consociatis studijs cum Ioanne Iacobo Cremonense Societatis apud Romanam Curiam Oratore corruerunt machinamenta, & inter gaudia, exultationesq; Treuiensium noui hospites obuiati, & penu per quinquennium sponso, ac præstito excepti sunt, breuiq; tempore Monasterium commendabile extructum est, in quo innouato spiritu ad Dei laudem, & populorum ædificationem floreret Regularis disciplina illectrix pietatis superuenientium benefactorum. Eiusdem quoque propagationis ardorem explicuit extra omnem mensuram, cum Secundum Generalatu functus proposuit erectionem Antianensis Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Frisa in Monasterium formatum. Quæ enim vsque tum coniuncta Canoniæ Tremitanæ tanquam eius membrum ab ipsa totaliter pependerat; nihil omninò agnoscens peculiaris beneficij periclitabatur vna cum prima illa Insulæ, quæ distincta in plurimas, valdèq; semotas partes, ministrorum numero, ac qualitate semper indigua consternata iacebat in huiusmodi membris. Hæc verò propositio quamuis auctorem tantum haberet, secumue plurima ferret commendationis argumenta, inuenit tamen in plerisq; contumaces animos, & mentis auuersionem præcipuam, specie quidem ne viderentur nouas perpeti consuetudines, alterandisq; rebus studere, re autem vera aliquid rectius præseferentes. Ideo perquam necessariò vrgeri se sensit Maurocenus illi æstui profitendo, adhibendisq; viribus ingenij illis, quas sartas extremis tantum volebat casibus. Quare collatis demum suffragijs obtenta seiunctio est, & proprius Abbas more cæterarum Canoniarum renunciatus Ioannes Baptista à Cotignola. Hæc priuata, hæc publica fuere viri inclyti studia, quibus Rempublicam digno conamine iuuit, in quibus dierum plenus

Obdormiuit in Domino circa ipſum Seſquimilleſimum. Præclaram viri memoriam renouare Veneti Patres in alio Syluano, qui Viſitatoratus magiſtratum geſſit anno quadrageſimo ſecundo poſt ſeſquimilleſimum ſub Pelliſſono Generali, quiue deceſſit Prior Sanctorum Quadraginta Taruiſij anno ſexageſimo ſecundo eiuſdem ſæculi.

Scripſit ergo

*Commentariorum Italicè in Marci Vitruuij Architecturam Libros decem. Venetijs Anno 1495. apud Antonium Tribium.* *Lib.* x.

Ex Auſonio Gallo translatum.

*HActenus obſeruata mihi lex commemorandi*
*Ciues ſiue domi, ſiue docuere foris.*
*Omnis doctrinæ ratio tibi cognita, quantam*
*Condit ſexcentis Varro voluminibus.*
*Aurea mens, vox ſuada tibi, tum ſermo quietus*
*Nec cunctator eras, nec properante ſono.*
*Pulchra ſenecta, nitens habitus, procul ira, dolus*
*Et placidæ finis congrua meta fuit.*



# SYLVESTER PICENARDVS CREMONENSIS.



IACOBVS Picenardus Syluestri nomen sortitus est, cum linum nostrum induit ad Sanctum Petrum de Pado anno octuagesimo sexto supra sesquimillesimum. Vixit iste vt citò moriturus, & peregrinantium exemplo accelerauit optimi operis pedem, vt noctem imminentem præueniret. Hinc quo temporis momento militiam Canonicam professus est, eodem dux insignis, ac strenuus vicit rebellantium sensuum pugnas, & sub præceptoribus præceptor condiscipulis mortificati hominis interioris, exemplarq; fuit. In alienam quoq; sequentem diem haud quaquam distulit scientiarum acquisitionem, sed simul, semelue Stagyritam professus, ac Lombardum, in illo Aphrodiseum, in isto Thomā illustratores amplexatus est. Septem annorum spatio stadium illud cucurrit, quo in Gymnasijs ordinis Naturalis Philosophiæ, Sacræq; Theologiæ arcana reserantur: & qui horam decipiebat non deceptus, præter lectiones, auscultatasq; materias proprio marte plurima lustrauit aliarum doctrinarum nullo commonstratore, præsertim circa Mathematicas, Astronomicasq; positiones, quibus Philosophia audita iuuaretur, atq; circa positiuam Sanctorum Patrum cælitus immissam scientiam, à qua Sacrorum Librorum expositiones absoluuntur. Pontificias sanctiones, maiorumq; placita ex Iure Canonico cursim peruolutauit; non tamen cursim impressit. Memoria enim prępolentem lectitata etiam per attentionem modicam adimplebant. In augustissima Canonia Augustiniana Placentiæ anno septimo ante sextumdecimum sæculum insignia sumpsit facultatis, qua verbum Dei esurientibus animabus ministrare legitimè posset, Sacrasue paginas interpretari Magister. Cathedræ assignato Gymnasium Cremonense Padanum permissum est, vt ex Logicis inchoato cursu vniuersam Philosophiam profiteretur, & Patria ipsa inspectrix esset, ac palestra nouis athletæ laboribus. In breui consummatus expleuit tempora multa cum triennis tantum in officio ex humanis decesserit summè desideratus ab omnibus vndetrigesimo ætatis anno. Scripsit pro doctorea Disputabilis Sphærę libros duos ad Hieronymum Bernerium Cardinalem Asculanum, in quibus probans scientias Supernaturalem, Physicamq; Sphęricas esse, neutram tamen se ipsa Sphęram integram

gram constituere; ex vtrisq; coalescere demonstrat. Prout enim Sphęra ex ętherea, & elementari parte constituitur; ita Sphæra intellectualis ex Theologia, & Philosophia compaginata remanet. Quoad elementarem quidem partem inferiora Philosophica continet; quoad æthereàm vero superiora Theologica, hoc ordine mirabiliter applicato, vt Ecclesia vniuersalis stet pro Orbe Lunæ, Pontifex pro Orbe Mercurij, Gratia pro Orbe Veneris, Christus, qui in Zodiaco mouetur, qui solstitia, nec non æquinoctia terminat, pro Orbe Solis, tres Angelorum Hierarchiæ pro tribus alijs Orbibus constituuntur. Maria verò quæ Angelorum omnium Sphæras est supergressa meritò in stellato Cælo collocatur: pro immobili verò Cælo ponitur Deus vnus, & Trinus, ex rationibus inibi per quandam similitudinem adductis. Potentia, & Sapientia in tali Sphęra coluria erigunt: Lex, & præcepta Meridianum componunt: Fides locum tenet Axis: Puncta verò Axem terminantia sunt Vetus, & Nouum Testamentum: in minoribus autem circulis à Sole remotissimis ea peccatorum genera collocantur, quæ hominem frigidissimum, atq; à Deo remotissimum reddunt. Orizonta autem à tali Sphęra reijciuntur, vt quæ Sphæræ potius extrinseca, quam intrinseca esse conspiciantur. In breui autem Opere egregiam ipse eruditionem declarauit, intellectusq; volucris acutam promptitudinem maximè applicatis rebus, & solidissimis materierum pertractatarum assertionibus firmatis. Id verò maximè in ea parte, quæ de Christo Domino Sole iustitię disserens, illum per omne Zodiaci signum transeuntem demonstrat, acta vnicuiusq; signi applicatione ad aliquod rerum ab illo gestarum mysterium. Ea propter Ecclesiastes quidam mirificus hoc tempore mutuatus totam inuentionis seriem, cultissimo sermone italico, omnibusq; suauissimæ eloquentiæ luminibus per duplicem concionem habitam, editamq; sæpius auditores allexit, & semper lectorem delectatur. Certè si per supremum Numen diuturniores percurrere dies datum esset, vberrimas, & longè doctissimas tanti ingenij lucubrationes admirata esset posteritas, & per eximiam dexteritatem venerata esset dignitates. Obijt iuuenis tanto promptius, quod suam professionem decebat, quanto infelicius, quod suæ ætatis non erat; cum insignium medicorũ vel iterata, exquisitaq; remedia minimè profecissent. Sunt igitur ex eius pęnu

*Disputabilis Sphæræ libri duo, in quibus discutitur quicquid ferè apud Theologos, & Philosophos in disputationem venit. Placentiæ ex officina Ioannis Bazachij* 1593. *Lib.* 2.

# FINIS.

LY-




# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER DECIMVSSEPTIMVS.



## THADÆVS DE BINASCO PAPIENSIS.



E Binaſco non obſcuro apud Inſubres Laumellinę Oppido Thadæi maiores, & originem, & familiæ nomen detuliſse diceremus, niſi ſcriptum inueniſsemus, certo certius Parentem eius Ciuem extitiſse Bergomatem. Cum primum ſe noui commiſcuerunt Papienſibus Ciuibus, inter eos fortunæ donis vberrimè ſuffulti, incolatus, ciuilitatiſq; iura bono loco tutati ſunt, florentes & probitate, & congruis ſub alieno imperio honoribus. Cum Mediolano, contermin:ſq; Populis principarentur Vicecomites; gratia, & dignitatibus vigebant Binaſchij etiam ſupra fortunæ conditionem. Atq; hiſce præſidijs etiam à longe præmiſſis fata viam Thadæo ſtrauere, quò veræ virtutis, ſolidæq; gloriæ metam attingeret. Adoleſcentem enim in delicijs enutritum, vtpotè totius

familiæ vnicum, cum morbus extremus diuturnè conflictando penè strauisset, sola Superum benignitas vitæ restituit, cum voto religionis emisso eam exorasset, si vtiq; in meliores dies, actionesue foret emendanda. Vixerat vsq; tum vicennarius supinè, equestribus, aulicisq; inuolucris, ab fœcunda mente fœturas insuetas supra coetaneos exprimens, laudis, popularisq; auræ immodicè cupidus. Fidus sponsor confirmata valetudine Canonicis Regularibus Diui Petri ad Cælum Aureum se coniunxit conuictu primum, mox habitu, atq; deinde voto, qui talis Instituti genus delicato stomaci, artuumq; habitui minus absonum arbitraretur ex cæteris religiosorum familijs, dum vtriusq; vitæ seruato comi quodam rigore medius incederet. Non retardauit properantem familiæ honestissimæ in se terminantis exitium, supremaq; funera; sed biennio vix parentum postulatis concesso, tenuit ab naufraga quassatione portum. Post obitum sacerdotale decus, stimulis ardentioribus diuini amoris incensa acrius viscera sentiens, quæ adhuc sæculi resseruarat emolumenta ex lautis familiæ donarijs, & hæreditatibus abdicauit fortiter, & alta quadam spiritus paupertate vixit sibi trigenarius, dum Collegium ipsum latiore relaxatione per temporum iniuriam, & per humanæ fragilitatis conditionem tentaretur continenter. Qui verò Deus obaudit seruorum fidelium postulata, cum venit tempus miserendi Canonico Ordini cælitus præstitutum, misit ante illum virum, qui alter velut Elias Dei spiritu, & zelo feruens reformationem Fratrum, ac totius Reipublicę in vniuersum iugi prece, & humili eiulatu extorquebat à Superis. Hic ille fuit Leo Caratus Mediolanensis, cuius laus est per omnes Ecclesias, cuius gloriæ immarcescibile sertum in Cælis retributum conseruari piè creditur. Ipse enim cum tunc temporis in eadem Canonia Vicarias Abbatis vices (Priorem claustralem nominant) gereret, longiore obseruatione agnouit quantus esset Thadæus, quænamue desideria alto seruaret sub pectore. Primus hinc exilijt confidentior, primus animauit efficacior, qui flore ætatis naturalia talenta haberet promptiora, & acquisita ex Gymnasijs solidiora, instrumenta videlicet interioris spiritus. Communicata sunt vicissim, quæ concupiscerent, quę sperarent, quæ offerrentur aduersa, quæ formidanda tantorum negotiorum imperitis, imparatis. Vnus Bartholomæus Columnensis Beatissimus tanti operis impulsor ignem tormentario castorum desideriorum pulueri apposuit, per quem erupere in lucidissimas flammas, & torrosis viribus vastissimam tantæ Reformationis molem alacriter adiere. Præmissus est Thadæus Frigdionariam deprecatore socio, siue vt illorum Canonicorum rimaretur voluntates, quas Columnensis asseruerat Prouinciæ paratissimas, siue vt se conuersationi, moribusue ingereret, siue vt casta simplicitate, & puris, innocentibusq; modis amoueret, si quæ afforent, impedimenta, siue vt demum de statu omni

certiora

certiora, & viciniora renunciaret, dum erecti animi Leo operis perfectionem in maiore sociorum numero ordiretur ex Columnæ motionibus, atq; suasis. Peractis ex voto per Dei clementiam rebus, haud capiebant optimi viri membra alacritatem spiritus, lætitiamue cordis, qua non proprium quidem in via sanctitatis prefectum iubilaret, quem nullum iugiter humillimè prędicabat; sed fratrum, sed futurorum: qui euenturum præuideret, vt Frigdionarij Collegij exemplo aliæ Canoniæ hinc inde diffusę breui ad eandem frugem se se componerent, atq; reciperent. Hinc licet in summa egestate, extremisue sensuum edomationibus dies, noctesq; transigeret; vsque adeo tamen semper lætus apparebat, ut gaudiorum Paradisi portio quępiam, si qua uiatoribus conceditur, in eum superessusa credi potuisset. Orationi instabat vna totius integrę diei assiduitate semper ingenua procumbens insomnis, & incęnatus: de prandio, enim nulla quippe apud eum erat recordatio in vltimis præsertim vitæ annis. Quæ autem præuiderat de Reformationis per vniuersum Ordinem dilatatione felix euentus ipsè sic probauit, vt & ille idem proprios humeros supposuerit, egrè quidem ab prędilecta solitudine distractus ad pia negotia; distractus tamen. Cum ex Petri Tanzij largitione Casoretanum Collegium Frigdionarię familię esset vnitum ipse vnus delegatus est vniformi suffragio, qui Petrum Ridum ex duodecim vnum in Priorem electum mitteret in actualem possessionem. Substitit verò ibi per aliquot menses, non tam vt formam res ipsæ nouiter erectę reciperent, socioq; esset vsui, & pariformi solatio, quam vt se latius macerationibus exerceret nulli cognitus, à paucis obseruatus. Digressum inde Benedictus Parcitadius obtinuit pro reformando simul Monasterio Sancti Leonardi de Monte Donico propè Veronam Apostolica munificentia sibi concesso. Nec satis ita multo post Venetias comigrauit, vt promouendę reformationis antiquioris Collegij Diuę Virginis de Charitate ductor esset apud Franciscum de Capello loci Canonicum Priorem. Demum ad longè exoptatam Frigdionariam solitudinem regressum sic excepere Fratres, vt biennio vixdum expleto colla subdere iugo maiori coactus fuerit. Nam Leone socio supremam totius Congregationis dignitatem resignante ipse vnus successor communi acclamatione renunciatus est. Gessit sextus in ordine Generalem Pręfecturam Primum de anno millesimo quadringentesimo duodecimo mox Secundum, ac Tertium confirmatus duobus sequentibus annis, vtiq; semper renuente genio, at magnalia exemplariter exequente. Priore gubernationis anno missionem Leonis Tremitanam (quam voluntariè ipse Magnus Pater, lubensq; subibat) primùs reluctanti Collegio suasit, & obtinuit. Quoniam & si in contrarium vniuersa per humanam prudentiam militarent, sperabat tamen Deiparam Tutelarem misericorditer rebus affuturam, nec tantum Parentem Apostolico

lico Gregorio præcipienti obtemperantem in remotioribus, desertisq: Insulis derelicturum. Fluxere tamen vbertim viris Dei lachrymę, dum ab inuicem seiungerentur, alterq: alteri deprẹcatus benediceret. Thadęus ipse vixdum expleto maioris regiminis munere per annos adhuc viginti octo laborauit in assumpta Reformatione, quorum maiorem partem Prẹfecturis penè inuitus dedit. Plenus dierum, ac meriti excessit è vita ferè nonagenarius. Dicunt reliquisse posteritati manuscripta.

*De simul coniungendis ab Regulari Canonico Actuosa, Contemplatriceq; vitis, vt sibi alijsq; frugi fieret. Lib. 4.*

Leonardi Sarctij Bargæi.

*EST nam quis vir, qui claris natalibus ortus*
*Emicat, & sanus pectore spernit opes:*
*Mollia qui linquit distincta commoda vitæ,*
*Linquit, & assiduè fundit ad astra preces:*
*Qui colit æthereas constanti mente puellas,*
*Et fugat ad stygios callida monstra lacus.*
*Qui sapit, & stultos præbet sapientia sensus,*
*Et linguæ indomitam temperat vsq; feram.*
*An est Franciscus patrijs, qui nudus ab oris*
*Exijt, & liquit tecta paterna libens?*
*Non est. Sed thalamis Thadæus natus honestis*
*Vt veræ Historiæ, Cronographiq; ferunt:*
*Qui proprium linquens tectum, mensasq; paternas*
*Optat Canonicos inter adesse Patres.*

# THEODOSIVS BADINVS GATTINARIENSIS.





IN Theodoſio Badino flagrantiſſimum literarum ſtudium, vel ab ipſis ferè incunabulis enituit, quo in vtranque fortunam paratiſſimum iter ſupra communem hominum conditionem aſcendendi conquadraret. Ex paruo Oppido, ſed alioqui non incelebri Gatinariæ in finibus Pedemontis, Montiſq; feracis editus eſt ex familia de Badinis loci perhoneſta, quę in clentellam pręcipuam Illuſtriſſimorum loci dominorum Comitum familiæ de Arboreo nunc de Gatinaria nuncupatorum ſuſcepta promptius caput attollere ex præſſuris minoris fortunæ valuit. Porrò viris ex illius radice propagatis nulla fuere firmiora præſidia ad veræ virtutis iter, quam quæ Theodoſio ſic diſponentibus fatis obtigere. Educationem nanq; ſplendidam ſortitus eſt ab ipſo fermè natali die, cum genetrice ad ablactandum Mercurinum Comitis filium electa; vna cum illo, & infans filius enutritus, altuſq; eſt ſub ijſdem omninò cuſtodibus, ac præceptoribus, ſubq; vna morum diſciplina, & quod potiſſimum refert, ſub vno propè amoris quaſi fraterno iure. Secundum docile eius ingenium, eleganſq; corporis temperamentum oculos aliciebat, animoſq; lucrabatur, & ſub diuerſarum complexionum imagine, diſparibuſq; inclinationibus per virilem quandam, atq; præcocem prudentiam nunquam Domino diſplicebat. Ille enim Martio ſpiritu, & feruida cordis ebulitione ad arma pertractanda ferebatur; iſte per mite genium, & ſedatos motus ſoli pietati, religioniq; colendæ propendebatur. Hinc vtriſque, vt primũ ætatem attigere, varia parata ſunt vitæ genera. Theodoſio penetralia noſtri Inſtituti aperta ſunt facillimè, qui Valerium patruum inter noſtros virum inſignem haberet, cuius merito, ac precibus nihil non concederetur. Quippè benemerentem de Congregatione quibuſlibet functionibus ſiue exacti Oratoris, ſiue emuncti Canoniarum Præſidis quis non exaudiſſet, dum illum proponeret, qui eximie informatus ad optima, longè poſt ſe relicturus ſpes ipſas conſpiciebatur. Amplexata eſt ab ingreſſu ipſo adoleſcentem probitas nullibi fucata, quæ & omnem ſequentis vitæ normam ſub comitate ciuili ſanctè exornauit, & quæcunq; ab illo aggreſſa munera: vt non minus probaretur intima familiaritate Canonicis, quam laudaretur extimis

vir-

Interim extrema rerum humanarum linea punctum hunc deleuit, dum ex nimijs laboribus contracta hydropisi virum biennio exagitauit in cassum tentatis medicorum solertia quibuscunque remedijs. Nos aliquando Patauij ægrotantes, & eidem domicilio proximos, syncope improuisissima aggressum incerto gressu, & ferè nullis viribus prosilientes e lecto, sic sustinuimus inter viuos, donec afforent expeditiora præsidia, vt post mensem inter Vicentinos Canonicos Diui Bartholomæi animam efflauerit Abbas Sanctę Mariæ Nouę Astę Anno 1611. Referunt, qui penitimè rem norunt, ab Thoma de Piolatis Liburnense plura duri, acerbi, tectiq; aduersarij propria pertulisse cum ad Episcopatum vocaretur. Superstitem reliquit Gabrielem Fratrem virum probum, & in Congregatione pluries Abbatia functum, quo cum etiam ad prędicatoratus ministerium fuerat assumptus Rauennæ in Comitijs creationis Petri Francisci Riuæ. Nobis relatum est manuscripta inueniri Astæ.

*Concionum Italicarum in omnia Quadragesimæ Euangelia* Lib. 1.
*Concionum Italicarum de Sanctis librum vnum* Lib. 1.



THEO-

Oepei machinam, ſub magnis præceptoribus Puteo, atq; Theſauro, quorum primum per hos dies eximie colenda opinione innocentiſſimæ vitæ deceſſiſſe audiuimus. O' verè gratulandum obitum, ò verius æmulandam vitam. Inſuccantur literis, inſuccantur pietate horum alumni, & dum zelare diuinam ſeruitutem diſcunt, diuini & amoris meliore murice conficiuntur. Id vt frequentiſſimè in alijs, ſic & in Theodoro innotuit euidenter, cui licet per anni curriculum parentes retrogradi exiſterent, ne Regulare propoſitum ſequi vellet, quod iugis vt ab illorum ſibi beneplacito permitteretur, efflagitabat: fortis tamen, conſtanſq; peruicit & blanda vnius, & alterius aliquando ſeuera præpedimenta. Celſum Dugnanum almæ Paſſionis Antiſtitem exgeneralem, & inueſtitionis, & profeſſionis grandem adminiſtrum habuit. Incidit inueſtitio in quartumdecimum Iulij diem anni vndeuigeſimi ſęculi, & ætatis ſextidecimi Seraphico Diuo Ioanni Bonauenturæ ſolemnem, eundemq; Dominicum. Cum redigendo ad formas Canonicas meliores camino nouitiatus eiuſdem Collegij ſub ignita Charitatis religioſæ ebulitione ſuſoris magiſtri partes egit Clemens Mortarienſis ſanctæ eiuſmodi artis opifex cum primis enumerandus, mediocris quidem literaturæ poſſeſſor, at ſpiritus verè ſublimis, atq; deuoti, quem poſtmodum vita fungi contigit, dum Mortarienſi Præpoſitura fungeretur laudatiſſimè. Ab morum, & affectuum ſchola iuxta ritum ducta ad ſcientias indipiſcendas Placentiam tranſmittitur, quo loci Romanum Lucenſem Dialecticam, Naturalemq; Philoſophiam profitentem audiuit, atq; de iſtarum armamentario munitus ſariſſa, pilo, ſcuto, cæteriſq; ad confligendum, & vincendum, opportunis triariorum Theologorum maioribus aciebus adſcribetur. Stationem Inſulanam ad Diomedeas adit tunc temporis cæteras Ordinis nobilem tam numero, & virtute pugilum, quam cathedram tenentium profeſſorum. Collegio, arci, munitioni inſignibus dederant Proceres Antiſtitem ex Definitorum numero Hieronymum Onofrium Fanenſem virum probatiſſimum, vt virtute, zelo, ſolertia eius intercedentibus experirentur, ſi quo modo ſubleuari poſſet ab calamitatum diuerſarum, quibus opprimebatur infortunio iam, iam intollerabili. Hic expurgato eo confinio ab pœna plexis quibuſcunque, qui illac detinebantur relegati ab particularibus Congregationis Monaſterijs, ſalutarem innouauit obſeruantia ſeuerioris conuictus, & diſciplinæ, atq; ęquè prudentia, doctrinaq; pollens ſcholę munia vrgendo ſub doctoribus Romano prædicto, & Archangelo de Sicilianis Tolentinate aluit miniſtrorum Euangelij cohortem, quæ deinceps ab Comitijs diuerſimodè expedita ad opus, ſeceſſum huiuſmodi maximè ſtudijs eſſe conducentem demonſtrauit. Enituit verò ex huiuſmodi numero cum primis Theodorus adeo, vt ex Generalis Marci Antonij Manetti Maſſæ decreto ad Theorematum Theologa-

cathedram publicè defendendam Parmæ transmissus fuerit, quoniam de nobiliore loco quid suppellectilis pretiosæ intellectualis sibi comparasset innotuisse volebat, dum Definitorum pleriq; illac ad Dietam properarent. Hæc cum adhuc Leuita egerit, infra præstitutum tempus per sacros Canones ordinari Sacerdotem ex dispensatione obtinuit Pontificia anni curriculum anteuertens. Quod enim intelligeret iam se vocari, iamq; sibi instare opus frangendi verbi; ad illud se prædispositurus de viciniore ærario solitudinem, quietemue quærebat studijs talibus opportunam, quam non nisi difficulter absq; præsbyteratus adinuenisset adminiculo. Placentini Patres iuuenem ad egregia factum, & de eorum schola iam ad Diomedeas dimissum admisere in sua iura, locum illi assignantes inter amæna eius agri non ignobilem, Ruptum frenum, à fracto quondam ibi ( vt narrant) Cæsaris prælium agentis freno dictum. Ibi per biennium texuit, quod ritè proferret de sugestu; quodue texebat proferrebat in experimenti, & exercitationis formam, cum locus animarum curam adnexam haberet. Non diuturnior permissus immorari, quod ipse optabat, exigentibus nationis Mediolanensis proceribus, vt se suis restitueret, apud quos Brinatensis Collegij curauit paræciam, & deinceps almæ Virginis de Passione procurationem difficilem. Tres annos huiusmodi impendit officio eius quidem solertiæ, industriæ, viuidoq; spiritui apprimè respondenti, & accommodo; sed cui non expediebat incubare, quoniam ministerium prædicationis etsi ei non præpediret de integro, remorabatur tamen, atque vt non plenè se totum cursui committeret, suspendebat. Nil illi ardentius in desiderio erat, quam huic vni se penitus dedere operi, tam vt populo Dei adiumentum feret ad mensuram virium, quam vt genio indulgeret in id propensissimo. Sed & adhuc remoræ parabantur, ne retia laxaret in capturam. Prioratus sarcinam gerere inchoat ad celebrem Canoniam almæ Virginis Portuensis Rauennatum, de quo tamen loco in concionem quadragenariam ascensurus erat; sed siue aeris ab natiuo diuersi intemperie, siue studiorum vigilatorum nimietate ophtalmiæ tam acriter morbosę aggreditur viribus, vt ammissionis luminum omnimodæ periculum subiens, & mensium tenebris intra cubiculum per medicos decretis subiaceat, & recuperata demum tantisper sanitate ad eam confirmandam in patriam repedare iubeatur. Reuertentem excepere Concanonici cum eodem Prioratus onere, & honore in eadem Pasſionis Basilica, de cuius etiam suggestu per biennium postuesperarias conciones festiuas habuit. Inde quadragesimales posuit Mortatiensibus, Nouariensibus, Bergomatibus, ac demum Romanis ad Sanctam Mariam Maiorem. Talentis pluribus insignem corona semper frequens vbiq; audiuit, quam suauitas dicendi vna sic rapiebat, vt horæ spacium sacris assuetum oratoribus dari

ocyus

ocyus semper de clepsidra effluxisse causarent, lamementarentur que. Nos ipsi (præter id quod ab alijs narratum accepimus) emotionem huiusmodi velut vno ore habitam à plenissima Ecclesia Diui Patris Augustini Placentiæ testatum posteritati damus, cum ille ibi daret Euangelium quartæ Dominicæ post Pascha in Dieta promotionis Generalis de Parmesanis. Nullus porrò remanet dubitandi locus, quin tot dotibus cumulato primi patuissent suggestus. Verum ab Bononiensi Montana Synodo Quæstor factus publici totius Congregationis ęrari sub Generali Procuratore Parpalioneo alio mentem dirigere compulsus est. Grandis enim Prouincia totum requirens hominem, & illum præcisè vnis dati, acceptiq; rationibus alligatum, vix dabat, vndè ad studia diuertere posset. Viuidum tamen genium nunquam penitus intermisit verbi disseminandi opus, quod ex diuersis innotuit Romæ suggestibus, ex quibus secundum varias intonuit extra asuetum dicendi ordinem occasiones. Generali procuratori Abbati Parpalioneo suo adstitit opere maximè frugi in disponendis, & obtinendis, quæ tunc successere Ordini, politicis, dexteritatem promptissimam, congenitamq; adhibens in pertractadis arduis quibusq; penes aulæ primiores viros administros. Quare ex Vrbani sanctione ad Generalatum promoto Andrea Fossa Genuense, Collegisq; Visitatoribus datis Astulpho, Prouana, Parpalione, Fagnano Theodorus à secreteris Ordinis assumitur. Nec distinuit electores Minaciensis Præpositura, qua decorabatur, quin tanto operi assignaretur obeundo: vt enim illa eadem potiri per annum permissus fuerat Romæ Quæstor; ita & per triennium adhuc in ea manuteneri meruit Prothoscriniarius, quia insueta permittuntur insuetè merentibus, insuetè laborantibus. Per hos gradus ad Visitatoratus dignitatem ascendit sub Alexandro Troilo Generali Collegis Francisco Neapolitano, Petro Francisco Montalerio Casalensi, & Paulo Auogadro Brixiensi iam ante annos tres. Sternant Superi ad sublimiora viam viro dignissimo, & ad Religionis commodum apprimè efformato.

Scripsit propediem cudenda.

*De Impatienti Desiderio Domini Nostri Iesu Christi passionis perficiendæ Sermones viginti Bergomi habiti ad Sanctum Alexandrum in Columna occasione quadraginta Horarum.*

*In Sanctissimum Clauum Mediolani adseruatum, quo Saluator inter alios Cruci affixus est Oratio ibidem in summo templo habita, dum publicæ venerationi expositum esset.*

*Monitorum Pastoralium Sermones quadraginta ad lustratas Lateranenses Canonias.*

Ex Ausonro Gallo translatum.

*O Qui venustos vberi facundia*
*Sales opimas Fantoni;*
*Cauesque, ne sit tristis, & dulci carens*
*Amara prædicatio;*
*Qui felle dicta, aeq; melle temperans;*
*Torpere templa non finis;*
*Pariterq; fucas quæque gustu ignaua sunt,*
*Et quæ sapore tristia,*
*Hic nunc frequentes, atque claros, nec procul*
*Cum floreas inter viros,*
*Tibiq; nostras Opus chartas deferat,*
*Auresq; sermo verberet;*
*Ah ne supremo pectoris cultu temnens*
*Sperne scriptorem debilem,*
*Tuiq; amantem, teq; spirantem, ac tua*
*Desiderantem prospera.*
*Facunda, docte, lingua, & ingenio celer,*
*Iocis amæne Theodore;*
*Dum spem remotam semper arcessis tibi,*
*Fastidiosus obuiæ,*
*Tuumq; manis esse, quam fati bonum,*
*Desiderasse plurima,*
*Vagus per omnes dignitatum formulas,*
*Meritusq; plura, quam gerens.*

THEO

# THEOPHILVS VEGIVS CREMONENSIS.





LORVIT Theophilus Vegius Cremonensis integritate, & probitate vitæ clarus, neque minus scientia, doctrinaue commendatus ab anno octuagesimo reformatæ apud Deiparam Frigdionariam Congregationis vsque ad annum trigesimum super mille quingentos. Quinquagenarius conuictus intra sacros huiusmodi penates vt formam in dies exquisitius expoliuit ineriorem, ita & illum in aliorum exemplum proposuit non ab infimo loco. Profectò præstat hic ad vnum apponere Matthæi Bossi Epistolam, quæ ad illum est ducentesima vigesima quinta secundarum, ab cuius syntaxi facillimè deducitur quantus foret, qui adhuc iunior tale testimonium, talemq; amorem à tanto viro promeruerit. Salue (inquit) dulcis in Domino anima, & mihi peramande Theophile. Quod ego iam dudum te rogante sum me facturum pollicitus, quibus Benedictum Ripaltam dones, meos de Instituenda Sapientia animo nostrum per Timothæum ad te destino libellos, deuoti cordis mei erga tantum virum indicium (munus absit vt dixerim) ea est enim præstantia, ea virtute, ea doctrina, ijs moribus, ac sanctitate, tantis & denique meritis, vt eum solo me videam amore posse complecti; non verò exigui, & tardioris ingenij mei ornare munusculis. Sed quod tu voluisti, facio, mi Theophile, magis, quam quod agnosco mihi faciendum, ita te audio, ita & pondero, qui ab te super omnes, quibus vllo modo sim charus, semper amari sum visus, & amandum in posterum fido, quem admodum ego te constanter, & altissimè facio. Tuis cum Neophitis, quos sanctissimè erudis, atq; instituis, me precibus adiuua, & algentem incende. Valeq; eodem cum Benedicto, cui toto me penitus corde offer, & dede. Placentiæ nostro ex Generali Capitulo 15. kal. Iunias. Porrò ex ijs liquet virum eruditum, & probum eruditorum, proborumq; familiaritatem tam intus, quam extrà Ordinem & studio quesisse, & amore coluisse, animum sapientia excultum libris Sapientiæ excolendę fouisse, & aluisse, tuncue tyronibus religiosis præfuisse, quod non minimi æstimandum arbitramur. Nam cum epistola illa, atque alia decima nona super centesimam datæ ad eum noscantur annis duobus ante sesquimillesimum; profectò liquet iuuenem illum tanti

ponde-

ponderis exercuisse Prouinciam: quæ res rari prorsus erat exempli per ea tempora seueritatem perfectioris disciplinæ ad amussim obseruantia, neque ad munus huiusmodi curandum nisi viros quaque probatos admittentia. Meriti autem, laborisq; plenum officium multus exercuit, vlterioris progressionis circa Reipublicæ administrationem cura abiecta, & optime actũ arbitrans, si quis totum se ponat in eo perficiendo, ad quod semel aduocatur. Operi etiam iuuandorum proximorum per sacram omologesin incumbebat indesinenter: nec quæ agebat domi cum domesticis impediebant, quæ impendebat extraneis, adeo partiebatur prudens horas, & adeo amor æternæ vitæ sibi, alijsq; comparandæ industrius euigilabat. Et licet enucleandæ diuinæ legis ius haberet ex pulpito; tamen non satis naturæ donis instructus, voce præsertim; ideo religiosè ab illo abstinens, fortius alia charitatis prosequebatur munera. Hinc tantopere profecit, vt frequentissimi ad eius subsellia pænitentes adessent promiscui sexus, & generis quocunque illum in loco Superiores delegarent. Hinc quoque originem habuit Confessionum illud Memoriale, quod tam dilucidè, & enucleatè, tamq; compendiosè, & breuiter digessit non pro solo quidem sui commodo; sed & pro aliorum etiam confessariorum vsu. Verum cum ad illud euulgandum serius inclinaretur (vt religiosa humilitas sui semper est pauida) ipsum Hilarius Nouariensis Concanonicus vir pius, & eiusdem sancti laboris asecla cohortatus est per epistolas, quas nec piget hoc loci refferre non modo in veritatis testimonium; sed etiam in operis ipsius iudicium, & commendationem. Religiosa, ait, obedientia Patrum nostrorum ad confesſiones animarum aliquando promotus, veritus sum ne mea incuria illud interdum eueniret, quod plerunque Phisicorum euenire solet imperitia, qui dum infirmo pharmacum parant, & genus morbi canonicè non curant, antidotum ferre putantes, languido mortem parant. Cumq; viderem animarum curam diligentiori studio cæteris esse pensandam, operam dedi, vt saluti pænitentium ritè consulerem: & si qui pelagi turbine, aut cæca tempestatis caligine obruti forent, diuino adminiculo incolumes reducerentur in portum. In qua re quantum laborauerim, quotiesue cessauerim, & rursus contentione discendi inceperim, testis est conscientia mea. Videbamq; casuum doctrinam per diuersa uolumina latè, longèq; dispersam, & plerunq; uarias Doctorum glossas, atq; interpretationes superadditas; ut aliquando, quæ mihi facilia uidebantur, difficiliorem sensum afferrent, quas si ritè uelimus perscrutari à teneris, ut dicam, unguiculis, uix quispiam reuoluere posset. Cumq; uita breuis spem nos uetet inchoare longam, anxius sedulò quæritaui, si qui diligenti lucubratione summam horum casuum in fasciculos, aut compendia perstrinxissent, & viam tam longi laboris nobis succiderent. Quamuis horum scientia, sagaxque hominum malitia velut septiceps hydra pullulantia pacta, paleatosque con-

contractus sæpè inueniat, & condat, vt plerunque maiora sint, quæ ignoramus, quam quæ scimus, & ad eorum discussionem, quin potius decisionem, nisi quodam exemplari peruenire possimus. Interea allucinanti Libellus Summulæ tuæ, mi Theophile, ad manus peruenit, quem ritè percurrens, ac omni diligentia peruoluens non parum mihi attulit vtilitatis, & fructus; nec potui non admirari librum istum in lucem non prodire, qui tam lucidè breues, & enucleatas decisiones exeribraret, quas non à riuulis, sed ab ipsis fontibus exortas esse perspeximus. Quamobrem, mi Theophile, qui saluti pœnitentium diù, noctuq; consulere studes, vt non tibi, sed vtilitati publicæ natus videaris, Summulam istam succisiuis horis aquisitam calcographorum cura, omni studio, ac celeritate imprimendam curabis, ne sincanonici tui, huiusq; professionis viri tanto munere, & expectatione fraudentur. Vale felici auspicio. Ad huiusmodi autem lucubrationis ideam, & ordinem postmodum neotericorum aliqui insigniores scripsere suas, & laxatis calamo, ingenioq; habenis, difusius prosecuti materias, noua condidisse opera visi sunt, eaq; commendatissima, & omnium protrita manibus, potius quam antiqua innouasse, & iam inuentis superaddidisse. Theophilus verò ad annum vsque sæculi eius trigesimum perueniens non adhuc multæuus obdormiuit in Domino. Successit ei Theophilus alter Cremonensis in administranda Republica inter Patres primi consessus enumeratus, qui anno vigesimo quinto ab Vegij obitu Abbatiam Firmanam gessit, deinde Beneuentanam, & aliquando Romanus fuit Ordinis curator, & Abbas almæ Virginis de Pace. Quod igitur habemus ex Vegio est

*Memoriale Confessionum ad vtilitatem, & commodum Confessariorum, & Pœnitentium.*

*Item Tractatus tres de Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto Ad Iacobum Colle Archipræsbyterum, & Canonicum Cathedralis Parmensis. Proditur Parmæ apud Antonium de Viotis Anno* 1518. *Lib.* 1.

Bartholomæi Cremensis.

*QVI promptus læto perlustras singula vultu,*
*Inuenies oculis quæ placitura tuis.*
*Sæpè tegit vilis pretiosa monilia tellus,*
*Aurumq; & gemmas possidet arca rudis.*
*Canonis hinc seriem poteris perquirere sacri,*
*Soluere quis possit, quisue ligare docet.*
*Quare age, nec pigeat Sanctorum noscere Patrum*
*Decreta, & mores, quis pia regna petes.*

THE-

# THESEVS AMBROSIVS ALBONESIVS PAPIENSIS.



D nos etiam incolas posteriorum sæculorum nepotes, successoresq; tuos ab medijs vsq; præteriti sæculi annis tua vox illa flexanima Thesee Albonensi diuersis, ac dissonis intellecta nationibus fama magis quam strepitu penetrauit. Cur enim remotissimas quoque aures nostras non impleret, quæ diuinum omnia implens verbum sonaret? Cur non tam Latinis collibus quã Siriacis, quã Chaldaicis, Armenisue cautibus clarius Echo resultaret? Aut cur pluribus gentium plurimarum linguis insigniter, ac mirabiliter vocalẽ Theseum Ambrosium (quamuis longè post nati, tam altè dissiti) non audiamur. Certè Albonesio tot linguarum magistro instaurato, veteri prodigio flammeæ de Cælo impuluere. Etenim si EoaHierosolymæ plaga eruditis olim ignibus æstuauit, cur non Occidua Italorum regio eloquentibus potuit flammis abundare, quantum par est comparare Diuinis hominem? Licuit quondam Pericli vnica, eaq; humana lingua tonare, fulminare, Græciam permiscere vniuersam. Theseus ergo, & plurimis, & dissonis micans linguis quo tonitru, quo fulgure, quo fulmine fœcundam scelerum omnium vastisimo in orbe ignorantiam absterruisse, profligasse dicatur? Hic enimuero non possum quin inter seria rideam Salmonei Regis ridendam insaniam tonitrua, & fulmina æneo super ponte quadrigarum strepitu, & flammarum iactu nimis laboriosè imitantis; cum per breui labore vna Ambrosij Albonesij vox barbarorum auribus tonet, animus fulminet, vt non fictè, sed verè, non nocenter, sed salubriter eos de Cælo tactos esse fateamur. O nunc, & Gallicum nescio quem Herculem eloquenti ex ore nascentibus aureis cathenis populorum aures nexas trahentem posteris prædica fabularum artifex vetustas. Verissimè vidit sera posteritas tantarum nationum non aures modo, sed animos etiam illigari efficacioris eloquentiæ auro, diuinus quod ignis excoxit. Sic noster hic Theseus tot regionum hospes quasi, & peregrinus sedentario illo Socrate verius, querenti cuias sit, respondere potest, Mundanus sum, qui

pere-

peregrini communione ſermonis exterorum popularis, ac ciuis populorum eſse uideatur. Illud ſanè hoc didici rariſsimo exẽplo multas, qui linguas calleat non totidem tantum uiris (quod Turcę per adagium dicunt) eum eſse æquiparandum, ſed nationibus totidem pręferendum, quod illarum multitudinem, varietatemq; breuisſimo ambitu vna eiuſdem lingua concludat. An non igitur ſapientisſimo illo Ennio tricordem ſe ſe, quod Gręcè, Oſcè, Latinè loqueretur prædicãte, magis eſse cordatum Albonefium affirmemus, qui tam numeroſam variarum gentium barbariem Latinis diù excordem diſsonantium conſenſu linguarum egregiè cordatam fecerit. An non ipſum Ponti Regem Mitridatem duas, & viginti ſubiectarum linguas Prouinciarum diſertisſimi oris erudita in ditione habentem Albonefia eloquentia, quam Romana potentia glorioſius victum eſse cenſeamus; quandoquidem ille Prouinciarum non integrè abſimilium, hic nationum affatim diuerſarum linguis loquebatur. Nefas hic erit tam fecundæ facundię virum ijs auſtralis Inſulæ populis non anteferre, qui bifidam ab radice linguam cum habeant (vt vltimo ſecundi docet Diodorus) & auicularum ſuauisſime cantus imitari, & (quod incredibile pene ſit) diuerſa non duobus ſimul hominibus colloquia biſulcæ linguę diuortio partiri dicuntur. At qui plus eſt indiuiſa lingua ſuauiorem quouis cantu ſermonem poſse pluribus diuidere. An præterea diuini famam verbi Theſeum appellemus, qui tot linguis perſonaret? An etiam fabuloſa Poetarum Fama mirabiliorem eundem celebremus, quod illi totidem eſsent ora, quot linguæ, vno linguas hic omnes ore facundo posſideret? An multiplex illa linguarum ſuppellex cæleſtem decuit oratorem, quod vna cæleſti facundiæ lingua ſatis eſſe non poſſet? Paulo Secundo ſacrorum habenas moderante naſcitur hic Papiæ anno ſexageſimo nono poſt quartum decimum ſæcularem. Comites Alboneſij, Palatinoſq; Lomellinenſes fauſto radio ſortitus eſt genitores, vt luce ingenitæ nobilitatis ornaretur, qui lucem remotiſſimarum, longèq; diſſitarum linguarum quaq; per orbem alter velut Sol rutilans igneo curſu operum ſuorum delaturus eſſet. Incunabula facundæ linguæ fœcunditatem extemporaria miſſione præſetulere, dum vix quintumdecimum menſem excedens, quo tempore exteriora artuum recens ennatorum ligamina, pectoraleſq; faſciæ ab interioribus necdum balburientis oris vinculis in cæteris quibuſq; infantibus aſſociari ſolent; ipſe diſſutis naturæ compedibus aſſuetis, promptiſſima verborum conexione velox vniuerſa ad ſtuporem vſque proferret. Paternæ opes accitis vndiq; præceptoribus indolem ſic coluere pueritiæ melioris, vt in limine ipſo anni ætatis quintidecimi Græcè, Latinè, Italicè ſcriberet, ac peroraret cum veterano quolibet eorum idiomatum coæquandus. Quippe tantam facilitatem indiderat genio natura in hiſce comparandis, vt verborum prolatio vno præeuntis

magiſtri tractu percepta tenax ab eo retineretur, & uelox æquè, ac etiam quandoq; ſuperior eam exprimeret. Mediolano ephebiam poſuit, quæ Ciuitas, aula Principum euocante, & alliciente exteros, linguarum varietate ſcateret. Ticinum reuocatus Legalibus nauauit operam, Stephano Ottono, & Andrea Basſignano præceptoribus Cæſarei, Pontificijq: Iuris Conſultisſimis. Annorum natus vndeuigeſimo laureatur vna totius Vniuerſitatis admiratione, vna totius Ciuitatis plauſu præeuntibus in florentis memoriæ laudem doctisſimis quibuſq; profitentium. Iam ſubſellia gymnaſtica iuuentute replebantur ad ennatam vocem, Alboneſium Imperatorias Inſtitutiones aggreſſurum interpretandas; iam à Principe Legationibus deſtinabatur remotioribus, cum ipſe latenter ſubducit ſe, ac pium Lateranenſium Canonicorum numerum adauget, aliquando ad maiorem æterni Numinis gloriam functurus ſalubriore legatione in populos. Inopinato id factum accidit omnibus. Vnus ipſe diù rem maturauerat, altoq; occuluerat ſilentio, ne per verſutias tenerioris conſanguinitatis, neue per callidioris Satanæ thecnas diſtineretur. Arduum illud opus, quo in ſe ipſos claſſicum perſonant Sancti Inſtituti tyrones, leuigauit adeo pietas animi, ardorq; ſpiritus; vt facillimo pede ſui corporis, ſuæq; voluntatis campum percurreret, quamuis ad exercendum res aggerarent rebus, qui nouum adornabant militem. Recuditur ſub Philoſophorum, Theologorumq; maleo tanquam magis idoneo ad efformandam noui præconis tubam iuxtà ſeueriora vitæ recens profeſſæ decreta. Vicenas fermè quadrageſimas Euangeliſtarum textum interpretatur hinc, atq; hinc populos æquè vigil, ac peroptatus inuiſens. Quo anno Carolus Octauus Gallum cis Alpes armatum egit, vt abigeret Aragonium, ſubigeret Parthonopeum, illo ipſo Theſeus dimittitur concionibus, eo ſecurior victoriæ, atq; triumphi, quo æquior cauſæ, atq; fidentior propitij Numinis. Siſtitur demum Romæ ſub extremam diem indicti Oecumenici Lateranenſis Conuentus ab Iulio Hierarcha ad abolendos rebelles ſpurij Piſani conatus. Vrbem de more omnis ferè nationis parentem, altricemq; peregrinorum tam alta intercapedine diſſitorum admiratus eſt primo domicilij aditu: mox pro ingenij propenſione cæteras quaſq; dotes tametſi claras excedente, ad linguarum omnimodam varietatem non internoſcendam modo, ſed & poſſidendam totus ſe dicat. Ioannis Potken Syllabarium, atque hinc Pſalterium impræſſa exciuere quieſcentes hoc in negotio viri ſpiritus. Ille enim cum medio prælo Pſalterium Indorum lingua, characteribuſq; conſcriptum, quod tamen crederet idiomate, literiſq: Chaldaicum præſtolaretur edere: amicum aliquando inter colloquendum Theſeus monuit validis ex coniecturis neutrum illorum Chaldeam ſapere, ſed quodpiam aliud abundè diuerſum. Peruicit tamẽ ſenis auctoris mollior ſenſus iunioris Theſei cautiora cõſilia.

Ea-

Ea propter omnis hic ſibi mouendi lapidis onus impoſuit, ſi modo daretur, & ab errore tanto deduceretur ſtudioſa ſacrorum poſteritas. Nec defuere Superi animo tam neceſſaria molienti. Quippe cum ad iam indictam Lateranenſem Synodũ ab Æthiopia, Syria, alijſq; remotiſſimis nationibus in Chriſto credẽtibus aliqui Romam veniſſent, ſacraq; facere ex vſu gentis, atq; conſuetudine poſtularent, neutiquam illis id permitti decretum eſt, donec, quo ritu ſacroſanctum munus perficerent, & quibuſnam verbis in conficiendo vterentur, liquidò Patribus appareret. Deponitur tantæ molis prouincia penes vnum Theſeum Ambroſium, quo linguarum multigena cognitione peritior in Vrbe circumferretur nemo, Sanctæ Crucis in Hieruſalem Cardinali apud quem exteri illi hoſpitabantur, commendante: vt ſcilicet diuina illorum Lyturgia (quam Miſsã hebraico nomine appellamus) ex Chaldeo idiomate Latina ad verbum redderetur. Ad eam vſq; diem, prout ingenuè idem fatetur, vixdum Hebraicam, Chaldaicamq; linguas ipſe attigerat, qui poſt Latina, Græcaue idiomata Gallicis, Hiſpanicis, Theutonicis operam ſola propenſione naturæ dediſſet: atque ideo non ita pridem in Ioannis illius Potken de eadem re colloquijs vnas tantummodo coniecturas adhibuerat. Verumenimuero tam valido animi ardore, tamq; præſens dexteritatis, prudentiæ, ſolertiæue adminiculo opus ſibi commendatum aggreſſus eſt, vt intra paucas hebdomadas maturatũ Latinis Patribus, facta ſit Chaldeis Concilio præſentibus facultas ſuo illo ritu celebrandi. Horum Princeps Elias Abrami filius erat, qui Petri Maronitarũ Patriarchę, Antiochenıq; de Mõte Libano Legatum agebat, quemue poſt modum comenſalem in Canonia Pacis habitũ per biennium linguam latinã docuit Pontifice Leone iniungẽte. Quo etiam tempore & Macharium Chium Ordinis Sancti Baſilij Monachũ virum illuſtrem, ad quem Megalis Metropolitæ Iberi directę epiſtolę quędã liminares erant, in ijſdem Latinis literis diſcipulum habuit in illa ipſa Pacis Canonia ſub Bendinelli Sauli Cardinalis præſidio commorantem. Cum primum ex nacta illa occaſione animum applicuit Hebręo, Chaldeoq; ſermoni perdiſcẽdis pręceptore vſus eſt Libertate Comineti Hebręo, quem multarũ linguarum bene peritum fama circumferebat. Verum cum in re ipſa tradenda non pro votis reſponderet vbiq; Ioſephum Gallum Doctorem item Hebreum, & clari quondam nominis Rabbi Iulij Põtificis Medici filiũ in idem munus obeundum aſſumpſit. Promptum, alacrem, atq; ea in re valdè eruditum magiſtrũ diſcipulus promptitudine, alacritateq; ſuperabat: illoq; euehebat natura felix ingenium ſuoptè genio linguis efformatum: vt lectionem, lectionis intelligentiã, nec non vtriuſq; pronunciationem vno ſimul, pariq; ac celeri paſſu in portẽtoſo illo capite procedẽtes pręceptor obſtupeſceret. Iugis cõſuetudo tam virorũ nominatorũ, quã Aaron, & Abdię ſcholaſticorũ in Vrbe Iudeorũ, nec non & Abrahami à Balmis Hebręorũ erudititiſſimi

tam voce, quam ſcripto acriter impræſſit ſic edocta, exercuitq; vt inter gentes illas genitus,perpetuoq; verſatus credi potuiſſet. Ex his ad alia non item prǽceptoribus cognita idiomata viam ſibi aperuit,ſtrauitq; vt inexplebilis erat caſta eius in hoc negotio curioſitas, piumue Eccleſiæ Sanctæ aliquando iuuandi deſiderium. Hinc nata, coalitaq; in eo illa cognitio tam grandis eſt, vt ciuis omnium ferè nationum eloquio fieret, Armenorum, Arabum, Ægiptiorum, Dalmatarum, Illiricorum, Perſarum, Punicorum, Tartarorum, Turcarum, Gottorum, vt innumeras alias nationes prætereamus, quarum filiatione meritò gaudere hac peculiari ſua dote potuiſſet. Quo factum eſt, vt primus in Vniuerſitate Bononienſi ſcholam linguarum Syriacæ, & Chaldaicæ aperuerit iuſsu Leonis Pontificis de omnibus ſcientijs, ſcientiarumq; profeſſionibus ex auita munificentia benemerentis. Vt verò charitas ſummè ſui diffuſiua eſt, locupleti animo vt congeſtum aperiret ærarium inſtillauit, gazaſq; vſq; tum collectas in poſteros deriuaret liberaliore calami vena, quæ pauperior ſcatet ex ſolo vocis fonte paucorum auditorum ſitim vixdum exhauriente. Hinc reuerſus in patriam toto virium pondere inſtitit, vt medijs impræſsoribus Pſalterium Chaldaicum, & inſimul Volumen De Chaldaicæ, multarumq; aliarum linguarum lectione, intelligentia, mutuaq; inter ſe ſe conformatione euulgaret. Iam æneis comparatis typis, conflatiſue ex conuenienti metallo literarum formulis, nulli parcens labori, non maximis deterritus ſumptibus in opere inſueto propè infinitis; cum ad annuam Patrum Synodum Rauennam euocatus, ibiq; diſsolutionis finem præſtolans Ticinum à Gallorum exercitu obſidetur, ac multiplicibus vndiq; concuſsum machinis vi capitur, hoſtiliterq; prædæ datur. In illa immani clade, Ciuitatiſq; ruina dum ex vſu omnia confunduntur, rapiuntur, diſtrahuntur, lacerantur, dum captiuum omne genus hominum tam ſacrum, quam prophanum ducitur, dum nulli ætati parcitur, ac in mortuos etiam, & laruas, in libros, & ſacra quæque ſǽuitia furibunda bacchatur; omnia quoque eius librorum Chaldeorum, Syriorũ, Armenorũ,Hebreorum,Grǽcorum,variarumq; aliarum linguarum grata ſup pellectilia magno ſibi pretio comparata,ex urbe Roma in Patriã ſecũ aducta,itemq; ǽneǽ conflatǽ formulǽ vno temporis momento miſerrimè diſcerpta peſſundantur. Contriuit adeo viri alioqui generoſi vires aduerſæ huiuſmodi fortunæ iniquitas, vt non deſpondere modo animum, ſed & ſpem omnem coactus ſit. Et quidem ſi humana lance caſus metiatur, haud prælucebat quid facto vltra opus eſſet. Tenuiter ſe ſolabatur ipſe non ſibi quidem tot linguarum notitiam ademptam, poſteritati tamen lamentabatur inuidè abactam. Septennis iam toto mærore tabuerat ſola lingua proficuus, cum diuini clementia Numinis in manibus publici cuiuſdam Fartoris reperit ſemilacerum Pſalterij Chaldei volumen, quod cum cæteris in

ris in cineres dudum resolutum existimauerat. Hinc cælesti aura paulatim affulgente, erigenteq; (en quam inexcogitabilibus medijs) iterum ad illius publicationem denuo comparatis formis, eoq; in pristinum redintegrato animum adijcit. Venetias petijt velut ad emporium non impræssoriæ modo artis, sed & exterrorum, qui linguarum caleant diuersitate. Gulielmum Postellum Ambolatæum Barentonium Gallum Artium Doctorem inter alios sibi adsciuit amicissimum, genij, atq; studiorum similitudinem illos conciliante. Huic præ cæteris vniuersa animi sui sensa, cunctam suppellectilem aperuit, illiusq; opera familiariter vsus est ad aliqua firmanda, nec non & hortationibus ad celerius absoluendum aggressa. Dum tamen per diuersas remoras distinetur à perficiendo opere Gallus in patriam reuersus expeditiore consilio, & opibus consimilem prouinciam perficit, libellumq; euulgat, quem De duodecim linguarum notitia attitulauit. Neque ideo Theseus animo commotus est, quem plura fidentissimum redderent; securior professionis notitia, senectus in illa consumatior, praxis robustior, operis sui apparatus lautior, ferculorum copia vberior, & præ omnibus charitas innocentior. Quin parabola ex Euangelio assumpta seniorem se Petro, iuniorem Postellum Ioanni ad monumentum currentibus similes dixit, quorum qui præcucurrit haud intrans locum seniori introeundi religiosè reliquit. Demum Præpositus Diui Petri in Cælo aureo à Comitijs Ordinis renunciatus Ferraria eò comigrans, vna secum & impræssorem, & chalcographica quæq; aduexit, vt inceptis conatibus supremam manum imponeret ad nouum, & vsq; tum inauditum illi spectaculum vniuersa penè Ciuitate confluente, & admirante. Quod & in Canonia Diui Præcursoris antea quoq; contigerat, vbi Religiosi diversorum Ordinum complures, & docti aliquot Ferrarienses, Germani, Galli, Hispani, Italiq; scholastici permulti conueniebant. Vnus tamen pro omnibus sat esse poterat ad commendandum opus Hieronymus Perbonus venerandæ senectutis vir, Cæsarei, Pontificijq; Iuris doctissimus Incisæ Marchio, Ouiliarumq; Dominus, qui dictantem quotidiana curiositate audiebat, mirificeq; illo delectabatur. Absoluto demum opere, vniuersaq; fermè Europa illud voraci hiatu excipiente haud ita post & vitæ curriculum laboriosissimum Auctor etiam absoluit septuagenario maior, vir cuius innouationem desideraret omnis Literaria Respublica. Gubernium Congregationis attigit vel inuitus, qui propensione aliò ferebatur, dum interim eo in ministerio florerent Conciues Augustinus de Nouis, & Archangelus Pelissonus. Attigit tamen, & vbere cum Reipublicæ bono, qui de anno decimo septimo supra sesquimillesimum Præpositus Mortarien, vna cum Sereno Patauino in curia Procuratore, & Francisco Placentino Generali diù, egregièq; laborauit ad malacissandas, dirimendasq: lites cum Riarijs

Raphae-

Raphaele Cardinali, & Cæſare Patriarcha Alexandrino pro Præpoſitura Cælauree Ticinenſi, quam & demum feliciter Congregationi adiunxere vt ex diplomate Leonis liquet. Præter exactiſsimam ipſam tot linguarum cognitionem illuxit etiam abditiorum cognitione Miſteriorum innocentis Cabalæ, Ægyptiorum quoq; Hieroglificorum notitia clarus. In ſuprema huiuſmodi curiositate noxiam aliquando vicinitatem cum ſuperſtitioſis, damnatiſq: habente illibatum ſpiritum intaminatæ religioni, Creatoriq: ſuo ſeruauit. Quod tum clarè innotuit, cum facta illa copia eſt librorum Antonij de Fantis Taruiſini Philoſophi, & Aſtrologi nominatiſſimi ex teſtaemento noſtris Patribus legatorum, antequam ab ijſdem Vulcano conſumenda traderentur. Quamuis enim inter illos repererit opera Razielis, Picatricis, Bailùm, Mercurij, Petri Aponenſis, Salomonis, ac interpretis illius Appollonij, & aliorum ſimilis farinæ Scriptorum nil tamen vltra aut excerpſit, aut libauit præterquam variarum literarum flores, characteres diuerſos. Illius igitur eſt

*Introductio in Chaldaicam, Syriacam, Armenicam, & decem alias linguas Characterum Differentium Alphabeta quadraginta, & eorundem inuicem conformatio. Papiæ 1539. Per Ioannem Mariam Simonetum. Lib. 1.*

Alphonſi Fontanellæ Regienſis.

*NON te immortalem Rex ingens Pontice ſceptrum*
*Reddidit, at virtus te ſuper aſtra tulit.*
*Profuerat nil magnus honos, nil regna fuiſſet*
*Ni virtus, fruſtra nam tumor, omnis erat.*
*Sic nunc doctiloquus tua per veſtigia greſſus*
*Ambroſius dulci dulcior Ambroſia.*
*Nec tibi, nec noſtris in noſtras protulit oras*
*Cognita Phœbæo lumine clara magis.*

Marci Antonij Victorini Romani.

*CAdmæi laticis magnuſq; nouuſq: repertor,*
*Quo duce quæque ſuas lingua habet vna vias,*
*Et quid in hæc maius defertur tempora, cum tot*
*Nectareus titulos inuenit Ambroſius.*
*Hoc de te cantet Latium, patriuſq; Ticinus*
*Dum loqueris certè hæc cælitus aura fluit.*

Marci

Marci Antonij Bobæ Casalensis.

*ASsyrias petit hic oras per mille pericla,*
*Assyrio possit quo benè more loqui;*
*Atque alias partes alius petit, & freta sulcat*
*Omnia sic linguas, caleat ut varias.*
*Consuluit tantis hominum sudoribus, atq;*
*Hunc illis librum condidit Ambrosius.*
*Paruus inest labor hic, nulla hic discrimina, tutum*
*Hoc mare sulcantes per vada tuta vehit.*
*Adde, quod & linguas potes hinc ediscere cunctas*
*Quas, & Sol Oriens nouit, & Occiduus.*
*Ergo quisquis amas hominum cognoscere linguas,*
*Parce viæ, atque nouum sume opus Ambrosij.*

Bartholomæi Fumi Villaurensis.

*GRata Palestini transmittunt Balsama colles,*
*Thura Sabeorum rura perusta ferunt,*
*Semper flore virens sapidum mel donat Hymettus*
*Vitifer, atq; merum dulce Falernus habet.*
*India fert Hebanum, mittunt sua vellera Seres,*
*Et Padus & Ganges aurea dona legunt.*
*At Pater Ambrosius toto celebrandus in orbe*
*Linguarum egregiè nunc genus omne refert.*
*Hic Arabum libri, populorum elementa patescunt,*
*Normaq; discendi cum breuitate datur.*
*Huic operi studeas, linguarum si genus omne*
*Scire cupis, paruo tempore doctus eris.*
*Perge liber. Quo? Quo libeat. Num tutus abibo?*
*Tutus eris. Tutum docta Minerua facit*

Euphemij Minoritæ.

*SI quæ scire cupis fuerint commercia linguæ*
*Antequam ab Ogygio merserat imbre solum;*
*Et quem posteritas scribendi inuenerit vsum,*
*Queue hominum scriptis lingua notata prior,*
*Docta Panonphæi hæc teneas documenta libelli,*
*Sic scribes hominum, priscaq; verba leges*
*Et sic Romanus, sermone videbere Graius,*
*Medus, Indumæus, Libs, Afer, Indus, Arabs.*

THO-

# THOMAS GARZONIVS DE BAGNACABALLO.





IVIDAM ingenij verſatilis, & ad omnia nati promptitudinem, qui curioſus intueri cupit, non aliunde quærat exempla, ſed in vno Thoma Garzonio, illiuſq; editis voluminibus mentis dirigat aciem. Intuebitur, qualia non ita frequenter apparent, hominis feliciſsima dona in vnum conuenientia. Linguarum Latinę, Græcæ, Hebraicæ, Italicæ, Hiſpanicæ peritiam, Doctrinarum omnium multiugam cognitionem, Liberalium Artium, item & Mechanicarum tam diuitem venam, vt in vno quoq; genere dies vniuerſas triuiſſe, & excelluiſſe iudicandus veniat. Vixdum os (vt ſic dixerim) materno ab lacte amouit, cum ad Muſarum mella deguſtanda illud conuerterit, ab vbere ad vbera, à frontibus pectoris ad fontes parnaſſeos tranſuectus. Decimo vix egreſſus ab anno liberalis naturæ impetu carmine per octauas (aiunt Itali) concinnato, quod puerulus ludebat ex more ætatis, vel præliabatur inter pueros; viriliter, & aptè repræſentabat inter adultos. Parentes bono loco genitos Petrum Garzonium, & Altabellam Lunardam in ſpes egregias excitauit, qui illũ per diſciplinã Philippi ab Oriolo Imolẽſis exactè humanioribus literis excultum ad Ferrarienſe Gymnaſiũ Vtriq; Iuri operam daturum tranſmiſerunt. Non quotidianum eſt, puerũ quartumdecimum annum vix agentem maioribus huiuſmodi diſciplinis auditorẽ proficuum cernere, electa ſarcina elegantiorum diſciplinarum, & morum ad opus inſtructum. Ex Ferrarienſi ad Senenſem non ita poſt ſe contulit Vniuerſitatem, vna, præter alias erigente ad haſce permutatas vices ratione, vt eodem ſcilicet momento ab vſu linguam purgationem Etruſcam addiſceret, ne dies melioribus dandi occupationibus terrere poſtmodum cogeretur, ut ex inanimis libris maternus corrigeretur ſermo: eò maximè quod pronunciatio ipſa ſemper latentem neſciò quam exhibet energiam, & imprimuntur fortius quæ ſimul & appræhenſa ueniunt, & exercita. Horatium Spanochium Iure Conſultum, & Fabium Marettam Philoſophum excellentiſſimos inibi profitentes audiuit præ cæteris, illorumq; adheſit methodo, excerpſit flores, & cumulauit fructus. Verum non hæc illius uocatio, non hoc parabatur iter ei, qui ad ſublimius brauium aſſeruatus, ſtadium aliud curere deberet. Ciuitas illa

Virginis

Virginis pietatis ſeminarium eſt. Vos, vos Diui Bernardine, Columbine, Catherina, & alij quamplures id teſtemini. Sub Cælo illo pectora flammiuomis vocibus ſuperinduuntur, & dum exempla pietatis ſpirant pleriq; ſuperlucrantur proximos tanquam bona talenta Deo: Vitæ ſpiritualis ſymbola amplexus eſt ibi Thomas inter licentiam Gymnaſticam: & dum nunc ſolitudinem eligit, nunc flagella ſuperinduit, nunc mortificationes adoptat factus ad Sacramenta frequens; lumine illuſtratus ſuperno, voci eloquentiſſimæ Conciuis Ioannis Franciſci Gorij Eccleſiaſtis illorum temporum eminentiſſimi ſemitam ad imum cor aperit. Eo ſuaſore Clericali Albo Lateranenſi ſe perſcribendum offert exaratore Vitali Mercato viro Sanctiſſimo Portuenſem Familiam apud Rauennates gubernante. Exterius lineum paludamentum, veterem talium caſtrorum teſſeram, induit anno propè biſdeuigeſimo ſuæ ætatis, ſexageſimo ſexto eius ſæculi, die decima octaua Octobris Diuo Euangeliſtæ Medico ſacra ſub Generali Rectoratu Gaſparis Mediolaneſis. Facilis ebibit diſciplinam ab homine, qui prius induerat bonitatem è Cælo, vt ſcientiam poſtmodum voraret ab arte. Dum Gymnaſijs aſsedit auditor, & per ſcriptor de more, Magiſtros ipſos feſsos ſępius reddidit vna promptiſſimi intellectus dote nunquam niſi excitata in ijs etiam, quę nondum per ętatem profiteri potuiſse apparebat. Diſputationes, quas ad longam horam protraxit, ſuggerēte iuges cathenatas difficultates ad omnem ſolutionem viuacitate naturę; condiuit more candidiſsimo. Conciones, quas breuitate terminauit, cultu ſermonis mellifluas, rebus paucis ſed optimis ſolidauit. Odas, hymnos, cęteraq; huiuſmodi Spiritus laſſi fomenta, varietate, numero, diuerſitate idiomatum exarauit, conſpicuus; quæ tamen ipſe occaſione, cui inſeruiebat, peruolata, temneret, auri non per accinos, ſed per glebas collector. Præ omnibus verò vna effulſit hiſtoriæ lectione, e cuius promptuarijs excerpſit ad omne propoſituũ flores, & exempla per quam illuſtria, nullius rei obliuioſus, omnis rei apprehenſor, & qui in diſponendis apprehenſis ordine valeret mirifico, adeo vt longas dictaret calamo materias nulla interpoſita litura, nullo ſuperaddito verbo. Genio indulgens in ipſo ætatis flore, à quo non inclinaretur, modo, ſed impelleretur ferè Accademicis rebus pertractandis, tres Libros illos compoſuit, quos tam gratanter, tamq; auide humana curioſitas amplexata eſt, Theatrum Ingeniorum, Xenodochium Stultorum, Sinagogam Ignorantium. In eis quidem Lector amicus ſatis habet quod admiretur innatam Auctoris inueniendi, diſponendiq; felicitatem; ſed cum minus ſenſatarum materierum ſint, optimo ipſi conſilio titulum profeſſionis ſubticuit. Non ita multo poſt etiam edidit egregium Volumen, quod Plateam Vniuerſalem omnium Orbis Profeſſionum, hoc eſt Scientiarum, & Artium inſcripſit. In eo, ſi demas aliqua currenti calamo donata, quæ leuitatem

sapiunt, iuuenilemq; feruorem minus consideratum: nil omninò est omnium talis classis Scriptorum, quod ei comparetur. Testimonium omni exceptione maius sit exitus ipse, cum plusquam quadragies excussum sit; ita vt, sicut retulit nobis aliquando Venetijs ex propria obseruatione Ioannes Baptista Ciottus Calchographus insignis, plusquam nonaginta millia voluminum ex sola ipsa Ciuitate talis Operis prodierint. Omnibus omniũ ordinum probatum Opus, quod nihil intentatum relinquat, vt facili materno stylo sub oculos ponat Artes, Mechanicas, Liberales: Scientias, Speculatiuas Practicas, Morales, Politicas, Physicas, Supernaturales, Diuinas cum earum Inuentoribus, Accretoribus, Ornatoribus, Falsificatoribus, Instrumentis, Modis, Ordinibus, & cæteris id genus, similibus, vt iustissimo titulo illud Plateam Vniuersalem appellarit, in qua quod lubet, quod expedit emas sub quingentis quinquaginta professionibus, tanta mole constructa, & plusquam mille ducentis citatis Auctoribus. Vix credibile est, illius mentem concipere potuisse solam molem terminorum innumerorum cuiusq; professionis propriorum: concepit tamen, & expræssit penè ad miraculum ita, vt cuiuslibet scientiæ, artisq; magister præcipuus extitisse, à tenerisq; vngunculis in eis enutritus appareat. Cordatior factus in alijs ingenij excellentis fæturis, quę & eodem plausu, licet non exitu æqualiter veloci, emisit, prius vitam terminauit bonus miles, quam labores. Dum enim assiduus esset in componendo magno illo Incantamentorum Palatio, cuius iam acclamatio omnium Italorum alicuius nominis aures oppleuerat, & inhiantibus faucibus in dies expectabatur; in ipso ætatis flore quadragenarius decessit inter Genitorum manus Anno 1589. octaua Iunij in Patria. Sepellitur in ædibus Franciscanis luculenta Oratione laudatus à Francisco Tussiniano Minorita: nec ita multo post Elogio tumulari decoratus ibidem à Fratre, iuge, patensue virtutis testimonium. Non omninò infelix, qui fratrem Bartholomæum reliquit Lucubrationum curatorem, quiue post sibi surreptum Operis Titulum à Strozzio Ciconia Vicentino non interfuerit improbationi per Fidei Quæsitores factę, ita vt necessum fuerit Labores tantos sub noua attitulatione in duo partiri Volumina. Scripsit ergo

*Theatrum Ingeniorum* Italicè. *Venetijs mihi apud Robertum Megliettũ. Lib.* 1.
*Xenodochium Stultorum Italicè. Venetijs mihi apud eundem. Lib.* 1.
*Sinagogam Ignorantium Italicè. Venetijs mihi apud eundem. Lib.* 1.
*Plateam vniuersalem Omnium Professionum* Italicè. *Venetijs mihi apud* Ioannem *Baptistam Somaschium Anno* 1585. *Lib.* 1.
*Cornucopia Consolatorium. Lib.* 1.
*Vitas Fœminarum* Illustrium *Sacræ Scripturæ* Italicè. *Venetijs mihi apud* Io: *Dominicum* Imbertum *Anno* 1588. *Lib.* 1.

*Cœna-*

*Cœnaculum Desiderabile in* Canticum Canticorum. *Lib.* 1.
*Tractatum De Homine Extatico. Lib.* 1.
*Dionysij* Cartusiani *Quatuor Nouissima in Linguam* Italicam. *Lib.* 1.
*Vgonis de Sancto Victore opera emendatè typis data vna cum vita eundem Vgonis ab eo conscripta. Venetijs* 1588 *apud Somaschium. Lib.* 1.
*Conseptum Mirabiliũ Orbis Italicè. Venetijs apud Ambrosium Dei* 1613. *Lib.* 1.
Ianus *Bifrons Professionis Magicæ est Manuscriptus. Ferrariæ in Bibliotheca. Lib.* 1.

Bartholomæi Burchielati.

*SIngula cuncta simul quisquis lustrare peroptat*
*Mirari* C*ælum desinat, atq; solum;*
*Emporum lustret quod Thomas arte parauit,*
*Nam breuibus cernet singula, cuncta simul.*

Petri Capello Veneti.

*SOmnia, monstra tuo Garzoni carcere claudis,*
*Ast nec abest libro docta Sybilla tuo.*
*Portenta, & sortes, magnorum oracula vatum,*
*Tu Thoma maior sed stupor vnus abes.*
*Quem diuina humeris attollet fama, dabitq;*
*Currere, & Eos, Hesperiasq; plagas.*

Auctoris.

*QVisquis es hæc stupidus spectãdi mõstra quid horres?*
I*ngredere impauidus, nam tibi claustra patent.*
*Nec tibi nunc subeat furiosæ spectra tueri*
*Gorgonis, in scopulos queis abiere viri.*
I*ngenio en præstans Garzonius omnia summo*
*Prodigiosa tibi conspicienda dedit.*
*Gaudebis metuens, stupidus discrimen amabis,*
*Gaudia tuta cient hic stupor, atq; metus.*

# THOMAS DE PIOLATIS A' LIBVRNO.



RÆTER memoriæ auſpicatiſſimæ incomparabile decus nil vltra naturæ debuit in nouercam conuerſę Thomas de Piolatis à Liburno. In minus nanque formoſo corpore, atq; parum excultè formato plura comportauit ex vtero matris, quæ ipſum potius aliosue læderent, quam quod gratiam aliquam conciliarent; vocis incompoſitæ aſperitatem, vultus inconcinam ruditatem, geſtus ſubagreſtis inęqualitatem. Quas partes etiam ſi aliquando exactè demoliri, vel minuere, aut reformare ſtuduerit per annorum, atq; prudentiæ accretionem; haud tamen liberaliter, atq; proſperè id ceſſiſſe viſum eſt, cum de facili prolaberetur in congenitam intemperiem. Vno tamen vaſtæ memoriæ præſidio, atq; portento diluit, & deleuit omnem cæterarum ingratarum qualitatum ignominiam, & compenſauit opprobria non ſua fænore copioſiſſimo, cum aſſurrectus ad pulpita inter noſtrorum manus, & educationem; Monſtro par haberetur apud hiantes, atq; patulas populorum Italicorum aures, atq; præcordia. Principum quoq; ſic adiuit aulas, ſic penetrauit conclauia, potiſſimè verò aliquando Caroli Emanuelis Sabaudiæ Reguli, vt in illius animo vniuerſa veræ beneuolentiæ loca occuparit. Preſentiſſimo nanque eloquio in omnes omnino caſus ex hiſtoricis quibuſq; Græcis, Latinis, Italicis omnium prorſus ſęculorum dum exempla paratiſſima, ſententias, ac verba in longas paginas præciſa proferrebat; & curioſitati Pincipis facere ſatis, & ſcelectam præceptorum ſtatus normam tradere iudicabatur, ea vna opinione genita, vt tum demum nil præter hiſtoricam facultatem profiteretur; ex cuius promptuarius politicæ gubernationis leges, & placita expiſcantur ad hamum. Cum verò in Eccleſiarum ſuggeſtibus declamaret, alterum ſic induebat habitum, ſicque profitebatur ſacrum oratorem nunc in vitia conuiciator inſurgens, nunc in virtutum præconijs diffuſus, vt nihil in eo mitioris literaturę eſſe quis ſuſpicari potuiſſet. Luſtrauit autem prædicatione celebriora pergula Neapolis Archiepiſcopale, Anunciatenſe, atq; Spiritus Sancti, Bononiæ Metropolitanum, Petronienſe, Montenſe, Ianuæ Laurentianum, Vineenſe, Romæ Gallicanum, Vicecancellarienſe, ac Saxienſe. Parmæ porrò, Placentię, Ferrariæ, Aſtæ, Taurini,

Ver-

Vercellis, Lucę ſemper in Eccleſijs maioribus Oratorię facultatis lauream promeruit æquo auditorum iudicio. Nullibi tamen tam enixè commendatus reſplenduit, ſicut in inſigni Cathedrali Ticinenſi, Hyppolito Rubeo Cardinali, & Epiſcopo præ cæteris laudatore. Hic enim qua erat multarum rerum, ſuppellectile præmunitus, virum doctiſſimum experimento multiplici probatum ſic admiſit ad domeſtica familiaritatis penetralia, vt commenſalis quotidianus adhiberetur, & malè abſumptas horas diceret, quę abſq; illo conterrerentur. In antiqua enim morum craſſitie, & inconiptis geſtaminibus nunquam non admirari ceſſabat repoſitas tam fideliter merces diſciplinarum in ærario memorię vaſtiſſimę,& in omne propoſitum mirabilia exhibentis. Hęc pręcioſa quidem Thomę contigerunt; at multo pręcioſiora fuere in conſpectu tum hominum, tum Superni Numinis, quę eloquio ſolidiſſimo, & indeffeſſo labore operatus eſt in vallibus ſubalpinis Morianę, Tarantaſię, atq; finitimorum pagorum inter Alobrogas, & Lucernenſes,cum ex Patrum decreto Prępoſitum ageret Secuſinum Canoniæ noſtrę Sancti Iuſti. Zelo nanq; fidei, & charitatis ardore ita cępit inter contaminatos populos, hęreticaq; labe partim ex vicinijs Genuenſium infectos diſcurrere concionator nullius ſupercilij, atq; faſtus, & omnis doctrinę; vt innumera collegerit ex meſſe fructus omni ſapore ſuauiſſimos. Familias integras ad abiurandos errores, & ad Catholicę Matris ſinum remeandum adduxit, ita vt aliquando ordinatè inſtructis aciebus virorum, atq; mulierum Taurinum vſq; copioſam multitudinem pertraxerit ad reconciliationis gratiam per manũ Archiepiſcopi,& Oratoris Pontificij accipiendam. Quis verò non lachrymas è gaudij fontibus proruentes per Chriſtianam charitatem elicitas exhibuiſſet, cum pręeunte ſalutiferę, & adorandę crucis vexillo tot animę è diaboli manibus ereptę, & pridem aduerſus ſacroſancta myſteria, imagines, & ſacerdotes inſurgentes antiquę, auitæq; pijſſimæ religioni obſignabantur? Hinc de facili nominis eius fama Romano theatro innotuit, comprobantibus proceribus viri ſolertiam, charitatem, doctrinam, generoſaſq; prouincias aggreſſi. Nos aliquando Venetijs vidimus in manibus pij ſenis Bartholomæi de Murano complures epiſtolas manu propria Cardinalis Sanctæ Seuerinæ ad Thomam conſcriptas mirificè illum commendantes, ſeruoremq; feruori addentes. Vt verò ille ſummo loco præſidebat ad ſupremum tribunal Sacrorum Quæſitorum Fidei, expeditis facultatibus Thomam in illis partibus Inquiſitorem inſtituit vbere prorſus cum animarum prouentu, dum Secuſiam ex mercatura, & comertio non penitus interdictam concurrerent, vt de veritate inſtruerentur, erroreſq; deſererent. In ijs adminiſtros duos impietatis lucratus eſt, cum ſoliditate doctrinæ lumen eorum ignorantiæ prætulerit, & charitatis conſtantia diabolicæ fraudis obſtinationem abſterſerit, atque con-

contuderit. Hac benè parta optimè gestorum gloria Carolo Emanuele Principe cõmendante ad Episcopatum Paphẽsem, mox & Fossanensem per Summum Pontificem Paulum Quintum assumptus est. Huic varia fortuna, sed animo semper vniformi, ad decem, & octo annos præfuit, profuit verò, ac si centenarius præfuisset. Vnis aliquando causis Principem à pristina beneuolentia deferuescentem, parumq; propitium sustinuit, dum multa pateretur ab aliquorum aulicorum machinamentis, qui aperto pectore, & eloquio deperditos pridem Ecclesiæ suæ prouentus recuperaturus instaret. Consurrectum tamen in pristinam gratiam nos alloquuti, & admirati sumus Genuæ, dum Prioratu fungeremur ad Diui Theodori de Fassiolo, quo loci ille aduenerat, vt Principis nomine cum Archiepiscopo Marino tractaret de recipiendis ad aliquem locum Montis Coroni heræmitis. Gubernauit in Congregatione plura Monasteria, præsertim Abbatiam Vercellensem Diui Andreę, Præposituram Gatinariensem, atq; Diuam Virginem Montis Cretæ, in cuius loci ornamentis ad promouendam pietatem plura excitauit tum ordinis, tum structuræ, quæ multimodè iuuerunt eiusdem Sacri Montis sparsa Sacellorum ædificia, & frequentem populorum ex confinijs Gallorum, & Heluetorum accessum. Obijt sexagenario maior anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo. Reliquit post se

*Confutationum priorum Scriptorum Marci Antonij de Dominis Archiepiscopi Spalatensis ad Hereticos prolapsi, quos in eius manibus nos aliquando Genuæ vidimus.* Lib. viij.

*Illustrium Familiarum Pedemontis, & Alobrogum Insignia antiqua, & moderniora cum elogijs ad* Carolum *Emanuelem oblatos Libros Quatuor. Lib.* jv.

TI-

# TIMOTHÆVS MAFFEVS
## VERONENSIS.




PECTACVLVM paucula hac in papyro habeo proponere plausibile quidem omnibus, nemini tamen plausibilius, quam tibi Aurelia Hipponensis Antistitis Clericalis familia. Dicam planius. Ille Ragusinorum Pontificum verè optimus, verè maximus Timothęus Maffeus Pontificalem in speciem non alio cultu, ornatuq; quam suis virtutibus, & coloribus egregiè spectabilis tuam in primis festiuam acceptationem iustissimè reposcit. Neque verò timendum est, ne salutaris vsuram spectaculi, vel offusa meridie nox tot decursorum temporum, vel effusa posteris Scriptorum penuria intercludat. Satis enim per antiquitatis tenebras virtutis beneficium fulget: neque spectari virtus potest meliore luce, quam sua, atque ipsæ ex senio ortæ caligines lucentia flumina sunt. Primo igitur oculos in se vertit, quæ nostrum integit prima Pontificem bissina tunica. O' quam candida bissus es, quam virginalis dos dealbauit, artifex diuinitas contexuit, lucis æternæ candor afflauit, amantis, & pœnitentis viri palor infecit. Iure te candidam appellabo, quæ non vt in cæteris tantum extimam Ordinis tesseram prætefers, sed intimam edisseris vbertatem. Extimam tunicam, Apostolicum colobium Paulo Maffeo Patruo Ordini Summo Præside Vndecimo donatam in Generalibus Comitijs Victorianis propè Bononiam ad annum vigesimum quartum ab inchoata Reformatione intimę superuestiuit, sociauitq; afflatu sanctissimo; vt primum exordiretur contegere quod patulum esse nolebat, instante, vtiq; direptione iugi ei, qui thesaurum publicè portat in via. Intimam byssum appellamus vitæ innocentiam, morum candorem, uirgineumq; florem, dotes mirabiliter asseruatas inter innumera in lubrico positi sæculi incentiua. Speciosa elegantis corporaturę iuuenta, prædiues familię nobilitas, coequalium perpetim cultæ consuetudines prolapsurum aliquando pedem ominabantur, ni desuper manus contexisset, firmassetq; Grandibus enim prouincijs æditum cura amici Cæli fouebat, & ipsa uenerandi patris disciplina domestico exemplo vni virtuti adiudicabat ardentem. Ipse verò patruus Lateranensium agminum inter ductores, & doctores ennumeratus cum primis, vt iuuenilem indolem ad excelsa factam agnouit, non protrahendam

ratus

ratus ad vlteriores moras (quod vsq; tum præstiterat maturitatem ipsam electionis maturans, iudicijq; haud præcocis firmitatem) tyrocinio iamdiù expetentem admisit. At vniuersum vitæ Canonicæ cursum tyrocinium appellabant maiores nostri, in quo eformarentur non minori militię, quam Cęli legionibus. Ægyptiacę seruitutis perfugam gloriosum secutę sunt diuitię, suppellectilesq; quas mutuauerat pretiosissimas ab Poetis, Rethoribus, & Philosophis. Mutuauerat nempe, nunquam illas redditurus, sed in penu suum redacturus, siue in Domini sui ęrario valdè preciosiore collaturus. Quo ordine autem admissę fuerint socię paupertatem vitæ communis professuro ab seuerioribus rerum nostratium censoribus, ex eo liqueat, quod in modum earum antiqui illius populi terram lacte, & melle fluentem properantis, per mare rubrum sicco vestigio, perq; vastas Arabum solitudines purgationem agere indictæ sunt. Abditum angusti foraminis magè, quam cubiculi carcerem, omni prorsus carentem commodo (si paucula stramina saculo malè consuto, malèq; dolato excipiantur) quis non solitudinem dixerit, eò sublimiorem, quo per altum sylentium religiosè fulciebatur, omni etiam secluso contribulum, quod in illis erat, contubernaliumq; consortio? Quis non rubrum quoddam mare vocitauerit profundas pœnitentiæ voragines, vorticosos sacrarum scientiarum sinus, in quibus naufragum interitum agunt in curribus, & equitibus suis confidentes? Per tantas igitur semitas, perq: ærumnosam huiusmodi peregrinationē aut detersa rubigine, aut deposito nimium lasciuiente splendore, aut deliquata scoria dimissæ sunt intellectuales illæ diuitiæ Timothæo noctem abditam Religionis incolenti, vt non iniquè vsurpari possit illud, O' verè beata nox, quæ expoliauit Ægyptios, ditauit Hebræos. Quippè vt datum est maturitati dierum, atq: suauitati iam assecutæ in moribus, Sanctimoniæ, integritatiq: in vita conuestitæ Doctorem agere in populis, ductoremue se præbere inter deuios, tanta affinitate coniunxit minora maioribus, sæculiq: eruditionem copiosam sobriæ religionis veritati, fideiq: munimento, vt miraculo tenus obaudiretur. Non perorantem humano more hominem, sed diuinum quoddam personantem excipiebant pergama templorum, atq: sæpissimè compactis tabulatis, & coassationibus latiora ciuitatum fora, ex cuius ore tametsi dulcisona profluerent verba, tametsi ardores effunderentur Cælestes in auditorum animis minora tamen erant, quæ diceret, quam quæ suaderet præsentia ipsa adhuc tacens. Quippe charitas, pietas, sanctitudo erumpebant vndique ex oculis, ex colore, ex motu, ex membrorum coagmento, & vestimentorum incompto quidem, sed speciosissimo decore, vt causam suam victor sub sylentio etiam peroraret. Non isthęc fuere vnius Quadragesimæ mirabilia, sed quadraginta fermè annorum messes, ac vindemiæ non sumpta legatione ac unum, uel alterum

popu-

populum, ſed ad omnem uſq; quaq; Italam gentem, ad uniuerſas omninò longè, lateq; oras iugi exercitio, perpetua excurſione, indefeſſo peregrinio, atq; labore. Ambitioſo quidem famulatu, & æmulantibus Pricipum precibus fatigatum in primis excipiebant potiores aulæ præoccupata in annos policitatione, ſed nunquam ideo minoribus ordinibus deficiebat eloquentia illa, quam illabens menti Numen influeret, quam ardoribus ſuis charitas excitaret. Motus populorum eo tempore ad vnum Maffeum audidendum abſq; prorſus exemplo erant ad hominum vſq: memoriam, ab ſingulo quoque guſtu probatā ſemper concione, quod alijs omninò quibuſuis contigiſſe haud memorabatur. Sancti quidem pleriq: Dei homines infinito cum populorum concurſu obauditi vel legebantur, vel recordabantur, nec diſpare fructu, hos ſuadente vita, illos lucrante miraculo, nonnullos excitante eloquio, omnes mouente nouitate; ſed quandoq: ſimplicitas ſermonis, quandoq: locutionis humilitas, quādoq: zelus eruditioribus improbabatur, in alijs verò ſublimitatem, doctrinam, ſubtilitatem, floridum genus, & huiuſmodi plura minor plebs, vt non capiebat, ita nec admittebat. Maffeum omnia omnibus factum, ad omnia natum, omnem guſtum coequantem omnes excipiebant. Lubet bina proferre loca ex illius contemporaneo, & auditore Matthæo Boſſo hunc punctum breuiter conteſtantia. In Epiſtola quinquageſima tertia ad Deſiderium hæc habet. Quod ſæpètu mecum de magno Timothęo noſtro ſic eſſe cenſuiſti, quem cum audiremus, non hominis verba, ſed oracula nempe diuina audire videbamur. Quoties vir ille ſuauiſſimo eloquio, & admirabili ſuo euulſit nobis animas, & in omnis, quas cenſuit affectiones illexit, & rapuit, vt illum nō tam hominē, quam Angelum diceremus? cuius poſt conciones ſpecioſam imaginem, vocem, motus, geſtus, inenarrabilemq: dulcedinem vbiq: inſpicere; ubiq: exaudire, ubiq: deguſtare ad multos inde dies tanquam præſentes equidem uideremur? Sed nunquam tamen, quanquam ſcribere delectaretur, & ſcripſerit, aſsequi potuit, ut calamo æquaret eloquium. Et in Epiſtola 199. ad Iuſtinianum ſic ſcribit. At uerò Timothæo Maffeo pariter, ac Veronenſi, qui mihi dux in Sacris Literis, & ad Euangelium etiam fuit, quid unquam ſpecioſius in Eccleſia Chriſti, atq: beatius extitit? Cui tantam dicendi gratiam, ſundiq; dulcedinem conceſſit Deus, ipſaq; natura, quanta vix vlli à conditis ſæculis Hic ita efficax, ita melleus, ita appetibilis, vt eius deſiderio, & auiditate quaq; tota teneretur Italia. Sic clarè, & appoſitè digerebat, & deducebat omnia, vt quicquid ab illo prodiret, nemo poſset etiam ingenio tardus dememiniſse. Non modo lactabat, & demulcebat aures, ſed exinterabat hominum pectora, & in quam animos voluiſſet affectionem agebat. Qui à mundi contemptu ad cæleſtium amorem tot

euexit homines, vt nullum esset fermè cœnobium, nulla sancta, religiosaq; societas, quæ horum referta non esset, quos Christo lucrifecisset Timothæus. Breuius in Epistola secunda ad Augustinum, Siquidem ego ad maiora ista non assumptus, nec satis compos vtq; idoneus ad peruolandum supernè alta per sydera, putaui per lectionem haurire deorsum, quæ possem, quando sublimiora mihi sint denegata, & scribendo tempus ab ignauia, otijq: iniuria quoquo modo uendicare: ad hoc ab illis uehementer impulsus, qui uehementer me dilexerunt, Timotheo olim prima, & consumatissima (cæterorum cum venia dixerim) sui temporis pulpiti gloria, & meæ salutis primo post Deum auctore, ad Euangeliumq: magistro. Demum in Disputatione Secunda De Veris, ac Salutaribus animi Gaudijs sic Seraphim alloquitur. Nam de me ipso loquar, cum Timothæo nostro viro quidem doctrina, & sanctitate vitę clarissimo, communiq: nostræ regenerationis auctore, multis in locis (vt te non præterit) annos fermè totos plerunq; fui, atq: vixi. Illi me Sacris in Literis, atq: in his liberalissimis studijs graue non fuit discipulum admittere. Deinde princeps hic mihi extitit ad ineunda rationem instituendæ concionis, & proclamandi ex pulpito, hancq: vocem sua industria, suisq: pręceptis conformauit, quanquam & in hoc populari dicendi genere, & in illis, quæ dixi studijs, parum certè profecerim. Sed me quã lætum, quamq: felicem extitisse tum credis, cum tanti viri mihi liceret contubernio vti? virtute singulari frui? humanitatem modestiam, sapientiam, religionem, pietatem, reliquasq: virtutes admirabiles contemplari? Tenebat animum semper deuotione præcipua, & admiratione, ac suauitate incredibili vir ille eloquio dulcissimus: atq: eum dicentem obseruabam studiosè, & quoquo se verteret, sermonibus eius suauissimis tractus illum prosequebar. Fateor inde vsq: vitam mihi iucundiorem, nullum sermonem dulciorem, nullum etiam tempus felicius, atq: fructuosius. Quamuis autem adeo mirifica essent desuper immissa tanto capiti dona, tamq: largiter ab illo populis dispertita: non ideo tamen virum Gymnasiorum cathedris suffurabantur. Nam Ordinis Accademias interpres nunc Sacer, nunc Moralis, nunc Physicus per plures annos dum virilis iuuenta suppeditabat vires, lustrauit, & illustrauit, non reuocata etiam à minutioribus logicalibus dictatura, vt omnium horarum, omniumq: virorum vir esset pro quorumq: captu, proq; communis genitricis bono. Atq; inde habuit disciplinę alumnos eruditissimos, qui addictione quadam deuotissimi non modo in verba magistri iurassent; sed & animam pro eius doctrina, quæ fidei doctrina erat, profudissent. O' virum solertem, ò indeffessum communis dignitatis tutorem, ac propagatorem. Intra professi cœtus terminos vix quidpiam aggrediebatur, cui non opem, non consi-

lium

lium adiungeret Timothæus: atq; in administratione Publicæ Rei, vt primæ offerrebantur, & obtrudebantur dignitates, ita laudatissimè gerebantur. Incidit autem in eas temporum occasiones, quæ vtramq; fortunam Ordini pepererunt, exercente Domino seruulos suos per læta, perq; tristia, ne felicibus extollerentur, aduersisue destituerentur animi. Bina nanque vice Patriarchium Lateranense, antiquissimum Ordinis domicilum, Supremaq; Sedes restititutum, binaq; vice ammissum vidit, variante retum, hominumq; vicissitudine, ac diuina, humanaue principantibus, qui non similiter sentirent, quorumue pectus non æqualis constantia firmaret. Antè annos quinquaginta Bonifacius Octauus abdicatis Regularibus Canonicis octo fermè sæculorum possessoribus hæreditarijs, atq; legalibus sęculares Canonicos in possessionem Sacrosanctæ Basilicæ induxerat partitis in Præbendas, & Sacerdotia opulenta communibus prouentibus. Eugenius Quartus Auorum hęreditatem legitimam nepotibus restituendam ratus, contrarium vrgente seditiosiore populo, nostros de nouo reposuit, acceptationem iniungens, vrgensq; obedientiæ pręcepto sanctissimo. Eo, successoreq; Nicolao Quinto de viuis sublato, dum Petri Sedes vacaret, iterato per vim illatam pelluntur tanto nisu nequissimorum aduersariorum, tantaq: mansuetudine non repugnantium Patrum, vt Calixtus Tertius postea renunciatus Pontifex iniquitati temporum aliqua concedenda opinatus, violenter raptam possessionem confirmare, siue actum nullum assensu Apostolico validare opportunum duxerit. Gerebat tum Timothęus Generalem Ordinis Præfecturam Secundum vniuersæ Romanæ curiæ; notissimus, Pontificiq; homini hispano iam à Senatoria purpura acceptissimus: quo fiebat, vt priuatas ad congresiones quotidianus admitteretur, diuersa tamen animorum dispositione. Siquidem Rector Generalis etsi ardenter vrgeret, quæ pro dignitate Congregationis essent, & acriter ipsamet violenta predatio de per se loqueretur; non tamen aut incessebat aduersarios, aut nouam immissionem, restitutionemq; opportunè, importunèue extorquebat: memor vtique tot, ac tanta intercedere opposita, vt vix per Pontifices ipsos superari posse viderentur, reluctante maximè Congregatione, quæ sub beneuolentissimo Eugenio in Generalibus Comitijs decreuerat antea reffutandam tantam, tamq; odiosam ea temporum coniunctione, populiq; captiosissimi prætensa libertate Prouinciam, quam euidentissimo vitę discrimine subierunt per malum aerem eius regionis ad mortem adactis pluribus Canonicis, quamue nunquam subijssent nisi præceptum ipsum Sacri Regis vrsisset. Atque hoc pacto Patrum antiqui fines turbati sunt, donec per Paulum Secundum tertio repositi, tertio etiam abacti fuere. Sed hæc aliquanto post. Interea Timothęus Tertium coactus supremam ferè Ordinis dignitatem inter quæstus, & lachrymas solitudini-

ſuſpiratrices, conſolatorem deſuper Deum ſibi, commiſsoq; gregi expertus eſt. Triennali enim ea præfectura per trium inſignium Canoniarum lu-ctrum, & acceſsionem dilatata Congregatio eſt, Criptanæ propè Neapolim, Bellianæ propè Bononiam, & Gratianenſis intra Vercellas, quarum duę priores ex Canonicis Regularibus poſterior ex Sęcularibus reformationem ſubiere. Ita vt dum auaritia, ſeditioq; Romana paucorum pellit innoxios ab legitimis ſuis; liberalitas communiſue conſenſus aliarum nationum obuia illos amplexaretur. Conſpicua verò præ cæteris prior extitit ex pręuio conſenſu Alphonſi Aragonij Regis, qui ſollicitus haud factum eſse ſatis ſibi, Regiæq; Ciuitati in aſsignato illius Eccleſiæ miniſterio; omnimodā etiam curauit non ita multo poſt vnionem alterius inſignis Abbatię D. Petri ad Aram, vt in ſuburbanis poſito Criptano priore Collegio, ſecūdū iſtud intra vrbis męnia degeret, ſicq; curarent Canonici affectiſſimū Regem ſiue inter otia naturalia vagantem, ſiue inter negotia vrbana laborātem, precibus, miniſterio, ſacrificio, præſentia, prædicatione: atq; dum Matri Deiparæ quoddammodo ruſticantur ſolitudine delitioſiſſima, beatiſſimo Clauigero vrbanitarent comercio frequentiſſimo, ſicq: alter alteri locus ſuppetias ferret opportuniſſimas, ac demum vniuerſo Ordini Canonico conſuleretur, dum bina huiuſmodi antiquiſſima domicilia noua Reformationis pulchritudine iuueneſcerent. Hæc erant Timothæi non vulgaria præmia, hi poſt animarum lucra quæſtus, in quibus decor, ſpecieſq; matris Congregationis iubilaret ad maiora pro Cæleſti Hieruſalem; exhilarareturue in aduerſis. Hæc non aliundè quæſita, quam ſudore vultus, quam ſanctimonia vitæ. Ad hanc fouendam, promouendamq; iteratis precibus ſacras Epiſcopales Inſulas declinauit ex animo ſub offerrentibus Summis Hierarchis Nicolao Quinto, Pioq; Secundo, qui vt alta Dei miniſter alijs patrabat; ſic minima ſibi conſultor de ſe ſentiebat, vnam poſt Cælum diligens Religionem innocentiſsimo ſtudio, in cuius ſinu animam efflare vno voto expeteret humilitatis veræ aſſecla abq; fuco. Atq; id in cauſa extitit, vt diu conceptam, altoq; ſylentio diù ſub pectore præſſam Hieroſolymitanam peregrinationem ad optatiſsimum exitum perduxerit. Dum enim Pius Pontifex virtutem illius ſplendidiſsmam à modio ad candelabrum euocaret latius emicaturam crebriore Cathedralium diuerſarum propoſitione, inſtanterq; extorqueret ab viro conſenſum; ille demum aperuit ſibi in voto diuturniſsimo eſſe Chriſti Domini ſanguinè conſperſa, pedibuſue ſacris calcata loca inuiſere, quæ ſub Epiſcopalibus faſcibus minimè luſtrari permittebantur, à quorum regreſſu (ſi deſuper ita placitum eſset) ſe totum benigniſsimæ voluntati aquieturum, licet repugnante profeſsionis anteactæ ſtudio. Tempori remedium oblatorum dimittebat honorum, diemq: vulnus huiuſmodi ſanaturum opinabatur, cum aliundè amuleta ſperare
ſibi

ſibi in promptu non eſset. Subijt iter longiſsimum, periculiſue latè patens ſub bona ſenectutis die. Sed animi promptitudo, mentiſq; pietas alas miniſtrauere pergenti, quæ tamen ardentiſsima concremauere ſuſpiria, dumdirę paſsionis oram omnem, ſacratiſsimiq; ſepulchri penetralia obſeruaret nocturnus excubitor, luſtraretq; ab aurora ad veſperum diurnus ſacriſpecula. Ideo reuerſionem meditari haud poterat abſq; lachrymarum iriguo, dum diem obire ſitiens appeteret, vbi aut primum Saluator Ieſus inchoauit, aut terminauit poſteremum. Protraxit Italiam quoad licuit. At petebant illum Superi nouo iugo colla ſubiturum. Nam ſublato Pio, ſuffectus ad thronum Paulus Secundus Archiepiſcopum Raguſinum illum acclamauit nullo eiuſdem conſenſu poſtulato, vrgebat nanq; Paſtores petere ex omnibus electiſſimos, & talibus Eccleſijs deportare præcepto, quos nutu flectere nequiuiſſet. Quæ ſucceſſerint tam circa dignitatis luctuoſam illi acceptationem, quam circa alacrem eius adminiſtrationem proſecutus eſt aliqua ex parte alumnus eius Matthæus Boſsus triplici ad ipſummet Maffeum Epiſtola, quæ hic pro certiore teſtimonio attexentur Lectori pio. Nil de prioris vitæ norma, deq; ſibi inueterato agendi inſtituto in Archiepiſcopatu remiſit. Meſsem copioſam, operarios paucos inuenit in Vinea, quam circumcirca ſepiret infidelitas, unus ipſe ſuppleuit pro quā maximis, oratione, ieiunio, macerationibus, pietate, eloquio populos ſibi commiſsos quaq; vertens, ut Cælum ſemper intenderent. Demum paucos poſt annos inter gregis ſibi commiſſi amicas ſollicitudines ſumma ſanctitatis opinione ſpiritum innocentem Creatori reddidit. Corpus egregio funere cultum ſepulchro traditum eſt frequenti populorum ſupplicatione venerato. Plura nobis retulit de florenti adhuc tantæ ſanctitatis memoria apud gentes illas Anibal Albertinus Medicus, & Philoſophus Conciuis noſter, qui in ea Ciuitate curationem per decem, & octo annos profeſſus eſt. Plura Timothæum ſcripſiſſe conteſtatur idem Boſſus præadductis verbis ad Deſiderium, ſed nunquam tamen, quanquam ſcribere delectaretur, & ſcripſerit, aſsequi potuit vt clamo æquaret eloquium. Et in Epiſtola ad Bartholomæum vigeſima ſexta. Orationem magni Timothæi noſtri, quam vehementer optas, in manibuus ipſe non habeo; legi tamen illam antequam à nobis Venetias proficiſceretur Timothæus. Eam conſequi propediem tui cauſa curabo, mi Bartholomęe, diligenter. Rem videbis ornatiſſimam, & longiuſculam, à quo manauit auctorem exprimentem, quam qui vidit doctiſſimus quiſque probauit. Item in Epiſtola quinta ad ipſumet Timothęum, Libellus tuus ad Alphonſum Regem eſt perurbanus, & bellus, ac planè Rege digniſſimus; ſed præcipuè ad id quod quęris, incitamentum admodum efficax. Quin conciones eius ad verbum dum è ſuggeſtu loqueretur exceptas à velociſſimis ſcriptoribus inſinuant, quæ

circa

circa Seuerini Calchi conuerſionem accidere. Nos vnam tantùm vidimus eius ſuperſtitem epiſtolam inter alias Boſsi, Boſſus verò hæc habet. Quod ardebam agnoſcere de tibi delata Pontificali dignitate iſta tua, explicauit ex ordine,atq; pleniſſimè num michi Matthæus Caſalenſis Religioſus ſanè optimus,& vtriq; noſtrorum admodum deditus. Qui ad nos cum diuertiſſet, magnam diei partem de te, tuiſq; rebus mecum colloquens venuſtè, & amicè conſumpſit. A quo, qui rebus affuit, cum acceperim ad Infulam, & Pontificatum te non ſponte veniſſe, ſed iuſſum, & euocatum vt Aron, equidem poſiliui, exultauiq; lætitia. Sciebam ſuperiore tua vita plerunq; ad mitram peruenire te potuiſſe, Nicolao præſertim, Pioq; Pontificibus, quod recuſaſti, neglexiſti, contempſiſti, & eorum de te cogitationes eluſiſti. Quo animo cum etiam eſſes, venit tempus magis inſperatum, quam præuiſum, quo Paulus Pontifex te abſentem vocauit, & quantum licuit renitentem te ſacro deniq: Præſulum Ordini annumerauit. Et quidem diuino nutu, ac æternæ prouidentiæ dono hoc factum eſſe crediderim, vt qui dum ætas floruerit, & viguit corporis robur, te ipſum in verbo Dei, atq; doctrina exercuiſti incomparabili ( pace omnium dixerim) gloria, fructuq: animarum. Ingraueſcente tandem ætate, quæ acres illos corporis motus, vehementeſq: ſpiritus extenuare ſolet, ac frangere, ei ordini adiunctus es, atq: in eo loco ſita virtus, & dignitas tua, vbi prudentia, conſilio, auctoritate, ſapientia rem Chriſtianam iuuare poſſes, & perditos mores ad veterem religionem, & ſanctimoniam reuocare. Et quidem Vrbes, ac Populos perbeatos, ſi ex hac ſchola Ieſu Chriſti permulſi ad eccleſiaſticos gradus tollerentur, quales vidimus Eugenium Pontificem Summum, Antonium Corarum Cardinalem, Laurentium Iuſtinianum Venetorum Patriarcham, Antonium Florentinorum Archiepiſcopum, Ioannem Ieſuatum Ferrariæ Præſulem, & priſcis temporibus innumerabiles legimus ſanctiſſimos homines, ac penè diuinos, qui de monaſterijs, vitaq: humillima ad mitras,ſummamq: thiaram,& maieſtatem peruenere. An nos Chriſtiani ſubdubitabimus de felicitate, noſtraq; ſalute, ſi nobis præſint, qui & optimi ſint, & ſapientes? Quando de ſuis Plato ethnicis hoc tantum boni ſperauerit? Qui & prædicaret beatum tum fore genus humanum, cum aut Sapientes regerent, aut Reges ſapere inciperent? Quod quidem ipſum egregiè Claudianus his notiſſimis uerſibus cecinit.

*Componitur Orbis*
*Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus*
*Humanos edicta valent, vt vita regentis.*
*Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.*

Sed addit tamen Caſalenſis noſter poſt mutationem iſtam tuam nunquam te lætum inſpexiſſe, ſed conquæri non ceſsantem, quod ſancta Religionis

cunica

tunica, habituq; mutato, propositum tuum ad postremum uitę non traxeris. Traxisti satis, quia trahere volebas, neque religiosa indumenta mutasti, si animum non mutasti. Sed neque debes formidare commisso tibi gregi non posse sufficere, qui triginta fermè annos Italiam omnem publicis vocibus instituere non cessasti. Verum, vt video, iam quasi stipendium laborum tuorum quietem cellulę, & præclarum otium studiorum meditabare. Sed, amabo, quid à te tua studia exigunt, nisi excellentem virtutem illam, mi Timothæe, quæ tota in actione consistit? & quoties oporteat, exprimendum non modo sudorem, sed suscipiendos etiam extremos admouet cruciatus? Tu, qui tam diù vineam Domini, vineam sanctam, & electam ex omnibus curas, imitare bonos agricolas, qui quamdiù annosos artus spiritus agitat, labori non cedunt, nec stiuam, vomerem, aut sarculum deserunt, aut si ista non possunt, leuiora obeunt. Sedentes præcipiunt, labores alijs impartiuntur, domi seruant, & parcunt. Nihil ego vereor cum in re modica fidelis extiteris, quin in multa constitutus inueniendus sis fidelissimus, & qui Religiosam nostram hanc rem ex parua magnam fecisti, ornasti, illustrasti, non longè præclarius totum Sacrosanctæ Ecclesiæ corpus aliquando vel decorandum, vel adiuuandum per te quidem sit; ac primum illum Timothæum Pauli prius discipulum, deinde præconem, atq; Pontificem nō imiteris, cuius illustre nomen hęreditasti. Quid est per Deũ, tanti, quod ingens tuus animus tentare non audeat? Quid industriæ, quid artis, quod tuum ingenium acutissimum capere non possit, atq; non cæperit, qui hominum mores, qui gentium ritus, quæ populorum leges, quæ res prioribus sæculis, nedum nostra memoria gestæ, quæ te præterreant? Omitto modestiam, fortitudinem animi, prudentiamq; tuam, quas sanè virtutes magis possum admirari, quam ad vnguem laudare. Omitto liberalitatem naturę, humanitatem, comitatem, cæterasq; tuas huiusmodi & animi, & corporis dotes, quæ notę sunt omnibus, qui tecum aliquando vixerunt. His virtutibus quasi armis cælestibus vndiq; tectus non hæreditatem Domini de manu hostium eripies, ereptamq; tutabere? Non dispersos Sanctuarij lapides congregabis? Non errantem ouem humero reportabis? Non pro grege, si oportuerit, animam dabis? O', decus, ò nostrum, melioribus vtere fatis, hoc est claris, diuinisq; auspicijs, & ad eam sortem animum extende, ad quam te vocat Deus Optimus Maximus, quam & tibi iamdiù etiam infantium ora protendunt. Tu verò beata iam eris profectò Ragusium Ciuitas, ad cuius custodiam excubabit tantus hic custos, & vnius caput exornabit tam nobile sertum, quod tibi vt imponeret, nobis abstulit Pontifex Beatissimus Paulus. Quem uirum habuisse non modo nos, qui nunc sumus, sed nostra omnis lætabitur successura posteritas, & semper, dum erit, illius recordatione sentiet se recreari. Itaq; illum solemni gaudio

quasi

quasi hominem è Cælo tibi demissum læta excipe. Necte myrtos, laurosq; felices, & pia thura altaribus adole. Canoras hymnorum voces in excelso Deus exaudiat, qui inuocatus tandem in tua vota respexit. Sed noster ne sermo te deserat, cum ad hanc dignitatem nihil ipse contuleris, magis verò Romani Patris, cuius imperium nemini fas est recusare, iussa subieris; tibi persuadeas velim, diuinum esse quicquid de te statuit illius Beatitudo, neque te potuisse quicquam sapientius cogitare, quam veri, diuiniq; Pastoris vocem audire. Quare omni iam excussa formidine sponsam amplectere, & perpetuo, vigiliq; cura foueto. Vale. In Epistola trigesima secunda prosequitur afferre varia hominum iudicia de dignitate tanto viro tradita, atq; suscepta in hæc verba. Ex quo tibi facta est ista dignitatis accessio, omnes homines de te loqui videntur. Quidam Religionis vices, alij iacturam pulpiti, nonnulli preteriti temporis laudem dolere se aiunt. Pleriq; etiam, quos iuuat non tam sapienter, quam audacissimè loqui, & aliena magis diudicare, quam sua, te incusant, quod animum ad dignitatem flexeris, quem tam inflammato studio in contemptum sæculi antea direxeras, suadens, & prædicans nihil esse beatius religiosa quiete, ac illius libertate contentum humana negligere. Qui verò de rebus sapientius dijudicant, & de seruo Domini pauent præcipitare sententiam, & quibus, vt ait Apostolus, omnia cooperantur in bonum, existimant magis (vt ipsa res est) diuina sorte, quam tua arte, vel fortuito hoc tibi contigisse dignitatis, & laudis. Sed mihi, qui de tuis moribus, deq; animi moderatione falli non possum, cum huiusmodi hominibus pro tuis ornamentis purgatio, ac dimicatio penè quotidiana suscipienda est; in quo quidem multis satisfacio, interdum & proficio nihil. Et sanè mihi grauior esse videtur status spectati hominis, quam obscuri, manifestæq; virtutis, quam incognitæ. Nam qui obscurus, & ignotus est, in hoc antestat ei, qui clarus, & conspicuus habetur, quod nullis obseruatur oculis, nullas reprehensiones, notasq; censorias incurrit, nullas & simultates exercet. Illustri uerò gloria uniuersi temporis maximis laboribus parta nullo etiam quandoq; errato, uel culpa eripitur. Sed iam hoc minimum nobis, qui magis ad oculos Dei, quam hominum uiuimus, & Samaritanum sequimur nostrum, Paulumq; Ecclesiæ Sanctæ Doctorem per infamiam, & bonam famam currentem, & ubiq; insonantem, Christi bonus odor alijs est odor uitæ in uitam, alijs est odor mortis in mortem. Diuinum quiddam est principatus, atq; potestas. Nefarium, execrandum, capitaleq; ambitio, qua incensus nusquam fuit animus tuus. Quod per uirtutem meruisti, certè possides iustè, etiamque rectè administrabis. Neque meo quidem iudicio quicquam poteris unquam non laudabiliter gerere, si non omninò à te ipso discesseris. Hæc in eos scripserim, qui tantopere alijs sapere se putant, ut semper sibi

sibi ipsis desipiant, qui talia verbis Herculeis inuadunt, & de virtute loquentes in se nihil habent honesti, vt paulò verecundius, quam satyricus loquar. Iam verò vt amicis officiosus videar, Henricus frater, & Leonardus Pellegrinus, & cum his Margarita religiosissima fœminarum, tibi & cognatione, & charitate deuincta, itemq; & Cornelia Turrensis, & Angela Guarienta Ancillæ Christi Seraphicæ, & fratrum permulti, quos non nomino, ne mihi sit opus cathalogum texere, se se tuæ dignationi iterū, iterumq; commendant, mutuas a te orationes expetentes. Vale. Veronę kal. Sextilibus 1467. Demum in Epistola trigesima tertia hæc habet.

Si nullum alium sensum, nisi oculorum, natura dedisset hominibus, nihilque aliud cerneremus, nisi quod sub ipso venit aspectu, haud equidem possem desiderium tuum æquo animo ferre, Timothæe Pater, & Domine; cum tu Illyricum sine me teneas littus, ego sine te patriam dulcem, charosq; penates. Nunc verò clementi Dei consilio, prouidentiaq; benefica cum attributa sit mens ipsa hominum generi, quæ tantum vigoris habet, tamq; subitos, & alacres motus, vt exeat, & vagetur vbicunq; voluerit, nusquamq; locus sit, quem illa penetrare, intueri, perspicereq; non possit: nulla æquè res, de qua & cogitare, & cuius non comminisci etiam illa præsumat; do operam equidem vt tecum sim cogitatione ferè perpetua, atq; ita te video, te audio, te alloquor, te complector, tuaq; mihi passim & occurrit imago, simulq; cum oblectari suauius cupio, inani pictura, quę tuam ex vero similitudinem refert, oculos mulceo. Illud vnum deesse mihi videtur, quod mens ipsa consequi nequit, vt tu, quæ sæpè de te cogito, aut quæ scire te opto, intelligas. Sed in hoc satis iuuat epistola, quæ vox inanimata, sed tamen obsequens extat, atq; morigera. In qua danda ad te me nunquam segnem Timothæe deprehendi, quin prodigum magis, te sæpè plus, quam par fuit, parciorem. Verum magnopere nunc cæpisti satisfacere mihi vna hac, quæ intus, & in tergo ad fimbrias vsq; conscripta mihi ambas manus impleuit, in qua cum vitę modum, atq: rationem, quam suscepisse te inquis, quam maximè probo, & èffero. Neque dubium vnquam mihi fuit, quin ita faceres. Noui animum sanctum, & generosum tuum, noui ingenium, noui naturam, noui & virtutem admirabilem tuam. Quid potest porrò aliud persuaderi tibi, quam quod ipse persuasisti? Vt te ipsum primum cures, deinde Domini gregem? Qui sæpè vocem si audierit tuam, quæ multis iam populis, & Italiæ Ciuitatibus salutem peperit, quid felicitatis Deus immortalis assequetur? Exerce itaq: ad hanc te pietatem Timothæe, & talentum hoc grande creditum tibi largiter expende. Habes, vt est fama, ciues graues, & perurbanos, sed luce veritatis, fidelisque doctrinæ indigentes, quorum ingens cura tibi est suscipienda. At præter ciues, & vrbem, vndiq: insedelitas, atque

hæreses circumfusæ dicuntur, quæ extirpandę sibi erant, ne zizanium serpat in tritico, & infelix se tollat lolium, ac steriles dominentur auenæ. Quod planè faciens anteactæ tuæ vitæ, nominiq: inseruies: negligens, omnis deformata erit vita superior, à quo crimine non aliter, quam à censura teterrima tibi est abhorrendum. Vale Veronæ Idibus Octobribus. Ad rem uerò peregrinationis eius in Palæstinam hæc scribit patetice.

Summa tua, & incredibilis erga me charitas, Timothæe, pater, & si nullo literarum testimonio ęgebat, vt ex quo tu me diligere, ego colere, & uereri te cępi, æguit nunquam; iucundissima tamen extitit mihi commemoratio tam immensi, acerbiq; doloris, quem cæpit animus tuus in nostro ex vrbe Papia discessu. Cum alter Hierosolymam sanctam, alter Mediolanum concessurus, męstus, atq; collachrymans inuicem vale fecimus. Fateor equidem mihi contigisse, quod tibi, vt eo die toto mæstissimus ierim gemens semper, atq; suspirans, nullum commiti verbum redens, aut faciens, sed mecum colloquens. Quo tu nunc pergis sine Timothæo Matthęe? Qualis iam vita filij patre à se distracto? Qualis vita patris etiam sine filio, cogitationum, & consiliorum suorum participe semper, & conscio? O' sors dira, quæ amantes ita disiungis, quæ filium à parente dissocias? Videbo te ne amplius mea lux Timothæe? Audiam concionantem? Astabo lateri? Contemplabor tuos gestus? Admirabor tua tanta ornamenta virtutum? Inter ista lamenta, atq; suspiria ille mihi sanè consumptus est dies. Sed altero, qui Mediolani mihi primus illuxit, ea omnia, quæ potiora mihi, Pater, iniunxeras, rectè confeci, deque singulis te feci, & protinus certiorem, pro quibus tuis in literis nuperrimè mihi gratias habes, & eas quidem accumulatas, & maximas, sed sanè indebitas, & superuacaneas. Quoniam tuum ad votum cum exequor aliquid, non tum mihi officium præstare videri possum, sed reddere, qui à te accepi, quæ bonis nullis humanis possint æquari. Religiosam vitam, ac salutarem, & sacrarum ptæterea initia literatum. Quare cum satisfacio officio meo, & immortalibus tuis erga me meritis, noli in referenda gratia tam diligens esse. Vtere tuo iure omnimodè, & perennem auctoritatem, paternumque imperium tibi serua. Intellexi præterea te istic aliquot dies ventris profluuio affectum, quæ res fuit mihi magnæ tristitiæ, qui videam rem Christanam hoc tempore afflictam tua opera, taliumque virorum indigere quam maximè, pro qua religiosi omnes, clarique præcones, atq; pericula subire debeant vsque ad necem, vt nostros maiores priscis temporibus legimus factitasse. Torpent hominum corda, & afflictis Ecclesiæ rebus, neque Reges, neque populi vlli succurrunt, nisi sanctis, & publicis inflammati forsitan vocibus, in quo beato dicendi genere te sine controuersia omnes agnoscunt

plus

plus posse, quam cæteros. Visitaui nudius tertius Blancam Mariam Mediolani Principem, fuitque de te non modicus inter nos sermo. Illa religiosissima, atque sanctissima cupit tibi cordi fore, cum loca beata tetigeris, quod ego quoque filius, atque discipulus ardentius facio. Vale Vatum diadema sanctissimum. Ex vrbe Mediolano Nonis Maijs. Quæ verò scripsit Timotheus habeto

*Orationem ornatissimam, & oblongam à doctissimo quoq; probatam.* *Lib.* 1.
*Ad Alphonsum Aragonium Neapolitanum Regem Libellum.* *Lib.* 1.
*Concionum ad populum habitarum, & à transcriptoribus eo penè inscio exceptarum.* *Lib.* 1.
*Epistolam ad Mattheum Borsum De Veris, ac Salutaribus animi Gaudijs sibi dicatis, mihi Bononiæ apud Victorium Benatium* 1527. *Lib.* 1.



# TITVS DE NOVELLIS
## FERRARIENSIS.





VIS non miretur ſub corruptiſſimo ſæculo virtutem antiquorum temporum, & verè Apoſtolicorum virorum enaſcentis Eccleſiæ renouatam in Tito Nouello Ferrarienſe? Ritè profectò id quiſq; præſtabit, qui turbulentiſſimos dies ſæculi percurrentis à quadringenteſimo ad quingenteſimum annum ſupra millenarium auraria trutina ponderare volet. Eo enim tempore Titus lucis huius vſura frui cæpit, atq; eodem quoq; præclariſſima omnifariæ virtutis exempla in contemptu præſertim rerum ſæcularium, honorum, & diuitiarum diſſeminauit, ac intra illud idem ſpacium ex Numinis largitate potitus creditur in cælis, quod in hoc ergaſtulo fideliter, ac feliciter abiecerat. Quod egregiè promouit virum ad exactæ perfectionis culmina, referri debet in Blaſium Nouellum genitoris fratrem, qui exemplo domeſtico, & diſciplina mirifica nepotem, ac diſcipulum erudiuit contemptorem ſęculi. Is enim iam profecutæ ætatis Decretorum doctor cum Ordinem Canonicum, cui per ſolemne votum pridem addictus erat, labefactatum, ac omninò collabentem Præſes perpetuus in ſua Congregatione Sancti Iacobi Cellæ Volanæ cerneret; ex ſumma animi pietate, ac zelo illum in ſe ipſo, ac in locis ſuis inſtaurare omni prece apud Deum, omni conamine apud homines ſatagit. Ea propter Reformationem Frigdionariam amplexatus, atq; ab omni adminiſtratione abdicatus; illam ab anno vigeſimo tertio mirabiliter in Domino florentem accreuit multiplicando gentem, magnificandoq; lætitiam, ac ſe ipſum ad altiſſimas perfectionis religioſæ vias animauit, direxitue. Quo in ſtatu iam tranſlatis iuribus, ac domicilio diruto à læthalibus nemoribus, & vallibus Comacleſibus ad Sancti Lazari Xenodochium propè Ferrariam; Titum nepotem à nutantibus ſęculi fluctibus ad tutiſſimam Religionis ſtationem, portumq; reduxit, atq; lucratus eſt, vt ſemitarum Domini imitator idem vitæ Canonicæ inſtitutum teneret. Sub tanto præceptore nil imperuium ad directionem ſpiritus inuenit multo virtutum præſidio animatus iuuenis, qui & adoleuerat etiam intra paternos lares probitate, atq; erudltione non vulgari, in cuius commendationem iam Doctoream Canonicarum Sanctionum Lauream obtinuerat. Quin & illo tranſlato ad

Roma-

Romanæ curiæ conspectum in restitutione Patriarchij Lateranensis nostris per Quartum Eugenium facta, vt Pœnitentiarum (quem dicunt) ageret: atq; non ita post ad Ecclesiam Adriensem vt illam regeret Episcopus; is Titus euasit qui Concanonicis director esse potuerit tum in curandis affectibus, tum in disciplinis assequendis. At verò per huiusmodi vestigia pedum incedendum erat ei, qui in eadem Episcopij sede successor suo tempore per amica fata maturabatur. Hinc probitate commendante, ac prudentia dirigente omnes omninò Ordinis gradus administrauit Supremo excepto, atq; nisi ad aliena per maximum Militantis Ecclesiæ imperium comportatus fuisset, illud idem eum obtingebat promotore merito, & reluctante, quantum in se erat, voluntate. Post particularia plura Collegia gubernata Visitator renunciatus anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto Generali Rectore Timothæo illo Maffeo Veronense, cuius memoria in benedictione est, Archiepiscopo postmodum Ragusino; in ea censoria dignitate triennis perseuerauit, quod tum temporis, rarò fieri consueuerat, maximè in ordinem semel redactis eius collegijs, atq; nunquam mutato supremo Magistratu. In primioribus Italiæ suggestibus virtus eius eloquentiæ enituit, inter præcipuos illius sæculi Ecclesiastes enumeratus, ac propterea hinc inde æmula contentione Prælatorum, atq; populorum expetitus. Huius animi dotis vnicum posteritati remansit exemplum in funerea illa oratione, quam in planè regijs parentalibus Borsi Estensis primi Ferrariensium Reguli coram Hercule eius nominis primo habuit, quaue lachrimas vberes, publicas, gemebundas ab omnium ordinum oculis excussisse scriptis commendatum est. Plura verò manuscripta interierunt, vt accepimus, quæ & eloquentiam eius diuino amore feruentem, & auctoritatem, qua apud Principes viros florebat, testarentur. Nunc appellato Borso probatus vnicè fuit in arduis præsertim ex populorum gubernio ad animam attinentibus, qui summa sinceritate sensa rerum aperiret, condiretq; Ecclesiastica prudentia piè consulta. Atq; hinc frequentior erat Principis ad Diui Lazari, etiamsi in suburbanis, sacra acce sus. Nec minora contulit Nicolao Marchione, qui locum nostris curauerat, Borsus regij fauoris honesta commoda, dum renouabat Titus Blasij patrui commendatam memoriam. Per exanthlatos huiusmodi, consimilesq; labores gloriosos, dum conspicua virtus euehebat virum de se ima sentientem; Paulus Secundus Venetus ad Summi apicis thronum assumitur, qui iterato pulsos Canonicos Regulares nostros profana vi nouatorum Laterano restituit. Inter eos Titus quoq; enumeratus est, qui super altissimo candelabrorum positus, in Aulæ scilicet Romanæ conspectu semper iustè critico, longius promicare oportuit. Quare & Pontifex illum constantissimo animo, quoad potuit, renuentem, atq; omnes excusationes prætexentem, Adrianorum Episcopum ordi-

ordinauit. Imparem se viribus oblato oneri profitebatur: longè illud distare ab norma vitæ, quam adolescens admiserat, prædicabat: & quamuis non deessent etiam post ordinis Reformationem Frigdionariam exempla consimilium promotionum, tamen in exitium disciplinæ illa tendere aliquando posse, & metuebat, & cominabatur. Neque Patrui successoris in eiusdem Ciuitatis Episcopali dignitate mouebatur, quem dicebat se neque virtutibus, neque animi compositione æquasse, cuiusue intimiora sensa etiam alienissima ab illa eadem prælatione sæpè audita contestabatur. Vt vicit ingenuus rubor, ac Summi Pontificis voluntas, acquieuit oneri, atq; annexos labores adiuit colla iugo voluntaria subdens. Ad septennium oues curæ suæ commissas gubernauit alacriter in nullo remissa priore viuendi forma, & in dies sibi coaceruatis nouis virtutum meritis. Obijt Ferrariæ anno septuagesimo primo supra quartumdecimum sæculum; atq; in memoriam prædilectæ, benèq; cultæ Religionis apud suos Concanonicos tumulari elegit, quod & Patruus item egerat in Ecclesia Sancti Lazari. Eorum ossa postmodum in noua vrbis ampliatione, & munitione, circa annum quintum sequentis sæculi intra Ciuitatem translata in templo Diui Præcursoris Baptistæ ante aram maximam terræ restituta fuere, vna cum corpore Danielis de Arlunis Concanonici Episcopi Foroliuensis suprapositis insignibus lapidibus ex Carariæ marmorea excisis, & expolitis.

Superest ex eius promptuario

*Oratio elegantissima Italicè in Funere Borsi Primi Ducis Ferrariensium. Ferrariæ apud* *Lib.* I.

*Epistolarum Latinarum ad diuersos Proceres libri decem manuscripti perierunt.* *Lib.* X.

# FINIS.

LY-




# LYCEI LATERANENSIS,
## SEV
# ELOGIORVM
## LATERANENSIVM
# LIBER DECIMVSOCTAVVS.



# VALERIANVS SENIOR
## BERGOMAS.



VAM in ſe ipſo experiri obtinuit benè viuendi facilitatem ſub longa vitæ penè octuagenariæ periodo, eam ipſam ſub methodo piè, candidèq; redactam edocuit Valerianus Senior Bergomas is, de quo ſcriptionem ordimur. Licet enim nulla ſui ipſius (vt benè decuit) mentione facta rem totam digeſſerit, eius tamen ea naturæ erat, vt non niſi ab experto prodire potuiſſet benè digeſta. Magiſtra nanq; rerum experientia facillimè in præceptorum erumpit theoriam, paritq: ſcientiam ex ſenſu mens ab ſingularibus ad vniuerſalia progrediens. Mirum porrò eſt, in quas vtilitatum moralium, ſpiritualiumq; myriades gigendas libellus ſimplici adhuc ſtylo conſcriptus Italiæ vniuerſæ proceſſerit ſæpius excuſſus, & euulgatus. Siquidem cum pro benè viuendo quiſque plurimū ſen-

ſentiat repugnantiam ex corruptæ naturæ aculeis, & maledictione; nemo incurioſus adeo reperiebatur, qui noſse de proximo nollet quibuſnam iſte rationibus facilitatem iſtam fulciret, & comprobaret: atque hinc operante deſuper cæleſti lumine non nemo nunquam erat, qui captus ſaltem aliqua ex parte non in meliora ſurrigeretur. Non vt prodiret opus ipſe perfecerat omnium manu, & oculis terendum, qui de ſe humillimè ſentiret; ſed in ſpem tantummodo particularis adiumenti cuiuſpiam Mariæ Magdalenæ Spinolæ Sanctimonialis deuotiſſimę apud Deiparam Gratiarum Genuę: Verum illo vniuerſę carnis viam ingreſso, eadem virgine Libellum cum alijs reuelante, & Ioanne Chryſoſtomo Zanco Generali iubente, Eugenius Bergomas Valeriani aliquando in Chriſto diſcipulus, ac filius euulgationem curauit in tantæ fœcunditatis munus deinde prouectam, cuius miniſterio non obſcurè accidentalis eius gloria in Cælis aucta cenſeatur. Per annos iam viginti concionatorem egerat ex potiore quolibet Italicarum Ciuitatum ſuggeſtu, cum de Facilitate prædicta compegit, obſeruatione non inerudita ſuper hominum moribus, & vita doctior factus. Noluit enim alijs ipſe aliquando dicere, ſi non & alios dicentes exciperet ad ſacramentalem auriculam Hanc nanque dicebat meſsem certiſſimam ſati ſeminis miniſterio linguæ veracis: & quo plures confluebant ad pedes viri tantorum laborum; eò præclarius ſecum à Deo agi exclamabat cum lachrymarum teneritudine. Diſcant ſeri nepotes ſubſellia pœnitentialia Capitolium eſse triumphantium ab acie ſedis oratorię. Poſt biennium à confecto opere pręponitur Congregationi luſtrandę Gabrielis Arborei Generalis Collega. Quartum diuerſo tempore eandem ſarcinam geſſit integris adeo viribus, vt tandem ſupremo clauo pręfici meruerit ab maiore Senatu Rauennę congregato ſub anno quadrageſimo quinto poſt ſeſquimilleſimum, cum uidelicet tres iam annorum decades cum dimidia concioni incubuiſſet nullo unquam obice detentus ab huiuſcemodi panis fractione. Claruit id maximè cum ſemel, iterum, atq; tertiò tentatus ab febrium dura phalange, in ipſo etiam ęſtu inordinati ſymptomatis officio facere uoluit ſatis, inter aliorum manus ſuggeſtum aſcendens, non abſq; euidenti Superum protectionis argumento, cum uegetior in fine quadragenarij laboris fieret, ſanitatemq; inde reciperet de integro, unde periclitari eum humana ratio concludebat. Supra annos quindecim huius lucis aura eum frui contigit poſt ſummi eius magiſtratus abdicationem, neque tamen ultra paſsus eſt immiſcere ſe gubernationi publicę: uix etenim alicui particulari Canonię pręfici ſuſtinuit, vt ſub minore impedimento non ingemiſceret fractam, aut interpoſitam concionandi ſarcinam. Superuenerunt adhuc tempora, in quibus pio, deuotoq; integrior quies apparebat, quam anxia mixtio anfractuum communis politiæ, atque ideo integer ad vltimas vſque

dies

dies perseuerauit in verbo reddendo tanto alacriore cum gaudio, qua nto abiectiore cum throno. Senium namq; graue non ad maiores illum permittebat excursare basilicas iam doctrina eius plures exornatas, sed per pagos, castra, villasq; familiariter, sineq; arte rudibus magisterium ponere. Promebat verò inde fructum tanto facilius, quanto venerandi senis iam cognita vsquequaque virtus argumentum agebat charitatis homines ipsos, non hominum facultates perquirentis. A concionis exercitio, & ab chori seruitio perpete omnem dabat horam vel meditationi, vel lectioni, vel scriptitationi. Quare insinuauit meritò Eugenius, de quo supra in præfatione statim recensendorum operum plura alia illum latinè composuisse, quorum & pollicetur æditionem. Nos aliquando Vincentiæ vidimus apud Paulum Emilium Saracenum Opusculum eiusdem Valeriani, quod attitulauerat

*Quæstiones in Epistolas omnes Diui Pauli Apostoli: ad numerum quingentarum vsq; quæstionum, valdè perutiles, breues, & dilucidas.*

*Dionysij quoque Areopagitæ Sanctissimi Librum de Diuinis nominibus ex Latino in Italicum vertit Mariæ Magdalenæ Spinulæ sanctimoniali anno* 1529. *Cuditur postea Venetijs apud Rutilium Borgominerium Anno* 1563. *Lib.* 1.

*De Facilitate benè viuendi libros duos ad eandem sanctimonialem Venetijs apud eundem eodem anno.* *Lib.* ij.

*De Septem Beatitudinibus Librum vnum ad eandem ibidem.* *Lib.* 1.

*De Oratione Dominicali Librum vnum ad eandem ibidem.* *Lib.* 1.

*De Amore Diuino Librum vnum ad eandem ibidem.* *Lib.* 1.

# VALERIANVS COLLONIVS BERGOMENSIS.





ENOVATIS vicibus per ęthicam qualem qualem Palingenesiam, Politicamue Metempsicosim Valerianus iunior Bergomensis acclamatur, eformaturq; in lineo sago ab intromissoribus, & receptoribus nostris ad annum Domini sexagesimum quintum præ sesquimillesimo. Id felix, faustumq; fuit. Senioris enim eius Valeriani pia recordatio vt latè meruit per nouam nomenclaturam in nepotibus instaurari, ac reflorescere, sic non defuere clementer Numina gratę memorię operibus: & acclamatus ipse iuuenis tramitem antepositum terens, vestigiaue vestigijs insigens, domestica exempla expressit non ineptè. Martinengum Oppidum nobile in ora Bergomate solum natiuitatis, Bergomum ipsum educatiotionis domicilium, stipitem ex præclarissima Colleonia familia habuit. Ab annis tribus, vel circa optimus ille Senex Valerianus debitum persoluerat humanæ mortalitatis, cum is sanctæ vocationis flammini dat manus. Bonam animam meliores decuit cathechistas Concanonici dogmatis inuenire, sub quorum dolabra caderet, quicquit rudis, & impoliti sæculum imposuisset. Hinc promptè componitur ab tyrocinio ad gymnasia, quibus duo attulit præ cæteris spectabiliora, curiositatem multiplicem (quam sciendi desiderium inordinatum appelles) & sedulitatem curiositati correspondentem, hoc est non intermissam, nec languidam; sed perennem, & ardentem. Vrsere autem póstmodum duæ hæ qualitates iuuenis animum tam intemperanter; vt ab studiorum stadio honestissimè decurso, raptatus fuerit in acrem tentationem inanis illius pruriginis auri confecturæ, quam Chymicam dicunt, Arabicè Alchymiam. Irretiere mentem pollicitationes quorumdam hominum, qui decocta igni capita ampullarie, follicularie, fumose, ac fuliginose studebant in Elixir reperiundo, & in Mercurio sistendo. Naturalis quoque scientia, cuius arcanis peruestigandis institerat non tenus superficie, plurimum adidit fidei illorum suasionibus. Inexpertus enim adhuc, ætatisq; feruidus rebatur, non semelue mordicus tutatus erat tam inter priuatas, quam inter publicas concertationes, tanti operis possibilitatem ex ipsius Philosophiæ principijs, & positionibus. Non auri sitis, vel diuitiarum cupiditas manum, animosq; admouendos operi excitabat in eo,

qui

qui toto vitæ curriculo nil pensi ea fecit tam ex vi professionis suæ, quam ex electione, propensioneue contemptoris genij. Vnus gloriolæ inanis ambitus mentem exagitabat; vt arcano huiusmodi inuento in omnium esset ora post tot sæcula, ac post tot, tantosq; absumptos thesauros, propè & homines, quos ausu ipso insignes deprædicaret. En quam malè stamus nobis fidentes ipsis, quamue labimur imprudenter per aera in festucæ modum circumacti. Multam diem triuit in hisce tricis, in quibus operam suam latere nodum maximæ difficultatis experiebatur tot inter oculos maiorum, æqualium, & inferiorum. Solum aliquando Ioannem Matthęum Crotum Cremonensem, cui se panderet elegit, quem & asseclam deinde habuit. Heu qualem arauit vndam, quos messuit ventos, quæ flabellauit litora. Verum quamuis auri comparandi artem, qua deperibat, nusquam adinuenerit de inueterato more; multa tamen, ac sæpè numero mira naturæ arcana attigit, & patula fecit, rationem gemmas emaculandi, aerem in niues cogendi, aquam pro oleo ad lumeñ vsurpandi, aliaq; complura haud auro prosus inferiora. Quare non operam omninò perdidit, qui defraudatus licet Chrysopeia, in hæc tamen admiranda plerunq; diuertit. Potuit verò tegere quicquid imperfecti negotium hoc imprimiret summa illa sedulitas, secundum quam nulli rei potioris vocationis suæ deficiebat, non in vita remissior, non in more fractior, non in obseruantijs regularibus segnior, non in oratione ieiunior. Vnum studium frequentius, acuratius egisset, ni mens in tantã diuagasset diuersitatẽ. Hinc iuuere Superi virũ non improbum, atq; ideo emersit tandem ab prouincia vel inutili, vel impeditiore, & quod stadiũ sacræ oratorię artis gradu remissiore emensurarat, concitatus cucurrit cum laude, ac merito. Finitimæ patriæ ciuitates Brixia, Verona, Mediolanum, Cremona, Crema ab ore sacro pependerunt per quadragenariam inediam illectæ suauitate, attritæ feruore, & in fructus catholicos, verèq; pios vbertim erumpentes. Intonuit quoque in ipsa vrbium, religionisq; principe Roma gratus, & honestissimo loco inter Euangelij præcones enumeratus. Verum nullibi acceptiora fuere eius è superiore loco conamina, quam in vna Ciuitate Anconæ plebis Concionator, nobilium orator nunquam ad satietatem, nunquam satis auditus. Tria ibi ieiunia summa declamator peregerat, cum quartam habere quadragesimam cogitur, vt morem gereret Horatio Giraldio Episcopo Comaclensi apud Anconitanos pro Sede Apostolica Gubernatore. Pręclarum nanque Antistitem, ac sibi perofficiosum dedecuisset non audire. Neque de futuro exitu valdè sollicitus hæsitauit, quia Deum meditabatur sermonis auctorem pro cuius gloria labores obiret. Hinc, virtutem eodem conferrente Deo, præ alijs annis sublimius secum agitur tum in metendo fructu, tum in auditorio mirè capiundo, quod rarius omninò contigit in vrbibus minoris

numeri Ciuium in quibus eadem penè semper cogitur adesse corona. In eadem Ciuitate Montanam Diui Præcursoris Canoniam tunc eius nationis Patres moderabantur, prout & Ferrariensem quoque, ac Bergomensem, atque ideo frequenter ibidem degens non minore gratia florebat ab pulpito, suauius agens cum quocunq; operam suam implorante ad mercaturas tuta conscientia dirigendas, ad pacis sancienda fœdera, ad solandos, sustinendosq; debiles. Licet autem assurgeret in tanta, validumq; cor manus confirmaret ad operandum, noluit tamen eas negotijs Congregationis adponere, nec attingere aliquando Monasteriorum habenas. Patiebatur hilariter sibi dari iussa à quocunque quantumuis ætatis, ac qualitatum minore nota signato, & apud proceres multo eguit labore, ne assumeretur, præsertim post Columbini Aduocati decessum. Hinc quiete spiritus neutiquam inutili frui illum per annos plures contigit adornando calchographis quæ meliora e suggestu habuerat in posteritatis commodum varijs voluminibus digesta, donec aduersa valetudine ante senium fractus cogitur egregias vigilias seponere, quarum vix libauimus, quæ infra reddentur, digna omninò perennitatis. Annos penè triginta in sacro verbo posuit: nam ab Comitijs Raphaelis Palearij Generalis facutlate illud enunciandi honestatus cum Marco Antonio Oliua Laudensi, alias Ianuensi, Hieronymo Riccaldono Casalensi alias de Bosco, Archangelo Seuerino Neapolitano, Ambrosio Pordano Rauennate, & alijs duodecim; desijt Apostolico labori in anno tertiodecimo huius sæculi, ac tandem anno vigesimo primo Bergomi mutat vitam cum morte septuagenario maior. Edidit.

*Tractatum De Passione Domini in sex partes diuisum à se pro concione habitum Romæ in Quarta, Quinta, & Sexta Feria maioris hebdomadæ.*

*Item Tractatum, seu Concionem de Cognitione Dei habitam Bergomi in Ecclesia Sancti Spiritus Ad Horatium Giraldium Episcopum Comaclensem. Bergomi apud Cominum Venturam Anno* 1607. *Lib.* 1.

# VALERIANVS ZAMPETRIVS IMOLENSIS.



ANTIQVÆ probitatis virum diuturno vitæ incolatu exprçssit in se ipso ad quicuncem Valerianus Zampetrius Imolensis. Idem quoque Positiuç, Scholasticæq; Theologiæ professor insignis intra nostrorum virorum phalanges est habitus, Prçceptorumq; Prçceptor, vt illo vtamur titulo, quo aliquando eum iure ornari audiuimus in congressu quodam Imolensi, dum simul quatuor sederemus, ab Gabriele Penotto Nouariensi olim eius auditore Patauij, cui nos ibidem operam dederamus, atq; nobis quidem Ioannes Heredius Rauennas, qui tum ad Physica Florentiæ profitenda mittebatur. Neque iniuria aliorum quidem id prçconij viro obtigit, qui fermè nonagenarius plusquam annos quadraginta in Concanonicis edocendis posuit, atq; ideo ab eius auditorio plures prodiere diuerso tempore, quibus scholç datç sunt à Magistratibus scelectissimis, itemque istorum auditoribus. Porrò ipse Zampetrius ab iuuentute labores cathedrç subijt uix dum ab octennio conuictor: quippe Moderatores agnouere talenta iuueni ad id prçstandum liberalius credita, & ipse soliditate doctrinç, memoriaq; polens satis se ad id oneris uocari sensit. Hinc vel vnus, vel certè cum valdè paucis omnes Ordinis Academias moderatus est ad Superiorum placita nunc huic, nunc illi locato opere trienij, quinquenij, septenij, iuxta classium exigentiam, & illarum vel progressionem ad vlteriora artium, vel dissolutionem ex doctorea rude. Non minus proficere virum Prçlati experiebantur per doctrinas explicatas, quam per exempla innocentis vitç, perq; placidissimi genij continentissimos mores, quibus persçpè in numeroso Collegio ex diuersarum nationũ, atq; humorum iuuenibus compacto magè iuuantur canonica instituta, fouetur q; calore viuifico regulare gubernium,quam quouis alio artis medicamine. Atque ideo longius exulauere quçque cuiusuis dissidia generis ab Canonia illa, in qua eum interpretari contingeret. Aliquando tamen Patauij accidit, ut haud sentirent pariter duo clarissimi profitentes Valerianus hic noster, & Honoratus Robertus Iuuenatensis, ille Theologicæ, hic Philosophicç exedrç datus. Quorum uerò non unus erat sensus doctrinç, & scientiç ad aliquos nodos, dispares etiam erant mores, dissonaq; genia,

genia, altero nempe inter rudiores Brutios, vel montanos Apulos, vt dicebant, enutrito, altero ad Æmiliæ confinia: hoc frigidi, difficilisq; ad motum exilitionis, illo ardentis, valdèq; acris ad omnia temperamenti. Ex qua rerum diuersitate longè fortis occasio data est Zampetrio exercendæ virtutis. Camillo Becio Casalensi Rempublicam moderante per Generalium Comitiorum sanctionem decoratur nobili priuilegio in exactorum laborum retributionem, vt Prælatura titulari perpetua gauderet, vt more Prælatorum duplici vestiaria subuentione donaretur, vt peculiarem assignatam seruitutem Conuersi haberet pro exercitijs actuosæ vitæ, quo sequester magis vacaret contemplationi. Neque abuti benignitate Congregationis visus est in sequentia tempora, quod apud nonnullos in more ingrato positum est: nam longè prolixius impendit se totum in ducendis scholis post assecutum diploma, quam ante præstitisset. Quin etiam ad Rempublicam administrandam assumptus depositis suo tempore fascibus, semel, iterum, ac tertio Theologiam interpretari repetijt in Portuensi Lyceo. Quippe nihil fuci agnoscebat vir innoxius, nil pigmentis, atq; stibio apparentis cuiusdam decoris, uel insulsę prudentiæ colorare, & impinguare didicerat. Atq: hinc fortè factum est, ut non pari exitu gubernationem attigerit, quę ciuili pariter innititur sagacitati, atq: solidæ probitati. Quamuis enim ad ultimam vsque diem pastoralis huiusmodi solicitudinis in partem vocatus fuerit ad honestandam vegetem decrepitatem: non tamen id accidit absq: dificultatibus, & oppugnatione aduersaria. Præerat Abbatiæ Cęsenati anno secundo post sextumdecimum sęculare, cum in extinctione perpetuitatis Pręlaturarum calore Pontificio facta, inter alios, quibus remotio à gubernatione decreta est, Valerianum quoq; inuolui contigit, dato illi successore Aurelio Riccio Imolense viro quidem probo, & concionatore, sed neutiquam ei in scientijs comparando, quem & postmodum vidit quoq; Visitatorem renunciatum, dum plurimi illum in Synodo acclamarent in frigiditate sua permanentem. Monumentum tamen Cæsenę reliquit benè gesti magistratus, concamerationem satis ampli triclinij, pręter alia nonnulla. Adriano Cassonio Vicentino Abbate, supernum illud tegumentum, quod fornix dicunt, repentina aperitione, atq; fractura ante paucos annos deciderat, siue quoniam non fulcitum tum esset ferreis de more cathenis infernè, siue quoniam supernè nimis oneraretur per adiectionem terreni ex cella vinaria extracti, quæ tum excauabatur, factam ad scapulas, & fœnora ob curandam complanationem, siue quoniam perperam ab operarijs extructum esset absq; ligatura & regulis. Neque sine maxima Dei, & Matris Virginis misericordia contigit, quod vixdum pedem extulerant Abbas ipse ab Priore Innocentio Serpa Vicentino, illo qui postmodum Episcopus Polæ fuit inauguratus, quasi per vim abductus cum alijs

Con-

Concanonicis, qui tum prandium adibant. Fornicem igitur huiusmodi reposuit in ampliorem, tutioremq; formam Valerianus appositis longis, crassisq; ferreis infra, & ligneis supra clauibus, & repagulis ad compagem fouendam: quòd opus vtique memorandum erat, si non ex alio capite, ex eo saltem, vt innotesceret posteritati de Numinis benignitate in seruatorum hominum commemorationem, & de eiusdem Valeriani cura in huiusmodi domibus suæ curę commissis. Cæterum inertiam quamplurimam tulit in humanarum actionum executionibus, nilq; gratiæ, ac venustatis sale condiuisse communiter iudicatus est: ita vt si quando virum obreperent plura simul actuosa, nullis esset omninò idoneus, nulla perficeret, & extra se facillimè poneretur, nec quicquam satageret exequendum: quod frequentius in ipsa hospitalitate in Concanonicos præstanda innotescebat, ac tum maximè cum Antistites Congregationi aliquo iure annexos apud eum commorari contingeret. Cum tamen iam vndiq; vulgatum esset nulla illũ alacritate, nullo fultum dexteritatis pręsidio; æqui, boniq: consulebatur infra gradum apud eum hospitari: & iucundè excipiebatur, narrabaturq: postmodum, quod à pura mente fiebat. Talis verò, ac tantus cum esset Theologus, & scientiarum cum floreret feraci soliditate, nihil omnino dedit pulpito, Italicæq: concioni, nusquam populo se magistrum exhibuit, adeo partita sunt cælorum in homines dona. Quamuis enim naturæ satis esset donis honestatus, voce, vultu, pectore, nec impedimenta agnosceret pronunciatio: omnis tamen omninò artis correctricis expers, absonè ita loquebatur, ceu vnus esset de minore plebecula Romandiolæ: neque aliquando se ad emendatiorem, cultioremq: Ætruscum sermonem, aut decentiorem pronunciationis formam, adq: scelectiora vocabula vsu domestico terrenda appellere potuit, neque libros lectione percurrere, qui sermone Italico dictati, atq: conscripti linguæ puritatem sensim introducerent. Hinc hauriebat Petrus Cardinalis Aldobrandinus ciuile illud oblectamentum, quo animum à maioribus curis prægrauatum lenire decenter apud Portuenses satagebat, dum Archiepiscopatum Rauennatensem gereret, cum introducta in speciem ludicri certaminis academica quappiam exercitatione hyemales rigiditates ad ignem fallente exigebat à quolibet Canonico, vt bina, vel terna producerent regionis propriæ vsitatiora vocabula, ex quibus postmodum oratio per aliquem ex promptioribus iuuenibus repente compingeretur: Valerianus enim, cum ad eum series deueniebat, adeo exsoleta, crassaq: promebat vocabula imperitioris uulgi Brisighellensium, & Imolensium, adeoq: purè pronunciabat, ut animi, etiam seueriores, uix, ac ne uix quidem senem intelligentes, exhilarari omninò cogerentur. Tenax uerò supra modum fuit antiqui moris retinendi, nec nisi amaro perferrebat animo quicquid in Congregatione mutari pristinorum insti-

institutorum, veteriq; disciplinæ contingebat. Iniquam dicebat prudentiam illam, quæ se temporibus accommodaret, & sequeretur sæculorum formulas: tempora enim hominibus, non homines temporibus creatos pronunciabat. Cum Petrus Franciscus Generalis birettum clericale, quod aures cooperiens maiores nostri detulere, deferendumq; dedere, subiecta papiro erigendum decentius iuxta ritum Clericorum cæterorum, & Romanę curiæ decreuisset, non nisi auerso stomaco, & indignabundè illud recepit, &, quantum fas fuit, etiam repugnanter; quin fusè quoq; ac data opera scripsit, Decentius imitandum Apostolicum, quam cæteros alios, iam verò conspicuum esse Summum Ecclesiæ Hierarcham biretti illam ipsam formam nec deponere, nec corrigere, nec erigere, quam à Sanctis Apostolis antecessoribus suis,& institutoribus nostris introductam æqua traditio suaderet. Horum igitur morum,huius doctrinę vir prętcr ea,quę ex cathedra dictauit, nil omninò publicè docuit. Scripsit quidem multa, sed quæ lucem non aspexere, crudelior in ingenij fæturas fortè, quam par. Obtexebat tamen excusationes super longæua ętate, & super æditionum expensis, ad quas sarcinas nihil supponit humeri Congregatio, vt aliæ ordinatiores in hac parte faciunt. Nobis aliquando admirantibus virum sola cute super ossibus extensa constantem adhuc in studijs ad ternas, & quaternas horas laborare in manè, ostendit exactissimam Conciliorum Summam in quinque libros digestam ad titulosq; Decretalium accommodam item, & Volumen aliud, quod Octacordon attitulauit octo libris distinctum ex dictis Sanctorum Ecclesiæ Doctorum Augustini, Gregorij, Hieronymi, Ambrosij, Chrysostomi, Athanasij, Basilij, & Nazianzeni, quæ vtinam aliquando prodantur. Cũ ageretur apud quamplurimos de extremis eius diebus coronandis summæ præfecturæ honore in proximis habendis Generalibus Comitijs Bononiæ conuocatis,decessit anno Domini vigesimo sexto currentis sæculi Imolæ, Ibiq; tumulatur Præpositus. Scripsit igitur

*De Clericali Biretto iuxta antiquam formam à Canonicis Regularibus retinendo Librum vnum.* Lib. I.

*Summam Conciliorum omnium Generalium ad titulos Decretalium Pontificia accommodatam Libros quinque.* Lib. V.

*Octacordon Concordantiæ Sanctorum quatuor Doctorum Ecclesiæ Latinæ cum quatuor Sactis Doctoribus Ecclesiæ Græcæ.* Lib. viij.

VA-

# VALERIVS BADINVS
## GATTINARIENSIS.





ONORES, & sacrificia pro fundatorum animabus fieri assueta in mutuam gratæ memoriæ vicem æternum debebit Lateranense Dogma animæ Gabrielis Arborei de Gattinaria dudum Generalis sui Quadragesimi Octaui, cum Rempublicam auxerit Gattinariensi Collegio Diuo Apostolo Petro Sacro. Licet enim Mercurinum Arboreum Gattinariam Cardinalem, & Carolo Augusto Austrio magnum Cancellarium tabulæ primæ fundatorem profiteantur; graues tamen adeo imposuerat ipse conditiones in vltimæ suæ voluntatis expressione, vt spes omnis euanesceret, Congregationem illac vnquam transmigraturam. Gabriel verò eidem Cardinali frater, Abbas tum Sancti Andreæ Vercellarum, & testamentarius executor tanta cum dexteritate, solertia, prudentiaq; rem pertractauit, vt obtruncatis plerisque, cicuratisue vsquequaq; difficultatibus volens, lubensq; & Comes Gattinariensis Frater, & Ordo ipse pro instituti formula coloniam diduxerit, & acceperit. Quis verò ambigat Mercurinum inter cæteras fundationis rationes ad illam præsertim accessisse in prædilecti Gabrielis fratris gratiam, de cuius vitæ sanctimonia, & in gerendis magistratibus moderatione vt erat penitimè conscius, sic & satagebat, vt luceret non sub modo, sed per candelabrum omnibus, qui in domo erant. Debemus itaque pias omninò preces sacro fundatori. Sed non ista hæc vna ratio est nostri pensi. Accedit & meritum propter eos, qui postmodum prodiere ex eadem instituta Canonia illustres in Dominicam messem operarij non pauci. Inter hos petit calamus noster Valerium Badinum virum præclarissimum, & in cuius nominis immortalitate famam iuratam credimus. Hunc eodem anno trigesimo quarto superioris sæculi natum ferunt, quo, & inita sunt pacta, & inhabitata Canonia per Theophilum de Gattinaria primum Præpositum non obscura fortè Superum prænotione, æquè fundari domum materialem manufactam, & spiritale templum, hoc est hominem inhabitatorem, cultoremq; eius. Quo anno Gabriel Fundator in Generalatu Quartum decessit Mantuæ is tertiumdecimum ætatis agebat, iamq; per præstantissimum senem Religioni destinatus instruebatur in humanioribus peregregiè. Neq;

fefellit prænotio religiosum Antistitem: quippe biennio post inter Iobælei Vniuersalis sacra victimam se obtulit Saluatori igne regularis instituti amburendam. Absumpsit veterem Adamum innoxia flamma, & super aram tyrocinij austerioris fulgentiori illuxit iuuentute, quam antiquus Rex ille Iasonis pater Æson. Nam per virium nouarum accessum tam ex aquisitis humanitus, quam de supernè immissis, bono fauente spiritu, decursoque Philosophorum, & Theologorum assueto nostris athletis stadio; aggressus est populorum corda attrectare animo pio, iaculariq; lingua expeditiore. Conatus primi haud irriti acuere sequentes, qui pro maiore Dei gloria, proq; latiore proximorum commodo acrius in dies decertarent, exactius Apostolicum munus prosequerentur. Quare peruia facta sunt virtuti cognitæ maiora Italicarum cathedralium pulpita, in quibus labores suos posuit pari laude, ac fructu. Dum enim inter primos Oratores eius æui enumerabatur illustris, vix sufficiebat vnus tot se poscentibus permittere. Quippe, si præstat ex vngue leonem noscere; lubet ex concione illa præstantissima de Miseria Hominis, quam in metropolitana Taurinensi habuit in summa populi frequentia, à Gaspare de Sabaudia Concanonico postmodum ædita, admirari dotes summo Ecclesiaste dignas, Idiomatis Italici puritatem, ac securitatem, doctrinæ multiplicis, & eruditæ soliditatem, & vbertatem, formam dicendi nobilem, ardorem efficacissimum pietatem benè elicitam, atq; cultam, absolutiorem artis oratoriæ possessionem. Vtinam demandassent maiores nostri ad posteros reliqua fœcundi calami testimonia, aut ipse longiore vsus fuisset æuo. Quamuis verò tantus esset ad conciones, studiumq; absorberet animi meditata, & meliores horas absumeret secessus, ac solitudo; non ideo tamen dono gubernationis caruit. Magistratus gessit omni ætati respondentes, perq; gradus cunctos ascendit ad proximam vsq; Generalatui sedem: & hanc quoq; tenuisset, ni illum fata tenuissent tempore quasi non suo. Sexdecim annos posuit in huiusmodi ministerij vocatione, plurimas, hinc atq: hinc Canonias moderatus exemplar probitatis, & disciplinæ. Re ipsa profitebatur, & opere perficiebat quod voce tam inter domesticos lares, quam super suggestibus edocebat. Quare subditorum animos mansuetudine morum, maiestateq; imperij regebat singulariter inter amoris, timorisq: confinia. Euectus est ad Visitatoratum in ijs Romanis Comitijs anni octuagesimi primi, in quibus perpetuitatem gubernij Congregatio admisit Marco Antonio Columna Cardinali Protectore, & inuectore. Illustres collegas habuit Archangelum Bossium Bononiensem, Calixtum Mazzolam Vicentinum, & Syluestrum Picenardum Cremonensem Dictatore Theodosio Burla Placentino. Laborasse vtique illum dicunt circa eam formam gubernij introducendam, &

circa

circa circumſtantias eius valdè plures, quæ noua, & inſuetis malè probata pepererunt. Nequiuit ex rerum ſucceſsibus, exque ſequenti praxi addiſcere, vtrum ſancitæ leges meliora euenta protulerint. Nam eodem anno, cum Inſubras domos noſtras luſtraret, deceſsit Mediolani Abbas Aſtenſis, & Viſitator annos natus quadraginta ſeptem, cum per ætatem ei liceret longiora cernere, & fortè etiam, elapſis vixdum annis viginti, ipſam demolitam perpetuitatem, abrogataſque leges. Succeſſorem magiſtratus habuit Camillum Becium Caſalenſem.

Habemus igitur ex eius promptuario

*Concionem De Miſeria hominis elegantiſsimam. Taurini apud heredes Nicolai Beuilaquæ Anno* 1579. *Lib.* 1.



# VALERIVS CEPARIVS NEAPOLITANVS.



HAVD laudum tuarum vltima erit, Cepari, meruiſse ab Andrea Geruaſio Antianenſi Archiepiſcopo laudes. Difficile enim Calabri ingenium in difficili viro cicurizare pauci auſere, fortè ſolus perfeciſti. Ex noſtris ſaltem unus hoc erexiſti trophæum, vel me teſte, qui ab ipſo Præſulis ore non ſemel tui elogium accepi, ſed neque minorem Valerio virum decuit Congregationem præficere Canonicę eius Ciuitatis per illa tempora, ut bono fœdere iungeremur Paſtori, ſi non infra gradum, ſaltem extrauagantis zeli nomine declinato. Valerius enim ſuauitate naturæ, & moris placidiſsimi aut frangere, aut flectere, & tractabilem ſenſim eformare acrem,& ſalſum,quietamq;uiciniam ab Archipiſcopo emungere. Quæ res ſucceſsere poſtmodū Gallo,Beltreccio, Capimazzio, fidem dictis adſtruunt,noſq:abſoluunt à vadimonio præſtando. Non ſolius naturæ pręſidia ad huius euentus,adq:ſimilium caſuum apicē tulere Ceparium. Bonarū artium cultori patuit aditus ad ardua quælibet, & inacceſsas,& comparatas ſtudio iugi doctrinas magè adhibuit actuoſę praxi, quam ſolitarię contemplationi. Prudentes eruditis pręponendo, tum demum dicebat uerè hominem doctum, ac ſcientem, cum ritè operari in ſingulis agnoſceret, & omnibus omnia fieri abq:dignitatis offendiculo. Id in ſe ipſo ad quicuncem exprimere pręſtuduit, toto vitæ curriculo. Iuuenem nutriere præclara Collegia, eademq; illa ſenilem prudentiam obſtupuere, ſecundum quam totus laxaret habenas actioni. Apud ſuppares pollebat opinione illa, quę dirimere aliquando emergentes controuerſias,in pia fœdera copulare, manuſq; ad laborioſa dare valeret, atq; conſerere. Vnus cæterorum videbatur prælatus prudentiæ nomine. Studiorum multos poſteriores, aliquos æquales, paucos habuit anteambulos, & hos præterea lumine actionis aut deſtitutos, aut certè debiles. Ex Viridarianis alueraribus dimmittunt laureatum Gabriel Penottus, & Michael Angelus Parpalioneus Theologiæ & Artium promotores,quo tempore nos quoque ibi face ęmula urebamur, licet ętate aliquanto poſteriores. Reſtitutus Neapoli ſuæ, non vltra pedem retulit ad alias nationes extra Regnum incolendas; protriuit aliquando curſum, & peregrino pede ſiue pro acceſsu ad comitia, ſiue pro alia quappiam

piam

piam simili causa. Vtique elogio piget singula referre. Regni verò oram lustrauit concionabundus pro vocationis suæ talento. Gratiæ, ac venustatis cuiuspiam naturalis dotes in eo haud quaquam desideratæ sunt ab omni artificio abhorrentes. Cæterum exilis voce, nec satis tono pectoris, vel hilium firmitate potens mediocrem tantummodo concionem valebat implere. Eam verò excolebat eximius, vt compensaret intensione fructuum vbere extensionem sobriam auditorij. Laborem sanctum desudauit per tres annorum Olimpiadas, quas & facilè excessisset, ni decursis ex præstituto legum inferioribus gradibus, Antianensi memoratæ Canoniæ fuisset Abbas præpositus, vt labanti opem ferret viro egregio dignam. Illam verò tulit, quæ & superauit longè sperata tam in Congregatione, quam extra. Siquidem Andreas Geruasius Ciuitatis Archiepiscopus vir acer, & feruidus Romam ob nonnulla negotia petens Ceparij virtutem voluitt adiutricem, illumq; Generalem Vicarium, atq; Locumtenentem reliqui. Ab eo autem munere vacantem nominabant Visitatoratui ferendo, qui Synodum Bononiensem celebrabant proceres sub Legato Vbaldino, & præpotentem candidatum euexissent, nisi sagax consilium senis Pongoleni interuertisset negotium, & se obicem opposuisset fortissimum, tanquam exactorum dierum titulo magis notum, in quem conquadrauit dignitas ex voto. Interea anno vigesimo nono post millesexcentesimum nent fata vitæ stamen, obtruncantue post emensum stadium annorum quadraginta duorum, dum Neapoli curat secessum adeptæ sæcularis Rectoriæ sub nomine quietis ad contemplationem, adq; studia placidus prosequenda. Lubuit tamen alijs opinari, quæsijsse, nactumue fuisse mediocrem occasionem declinandæ impotentiæ aliquorum terrentium viam oppositam in regimine sustinendo, & aduersantium in eo iuuentutem, præcocemq; quam prætexebant; & appellabant, prudentiam non suo pondere stantem, nec alieno adminiculo fultam. Vt, vt fuerit, aliorum esto iudicium. Nil Reipublicę profuit voluisse id sibi exilium assumere, & se mulcta grauare non merita. Nam prætterquam, quod orbata est opera eius, amisit quoq; opus eruditum, & pium, quod de Vitis Sanctorum Canonici Ordinis compilarat, & ad extremam vsque manum deduxerat distracto hinc, atq; hinc spolio. Quare nihil omninò reliqui haberet posteritas nisi deuotum animum pridem excitasset ad scribendum in Tremitano incolatu integrũ illud, palpabile, ac tractabile corpus, quod in tẽplo arcis illius visitur, & religiosè colitur à Dalmatis prę. cipuè, Illiricis, Venetis, Brutijs, Apulis, alijsq; ad Insulam appellentibus-

Est ergo eius monumentum

*Vita Venerabilis Dei Serui Beati Tobiæ Nouocomensis Canonici Regularis Lateranensis latinè, & compendium acta, vna cum hymno saphico in eius laudem, quæ apud nos est.*

VA-

# VALERIVS FACINVS VICENTINVS.



ENIGNAM profectò, ac vndique obsequentem naturam adfuisse, arrisisseq; Valerio Facino Vicentino ipsa adolescentiæ crepundia monstrauere. Vix enim tertium decimum annum ingressus, præter castigatos mores, disciplinamq; domesticam exquisitam, & peregregiam, tanto exurgere cæpit ingenio, & veris insistere laudibus, atq; virtutibus; vt ea ætate latinè non modo, sed & græcè loqueretur, & saperet. Præceptorem domesticum habuit Contem Facinum consanguineum, qui pueri indole delectatus, cum cerneret eum vi nulla, nulloq; labore vniuersa, quæ vix semel aut monerentur, aut traderentur, commonstrarenturue apprehendere, proloqui, atq: exequi facillimè: sibi leuamento animi, illi verò commodo futuram ominatus est familiarem eruditionem, quæ neque per ima, inuia, & inaccessa, neque per longas nunquamue terminantes venalium pedagogorum semitas incederet. Inerat Conti egregia bonitas, quæ in optimo quoq: primum exquiritur, mira prudentia, ardens ingenium, culta facundia, liberalium artium fermè omniũ catherua, Musarum chori, Lyræ, carmina, & cum his pariter salutaris medicinæ peritia, quibus ornamentis inter claros Facinæ Familiæ uiros iam princeps enitebat. Hinc omni conamine,ut quod sibi inerat bonum, totaliter in adolescentem transfunderetur satagebat ad generis nobilitatem copiosius fulciendam, iamq: illum Hyppocrati, Galenoq: asseclam arcano mentis destinabat, iamq: meditabatur cum Patauino Lyceo permittere auditorem, vbi & uaria obseruaret, & à uarijs uicissim obseruaretur, donec rude donatum occasio raperet ad egregia. Verum non eadem erat Diuini Numinis dispositio, quæ salubriori canoni à diebus usq: æternitatis reposuerat iuuenem,illumq: à matris utero sibi segregauerat ad medicinam animorum curandam non corporum. Hinc irradiationes, immissiones, spirationes, & lumina adfuere menti frequentius, quæ sugererent electionem uitæ mancipatorum cælibatui, proximorumque curandę saluti. Vtque pietas, ac religio simul in eo coalescebant bono educatore pręeunte exemplo, ac uocibus de facili cor exarsit, fibręue omnes patuere ad tantę uocationis ingressum. Nec Contes ipse, qui loco parentis erat, petram offen-

offensionis opposuit, vt laberetur ad iam à se decreta instituta. Quo enim circumsepebatur Dei timore prudens agnouit ex pluries repetito de re huiusmodi cum adolescente Colloquio, assumi illum ad meliora, frustraq; rete poni ante oculos pennatorum. Celso Mapheo Veronense Rempublicam Lateranensem Quartum summo loco gubernante Veronensem domum probationis adauget numero suo, exhilaratq; dotibus non vulgaribus. Matthæum Bossum eximiæ virtutis virum per ea tempora noui hominis eformatorem, qua scalpro subtrahente, qua penicillo super imponente habuit, ex cuius officina non nisi absolutus prodire dabatur. Quod si vspiam impletum apparuit, in vno id Valerio innotuit nullam rebellem, contumacemue materiam substernente; Citissimo gradu stadium peregisset disciplinarum, quatenus acre iudicium, fortis appræhensio, inobliuiosa memoria, & mutuatæ diuitiæ, quas secum asportauerat ab Ægypto sæculi, quadrigam animi eius raptabant incessanter; sed qui moderatores præsidebant maturam festinationem cunctando præstolantes ex messore aliquando spicarum, collectorem constituebant, ne præcox augeretur officio, qui nondum efferebatur ætate. Interim exercebatur humilitate, & obedientia, ditabaturq: merito. Fortius verò erumpit detentus ignis, sublimiusq: claret in flammas cum exsiccato humore, transmissoq; per insensibilem euaporationem fumo combustibile aptatur magis. Vt primum emissus est ab scholastico carcere, adscriptus classi operariorum, quos à præcipuo doctoralium iurium officio Præcones nuncupamus, tanta cæpit contentione partes illas aggredi, tanto prosequi zelo, vt non prouectioribus modo exequaretur communi populorum calculo Ecclesiasticis oratoribus, sed & prouectores ipsi mirarentur, tam repente illum ad egregiam pulpiti dignitatem peruasisse. Plurima quippe, si quiuis vnquam alius, naturæ dona, politiorumq; disciplinarum subsidia contulit sacro operi, venerandus aspectu, pulcherrimus, & decorus. Gestum, motumue corporis speciosum ita rebusq; accommodatum proferebat, vt maximum afferret pronunciationi dignitatis, & gratiæ: vnde & extensio dextræ, & contusio pectoris, & allisio manuum, pedumq; complosio, ac alia id generis, quæ interdum in actionibus veniunt, vim maximam plenissimo vbiq; inferrent auditorio ad aspiciendum non minus illum, quam ad audiendum confluenti. Septennis iam versabatur in officio ignitus quidem, sed nondum ad illam euectus claritatem, quæ ex plurimis virtutis conspicuæ actibus, & ex inueterato exercitio declamandi consurgit, cum ad concionandum Mantuanis improuisus transmittitur ex maiorum præcepto. Spoponderat pridem Matthæus Bossus inter Censores tum enumeratus Ludouico Gonzagæ Mantuæ Episcopo in bucinatorem, & vatem maioris ieiunij Ioannem de Auogadris Vercellensem virum sanè, qui ex omnibus Canonicis in Dei verbo,

popu-

populariq; doctrina prima laude, ac dignitate nitebat. Vtq; his poscebatur valida contentione ciuitatum, ac procerum, maximè in votis erat præstantissimo Pastori, qui ideo Bossi sponsionem, fidemque tanquam vadimonium exegerat, quam ingenuè dedit ille nil excipiens, præter mortem, quæ vna est, sine qua nemo deliberat. Visus est autem quodammodo quod futurum erat diuinasse Bossus exceptione illa, nam vadimonium mors subita, & inexpectata Auogadri dissoluit, illumq; indolentem liberauit, non fidem, sed promissum abrumpens. Id statim Roma Bossus Episcopo significauit cum beatæ quadragesimæ tempus in limine esset, quo posset vel de nostris Augustinianis hominibus, si qui liberi reperirentur, eiq; placerent, vel de alterius professionis quopiam ardente tubicine Cathedrali auditorio suo opportunè consulere. Acceptauit igitur in hoc rei discrimine Valerium Gonzaga, quem præ cęteris viciniorem, minusue pręceditum Archangelus Generalis proponebat. Subijt autem ille prouinciam in alienas vices tanto cum animi æstu, Euangeliumq; tanta gratia, & laude tractauit, adhuc se ipsum superans, robustior magè quam per anteactos annos extiterit, vt summo modo desiderium sedatum Episcopo sit, quod amplissimum de Auogadro conceperat. Id ergo initium extitit nomini exactissimi præconis, omnium vsquequaq; animos, Romanorum præsertim procerum, replente Antistite, cuius Epistolæ resonabant iugiter Facini Patris eloquentiam, virtutem, zelum, cæterasq; qualitates in viro pręclaro commendatione memorandas. Per alios adhuc duodecim annos suggestum tractauit irrequietus, & indefessus vsq; ad annum sextũ supra sesquimillesimum. Et quamuis intra illud spacium pręlationem subierit non semel, bisq; Visitatoratus officio honestatus fuerit semper sub Hieronymo Bosso Mediolanense viro ob dotem singularis gubernationis clarissimo Rectore; nunquam tamen ab frangendo pane Verbi Dei destitit. Anno sęculari sesqeimillesimi primum Censor renunciatur in Synodo Patauina, cum per anteactæ quadragenariæ macerationis tempus Romanis Patribus prædicasset inter frugiferas aduenarum, & conterraneorum acclamationes, & sensa. Neque muneri vnquam omninò cessisset ad diem vsque postremam vitæ, nisi Respublica in eius quoddammodo vlnas confugisset. Ad Generalatum enim euectus vno omnium ore, vnoq; consensu, è re communi esse agnouit priuatas quascunque occupationes quantumuis pręclaras omittere, qui non sibi vltra uiueret, sed vni commodo Religionis suæ in eum animatissimæ. Comitijs apud Cremonenses celebratis laudato Bosso succedit in apice gubernationis anno trigesimo suę vocationis, ætatis quadragesimo sexto. Est annalium opus prosequi, quæ gessit ad profectum omnis classis sibi commissorũ curandum, qui quinquies eidẽ oneri colla sub miserit in renouatis vicibus semper renouato zelo, adauctaque diligentia

iuxta

iuxtà rerum exigentiam. Facta est duarum Canoniarum accessio Ordini Mutinensis, & Beneuentanæ ipso clauum moderante. Quoties ressignata Dictatura ad obsequendum redigi postulauit, vt semotis tot mentis deuotioris deuiationibus sibi priuatus consuleret, restitueretur q; Euangelio pertractando, toties Portuensi Collegio præficitur. Primus Vicentinorum gubernium illud adijt ab Venetis Patribus antea per plures annos curatum, qui in Hieronymo Contareno desiere. Ad annos vndecim Quartum promotus nobili Monasterio præfuit, suisq; Vicentinis viam strauit in eo moderando, quod ad annum vsque eius sæculi quadragesimum non interrupta serie præstitere. Vt vidit sibi adimi omnem viam repetendarum declamationum iam labente ad seniū ætate, quod temporis suffurari poterat actuosæ vitæ totum impertiri cæpit in exercendo calamo, vt eo saltem medio consuleret alieno profectui. Et qui circa primam accessionem ad pulpita Quintiliani Institutiones commentario luculentissimo illustrauerat, & octo ac quadraginta tractatibus, quaternis nempe pro quolibet libro, occasione quidem sui componendi, quod ipse ait, re autem vera ad formandum per exactas oratoriæ artis compræhensiones sacrum præconem; circa postrema vitæ tempora sacris totus se dedit literis interpretandis, scripsitq; super priora septem capita libri Iob librum vnum: Item volumen, cui titulum fecit de Septem virgis libris septem distinctum. Decesit annos natus sexaginta quattuor Abbas Portuensis, ibiq; tumulatur annos felicitatis christianæ millesimo quingentesimo uigesimo quarto successore Michaele Mordano. Sunt igitur eius


*Commentariorum in Marci Fabij Quintiliani Institutiones oratorias Libri duodecim Venetijs apud Franciscum de Modoetia Anno* 1494. *Lib. xij.*

*Commentariorum in septem priora capita Libri Iob Librum vnum Venetijs apud Anno* 1516. *Lib.* 1.

*De septem Virgis Volumen vnum egregium Libris septem distinctum. Primus est de Virga Iacob super illud Genesis cap.*32.*In baculo meo transiui Iordanem Secundus est de Virga Moysis super illud Exodi cap.* 40. *Virgam quoq; hanc Tertius est, De Virga Aaron super illud Numerorum cap.*17. *Sequenti die regressus inuenit germinasse Virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis Quartus est de Virga Dauid super illud Psalmi* 22. *Virga tua, & baculus tuus Quintus est, De Virga Salom. super illud Prouerb.* 13. *Qui parcit virgæ odit filiū. Sextus est, De Virga Asueri super illud Ester cap.*5. *Cumq; vidisset Esther Reginam stantem placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream, &c. Septimus est, De Virga Ieremiæ super illud Ierem. cap.* 1. *Virgam vigilantem ego video. Venetijs apud Anno* 1522. *Lib. vij.*

# AVLERIVS FVLIGNVS VICENTINVS.





GITE curæ nostræ publicis adactæ rebus, agite mordaces, & multę, tantisper ab corde recedite, donec Valerio Fuligno Vicentino fabulam vitæ non eleganter minus claudenti, quam Tragicos Heroum exitus canenti, elegantissimo Poetæ suprema gratulatione plaudamus. Agite desiderio eloquentiores, quam vocibus, affectus boni, & si inconditi, vocales tamen erumpite. Tragico enim Vati quantumuis nobili incondita decet eloquentia vlulare. Abijt ipse ex hac mortalitatis palestra sine laurea canorus olor, sed ipse illi calamus in lauream cessit, cuius dignissimam corona vitam mors honestissima coronauit. Ante immortalem laudabiliter obitæ mortis coronam diù decumbens, affixusq; lectulo cum grauissimo, acutissimoq; morbo generosè colluctatus est. Iacentibus enim, prostratisq; corporis viribus, animi vis, ac virtus ab ipsa constantior, erectiorq; ruina, mole sua sic stabat, vt in lectulo tanquam in scena virtutis videretur Antæi fabulam seriò dare; qui cum grauissime quateretur, tum fortissimè assurgeret. Hinc mirari iam desino, quod tragica funera splendidè scripserit, qui mala suprema intrepidè tollerarit. Talem nanq; in morbo robustam, viuacem in morte virtutem non adumbrarent alij, quam Proceres, Heroesq; morituri. Heroicam hanc laudum coronidem suarum prædiuinauit electa poesis, quando erudito primum partu theatralem in lucem edidit Bragadenum illum suum, Tragediam illam, inquam, quam per summum nefas, perq; supremam iniuriam iure gentium violato, proprię superstitionis sacramēto confracto non ante multos annos veraciter representarat de Marco Antonio Bragadeno viro incomparabili Mustaphus Thracum Regiæ purpuratus. Ehu quis absq; lachrymis, quis absq; singultu refricari potest Cyprij Regni in postremo eius Famaugustano excidio grandem Christianorum ammissionem, antemurale deletum sub tanta Bragadenæ virtutis propugnatione supremam pro Venetis Patribus Præfecturam exercentis, in qua Barbarus ille Bassas Selymi Secundi Turcarum Tyranni post infinita tormentorum genera viuo Heroi cutem detrahi ab vniuerso iussit lacertoso, conspicuoq; corpore? O' quicquid in Cælo fulminum lentum, atq; otiosum es, propera, prohibe hoc humano maius,

imo

uno dignum Thrace ſcelus. Adeo ne te Bizantinum orientale domicilium, ſepta luxurierum impuna, efferarunt, Dux amentisſime, ut neque iureiurando adactus, datæ fideį proditor, fædifrage ſcurra, neque tanti Herois innocentia moueare? Vos etiam nimis audiſtis deteſtabile imperium ſatellites, cæde tam impia, decoriatione tam dira abſiſtite. Heu me ſcopulis cano. Non exaudior. Precibus altius meis furor militaris obſtrepit, dum rabies Turcica furit. Benè tuos laniſtas ad omnem pietatem ferreos producis, ò Scita, quando te digno Ædile ludus datur crudelitati. Paſce iam oculos, animumq; ad talia ſpectacula cumulatisſime ad omnem humanitatis laudem cecutiens Tyranne, ut ſtrenuæ præmia immanitatis ſanguinarijs armis promeritos armillis dones mirmilliones tuos. Sed iniuria Thracem illudimus. Facit ille quod immanitatem lutulentę belluæ decet. Erinnys eius nec tanta placabitur hoſtia. An exaturabitur Orco, cum nocentisſimam animam ultricis facis æternus ignis exedet. Tantæ igitur hiſtorię fabulam Valerius dedit, qui pridem ex fabula ſuæ uitę hiſtoriam fecerat laicalis ſtatus perfuga, ut ſe inſigniter perſonatum canoniali ſcenę Roſcio illuſtrior exhiberet. Quid uerò Roſcios memoro, ſi non ludimus ſeria? Ab extremis Vmbrorum, Picenorumq; finibus maiores eius Fulginates Vincentiam incoluere honeſto excepti loco, quem & moribus, & ope decorarunt, donec is poſtrema gentis ſoboles ex uoto Canonem Magni Patris Aurelij Auguſtini profeſſus eſt auorum cumulaturus laudem, propriã iu tuto, uel ſaltem proximè, daturus ſalutem. Præſidebat Ordini ſummo loco Fœlix Paiellus Vicentinus ad annum ſexageſimum ſeptimum poſt quindecim exacta ſæcula, ad cuius immediatas manus, omnimodamq; auctoritatem deuenit nouellæ plantationis aggregatio, ne impedimenta, & obices opponerentur currenti. In ſpem poſteritatis educatus ad omnem nobilitatis artem horas, animumq; dederat, quò ſibi decor, lauſue occurrerent alieni ab obſordeſcente quęſtu. Mathematicarum poſitionum ad Opticam, Perſpectiuam, Munitiones, Caſtrametationes, Spiritalia attinentium adhęſerat opportunioribus ſtudijs, quæ unius poeſis ſolamine ſubleuaret hilaris. Eapropter ut noſtro Tyrocinio ætatem uirileſcentis adoleſcentię contulit tertię annorũ decadi proximior, quam ſecundę; ita quoq; & ſuppellectilem confertam, ac ex æquo correſpondentem comportauit, cuius ope, ac uiribus nouo ſtadio, nouæq; arenæ brauium accepturus athleta, & curſor ſe committeret. Subijt ſarcinam naturalium, ſupernaturaliumq; arcanorum luſtrali gymnaſtica exercitatione, intellectum onerantibus pręceptoribus Canonicorum pręcipuis, quam uſq; ad redimitum laurea caput portauit ſtrenuè. Quod uerò ſibi ornamento fuit pluſquam oneri ad alienorum animos pro dignitate ornandos liberalis diſpenſaror contulit. Nundinas templa, & pulpita fecit Mercator Eccleſiaſtes diues, & prępotens

potens, vni immortalitatis lucro tam pro ſe, quam pro alijs intentus. Grande munus ſub anno quintodecimo ab inchoata prouincia expleuit iugibus ab ægritudinibus acriter tentatus, ac corpore expugnatus,non animo. Exulans à ſuggeſtu, per ſpiritus alacritatem ad duriſſima quæq; perferenda iam à primis vſq; conuerſionis diebus edoctus, & animatus, exercebatur pugil inuictus. Inter diros morbi cruciatus leniendo dolori Italicarum Muſarum ſolamen adijt, antiquæ familiaritatis apud illas iura repetens, quando Elicone peragrato, aditiſq; Parnaſſi ſumitatibus ſub equeſtri ſagulo aquis Pegaſeis labia mollibus hauſtis humectare permiſſum eſt. Rediere faciles in gratiam fictæ virgunculæ, rectius, veraces intellectus habitudines ad actum abſq; laboris contumacia tranſiere. Hinc inter alia pleraq; ſcrinijs ad tempus demandata compactum eſt theatrale illud tragicum Venetæ, hoc eſt, inuictæ conſtantiæ opus,de quo ſupra. Fabula eſt quo ad carmen Italicum, quæ ſi non ad apicem vſq; pertingit, non ita procul tamen diſtare credatur. Quanquam eorum ego Catonum hoc loci importunam cenſuram admirari non deſino, qui Stoicis malè intemperijs agitati Italicam ſcriptionem homini erudito, probèq; Latino ſuperuacaneam, inutilemq; auſterè vt cenſent, ita confidenter, tanquam ex tripode, pronunciant: fruſtra garrientes, viros grauioribus deditos diſciplinis in primulis, minutiſq; nutricis, populiq; ſermonibus repuareſcere, quos ne ſermones Eccleſiaſtici deblateraremus, auita veterum ſapientum eruditio ſacros libros Latio lepore, ac ciuitate donauit. Sed ò vocem maioribus ingratam, pernicioſam poſteris, omnium pariter exibilationibus obruendam. Superuacaneę ne ſunt, ac inutiles compoſitiones Italicæ? At quot illuſtres, doctiſſimiq; ſcriptores eruditioni, auctoritatiq; ſuæ non mediocrem ijs acceſſionem fieri arbitrati ſunt? Grauioribus debemus poſteri diſciplinis? At rerum complexa cognitionem omnium, ipſoq; fœta Deo mens ad quid deſeruiret proximo, ni ſe intelligi patiatur in voces expreſſa, ab ijs, quorum conuictu, contubernio, aere, vbereq; fruimur, cuiuſue ſalutem penitimè demandatam habemus? Scientiarum Latinè myſteria noſtratibus in libris legimus. At qui parcum, & malignum cognitionis fructum colligimus,Italicis,ſi conciuibus non partiamur. Certè hic complanatur ſeuerum Apoſtoli, ac penè prætorium edictum, Si quis ſuorum domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Timidè adhuc dicerem, niſi fidentem faceret Platonicæ Philoſophus auctoritatis Iamblicus Chalcidenſis; cuius ad rem noſtram pertinet illa, quam de barbaro ſermone habet perhonorifica, in Phœnicum Theologia commendatio (talis enim Grece viro Itala eſſet locutio, ſi adhuc viueret) Neque verò eandem, inquit, omninò ſententiam tuentur, ac ſeruant nomina in alienam transfuſa linguam: ſed ſuæ ſunt, ac peculiares cuiq; genti vocum poteſtates, ac vires,

quæ

quæ nequeant aliarum gentium vocibus ſignificari: vt quamuis accuratiſſimè explicentur, vim tamen eandem retinere non poſsunt. Habent autem barbaræ voces ſua ex indole ponderis plurimum, arguta quadam ex breuitate non parum leporis, è verborum parca ſuppellectile minimum ambiguitatis. Cæterum ad libram optimæ artis poeticæ, Ariſtoteleę Tragediam fortaſse quis æquius reſpondere deſiderabit non ineptè. Valerius autem ipſe Præpoſiti Eugubini ad Diui Vbaldi Montenſem Eccleſiam functus laudabiliter munere, cum Abbatiam Vincentinam cute decoriato Apoſtolo dicatam gereret, diuturnis cruciatus ęgretudinum ęrumnis, de quibus ſub initio dicebamus ſpiritum Deo reddidit ſexagenario maior.

Supereſt eius ingenij

*Bragadenus Tragedia carmine Italico decantata, Piſauri primum edita apud Hieronymum Concordiam Anno 1589. Lib. 1.*



# VITALIS MERCATVS RAVENNAS.





ENE' eſt, beatè eſt. Cælum Vitalis Mercatus poſſidet. Quid ni, ſi pius, ſi innocens in hac infelicitatum valle verſatus eſt? Ibi cauſam noſtram perorat ad Deum. Peroratam felicitatem fœcundo gratiarum impluuio, ſtatim, ac tranſlatus eſt, deſcendiſſe ab euentu noſcitur, iugiſq; Ordini perſeuerat vniuerſo adhuc inter tot aduerſa. Quid igitur nobis ſupereſt, niſi vt iucunda commemoratione tranſacta congeminemus viri excellentis merita? Agite igitur, accipite. Inter primos hic enumeratur, qui ex Rauennatum perhoneſta ſobole nomen tabulario Canonico adſcripſerint aliqua cum florentis ingenij laude poſt antiquorum Portuenſium iura in reformatos Lateranenſes mutata. Id autem circa diem illam memorandam contigit, in qua ciuitatis antiquiſſimæ campeſtria Chriſtianorum hoſtiliter in ſe ſe met arma vertentium cruore madefacta ſunt, ipſaq; vrbs miſerrimè contra ius, & fas ab irumpente Gallo Aquitano vaſtata, dirèue dirempta eſt. Profectò qui meliora promeriturus erat ſtipendia ab crudelis militiæ rumoribus occaſionem indagandæ animi pacis nanciſcitur non ab re. Fugit penatibus inconſultis, & inſalutatis ad litora Portuenſia, ſtatione electa carinæ ſuæ benefida, ne in alto mundi naufragus opprimeretur, obtruncatoq; carabaſe in veſtimentum illud vertiſſe quodammodo videri potuit. Factus à natura erat ad perferenda aſpera quęque. Vegetum corpus ab animo informabatur non infirmiore, quo dictante, & ſuperno irradiatus lumine indixerat ſibi ſexſtæ diei ieiunium qualibet hebdomada ab ipſis pueritiæ crepundijs. Sociæ ieiunij virtutes, vel dicas virtutum initia modeſtiæ, caſtimoniæ, vigilantiæ, pietatis dum prælucent ex moribus, petentem initiari ſuperpellicco manuducunt vbere cum gaudio recipientium, atq; recepti. Ferax prædium aratro diſciplinæ verſatur ab eximijs excultoribus trienni tentamento; vtq; vna omnium Laterano addictorum erat per illos dies methodus, vna idea, quæ nuſquam à tyronibus prouectores, & emeritos diſcerneret: ab omnium agebatur exemplo vt ampliore meſſe horrea implerentur, vinoq; torcularia redundarent. Scientiarum arcanis pernoſcendis inhæſit de iuuentutis more donec Sacerdos inungitur. Quintum iam percurrerat annũ inter Piloſophos, ac Theologos,

nec

nec satis apparebat quid spei, comodiue affuturum esset ab eo, qui seueriore silentio transegisset ætatem inter condiscipulos vix prolocutus necessaria. Quippe nihil concedens inanibus auris, verè humilis, aures non linguam sensum disciplinæ sibi esse suaserat. Quare communi sententia benè doctus pro ætate vulgabatur, sed cui doctrina videretur sub. sigillo auriculari credita, potiorq; in eo pars censebatur soliditas fundamentaria, quam tamen tumularet exiguitas verborum, iners expressio, rerumq; ingenium. Vni Veronensi Theologo præceptori fucum non fecit tardiloquium illud cõmendabile, qui in coniectandis animi morbis, ac valetudine præpolens, Vitalis eloquio sua reponi tempora aliquando deprædicaret. Vatem verò prænbuisse vera comprobauit euentus, quoniam ad vnguem optimi Ecclesiastes munera per annos viginti expleuit, illis omninò regionibus operam suam impertiens, quibus vnus Rectoris Generalis pro tempore nutus destinaret. Quo fiebat, vt optimi labores altero huiusmodi merito humilis obedientiæ aucti fructum redderent centuplum, conferrentq; in Ecclesiæ horrea mensuras confertas, coagitatas, & supereffluentes. Neq; apud virum curæ erat destinatio pagi, vici, oppidorum, & vrbis, cum vbiq; Christum regnare diceret, & se debitorem cum Apostolo profiteretur sapiĕtibus pariter, & insipientibus. Alliciebat auditores officiosa in primis charitas omnibus prĝstò facta, quę à cubiculo ad aram, ab ara ad suggestũ, è suggestu ad sellam pœnitentiariam virum impingebat, & configebat, ita vt naturæ fragili persoluendum vectigal cibi, somniue disiectum omninò ab eius cura videretur iugi cum omnium vtriusq; sexus, admiratione. Hæc autem tametsi extra claustra perficerentur; tamen adeo conspicua prælucebant, adeoq; erant consona ijs, quæ intra domesticos præstabat parietes, semper sibi similis in qualibet minorum officiorum commissa sarcina, siue curandi tyrocinij, siue instituendæ Christiana doctrina Conuersorum laicorum ruditatis, siue interpretandorum, quos dicunt, conscientiæ casuum, aut dirigendarum Canoniarum Vicarius; vt tandem nouem viros electores compulerint ad illum Portuensi Accadamię præficiendum. Opus id non ita facilè decretum est, reluctantibus maioribus rationibus, quarum possessio perennis probabatur insigniter Monasterio illi officiosa, atq; proficua quęue abundarent viris præfectura exercita, iamq; probata dignissimis. Ominabantur enim si aliquando is, quispiamue talis alius iura Portuensia moderaretur, conciuium facta electione, & ad profitendum institutum admissione, futurum, vt loco cedere cogerentur, quem laboribus præteritis locupletassent ad aliorum frugem, & commoda. Neque illos fefellit prænotio. Interea penes innoxios, æquissimosue electores præpolluit viri meritum, causæq; ius in Reipublicæ communem comercium, adhuc disiecta in speciem mitiore sententia, quæ Vitalem Canoniæ pręficiendum proponeret.

Quare

Quare Francisco Vicentino ex Priore Portuensi ad supremum Rectoratum assumpto in Comitijs Cremonensibus Secundum, Vitalis illi datur successor anno quadragesimo primo superioris sæculi, primus omninò Rauennatum, cui post Reformationem patrij Collegij administratio committeretur, & præfectura, quæ per annos viginti supra centum penes exteros floruereat, iuraq; conseruarat intacta. Id felix, faustumq; fuisse plusquam vario innotuit nomine. Vna verò Summi Pontificis Pauli Tertij præsentia pro omnibus potuit rem insinuare satis. Is enim hoc eodem anno cum ex habito congressu cum Augusto Carolo Quinto apud Lucenses Romam regrediens per Romandiolam iter haberet, hospes Rauennæ Portuensibus Canonicis se donare voluit, iteratò illas ipsas ædes Sanctissimo decorans incolatu, quibus pridem & prædecessor Iulius Secundus se permiserat. Exordium huiusmodi narratur initorum regiminum, in quibus per annos vnum de triginta perseuerauit, idest toto superstitis vitæ curriculo, nec postremum vnum excipias, quando ipse spontaneus, ac lubens sarcinæ exorauit sibi licere depositionem. Toto hoc temporis curriculo Sextum Portuensibus laribus præfici contigit, ad annos nempe duodecim varia promotione; aliquando etiam de iure suo deiectus, & ad humiliores familias moderandas amandatus impotentia aliquorum, qui diuersimodè ab illo sentiebant de Reipublicæ administratione. Hos tamen superabat & eius modestia, per quam nihil obuersabatur, sed hilaris vultu, ac animo subibat onus quodcunque illud esset, & eximia integritas illa, cuius ope vbiq; proficuus euaderet vitæ admirabilis exemplo subditorum, hospitumq; mores eformans. Hinc Censorea dignitate Quintum decoratus est, perquam Collega dabatur Supremo Magistratui ad cognoscendum de statu vniuerso rerum, adq; opportunè subueniendum exigentijs, quæ quotidiano emergerent humanorum actu: hinc & Orator Paulo Farnesio Hierarcæ destinatur, quem Ordinis Procuratorem in Romana Curia appellabant, anno suæ assumptionis nono: hincq; demum Patauinæ Accademiæ moderandæ datur ad quintumdecimum eiusdem primæ nominationis. Cum anno quinquagesimo, ac sequenti Portuensia moderaretur Tertium, animo prægrandi, pretioq; maximo vniuersam materiam emit, ac præparauit ad nouam Basilicam Deiparæ Virgini construendam, quam postea successor eius non loci modo, sed & desideriorum, ac voluntatum Hieronymus Calinus Brixiensis anno sui regiminis secundo fundauit in amplissimam illam formam, secundum quam modo perfectam conspicimus ex dignisſimo archetypo præcipuam inter Rauennatenses. Ac mirum profectò, vt qui cæteroqui exiliter sentiebat, in ijs, quæ ad decorem domus Dei pertinerent, formas omnis munificentiæ induebat, in quibus superaretur à nemine. Vt verò præcauere posteritati voluit in materiato templo:

ita

ita consulere idem elegit in curandis patrij Cæli Sacerdotibus, quorum sacro ministerio magis celebris, magisq; deuotus locus populo redderetur. Qua in re tantum insumpsit curæ, ac sedulitatis, vt Canonicos dedicarit iuuenes nonnisi selectissimos, quorumue indoles magna repromitteret, vt his ipsis nostris libris, & alibi latè cernere est in plerisque eorum euenisse. Annorum penultimo, quo eidem Portuensi Academię prefuit primus illius Abbas creatur ex Pij Quinti Summi Pontificis bulliplumbio, in ea scilicet promotione, cuius ministerio vnum supra viginti ex nostris Collegijs Abbatiali titulo decorata sunt. Deposuerant maiores nostri ex Frigdionaria Reformatione Abbatiales titulos fermè quoscunq; in reformandis Canonijs inuentos: siue veriti ne pro Monacis vsurparentur, quorum primario, & ex sui institutione est Abbatiæ præfectura, cum & illos repræsentare populis viderentur primo aspectu per vitæ communis obseruantiam, per claustri inhabitationem, perq; crassi, & rudis indumenti delationem: siue etiam ad humilitatem contestandam,& ad fastum omnem à se ablegandum, cuius infectione virulenta prisci Canonici corruerant. At Sixtus Quartus consulens quieti populorum, qui vbertim super hoc quærebantur, præcepit, quamuis Apostolico oraculo consulto pridem suppressos, iterato tamen reassumendos per hæc formalia verba. Nos igitur memoratorum populorum consolationi consulere volentes, omnes Abbatiales titulos, qui quoquomodo in locis per vos susceptis immutati, extinctiue sunt, instauramus, ac denuo erigimus ad pristinum statum, adq; dignitatem Abbatialem reducimus,sub Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die trigesima Martij anno millesimo quadringentesimo octuagesimo. Erectio autem huiusmodi veteres tantummodo respexit suppressos titulos, nouos erigendos minime, ne præiudicium inferre videretur clericatui, cum vsque ad illum diem Abbatiæ titulus Monachismum redoleret scientibus. Quin etiam cum Ecclesiam,& Canoniam Beatissimæ Virginis de Pace in Vrbe ipsemet construxisset, nostrisq; gubernandam tradidisset,non ei Abbatem, nec Priorem, sed Præpositum præsidendum definiuit,quem tamen & Pontificalibus,& insueta potestate cumulauit. Verum enimuero affuit dies (vt legitimis vtar verbis Serenij nostri) qua ea ipsa expetenda fuerunt, & pro eis depræcandum, quæ iam pridem neglectui habebantur. Dum enim ad Tridentinum Concilium vndiq; Patres confluerent, & Eruditi, percontanti Pontifici Pio Quarto, quotnam Societas nostra eo destinaret, respondit Marcus Antonius Bagarotus tum fortè Generalis Rector, Sancte Pater tres iam paratos esse iussi Sixtum de Rhenis, Riccardum Vercellensem, & Paulum Pelatium Laudensem. Respondit Pontifex, quid ita? tres tantum ex tam numeroso sodalitio? Ad quem Rector, Beatissime, cum apud nos, Saluatore beneuolente haud pauci inueniantur

Sacræ Paginæ Scholasticæ Theologiæ, nec non Pontificij Iuris periti, & candidati, at non totidem Abbates; qua propter cũ nunc Monachi nos de possessione nostra deturbare nitantur, vereor ne si Doctores mei Monachis ob tituli Abbatialis præstantiam de loco cedere compellantur, ex eo actu potissimę causę nostrę pręiudicium inferatur. Tunc Papa Motu sibi proprio, qui nunquam non in gregis profectum tendit, Iubebo, subiunxit, tuos quoque Abbatiali titulo inuestiri. Iam itaq; ex nunc tuum sit tribus electis alios adiungere vsq; ad viginti quatuor, locaq; designare, in quibus eiusmodi titulos erigere deceat: cumq; inter expeditionem verè Pius Pontifex graui morbo correptus quod præclare institerat perficere nequiuisset, Deo disponente absolutum est Concilium, ac paulò post ipse Pontifex caducam æterna vita commutauit. Nihilominus tamen alter Pius ipsius successor eius vestigijs inhærens, quæ ille ingenuè inchoarat, magnificè absoluit, vt clarè ex ipsomet eius diplomate constat. Atque hæc quidem causa fuit, cur cæteris præexistentibus vnus & viginti Abbatiales tituli adderentur. Cæterum non sine maxima benignissimi Numinis prouidentia vsq; in eum diem erectio huiusmodi Portuensis Abbatiæ reseruata est, quò Vitalis titulo Abbatis primus honestaretur, qui præclarissimis actionibus verè Abbatem, hoc est Patrem, præ se ferebat non suorum Rauennatum modo, sed & quorumcunq; curæ suæ creditorum, quin & Congregationis omninò totius. Fouebat præ cæteris ope, consilio, hortationibus, monitis quos benè animatos operiebat ad strenuè pro Deo laborandum in vocatione. Vniuersis præibat inculpatissimæ vitæ exemplo, & qui facilè admirationem in omnium animis excitabat, imitatione obtineri difficillimè poterat. Seueriorem enim disciplinam veterum mores adeo consectabatur, in seq; exprimebat totius corporis habitu, omniumq; actionum temperamento, vt integros menses ieiunus qualibet die transigeret. Choro perdius, & pernox tantus interressebat, vt vna vigilia vita eius crederetur, qui frequentius non alibi adibatur, quam ad chorum genuflexus. Matutinus præ vigili sacrista horas somni meliores ibi transigebat contemplator extaticus, ibi vespertinus audiebatur iaculator gemebundus, si quando curiosius rimarentur asseclæ. Liberalitatem illam, quæ ex charitate est Prælatorum eius ætatis propriam exsoluit erga subditos officiosissimè. Vt enim minus prægrauata erant Collegia ęris alieni tabulis, onerumq; publicorum impositione illa, quę vsque ad pręfocationem postmodum cumulata est temporum nequissimorum flagello; ita latius dabatur optimo Pręfecto ius consulendi filiorum indemnitati, ac commodis. Non intra arctum carcerem duodeni aurei infelicis res vestiaria Canonicorum continebatur; sed pius cognitor, ac distributor vestes, ac cętera misericordię Dei partiebatur vnicuiquę, prout cuique opus erat, egestatem præcauens, &

postu-

postulationes ipsas preueniens. Leuitarum, Subdiaconorum, Sacerdotumue de recenti initiatorum Omolegesim satagebat excipere in Academijs, neque tamen ab hac auscultatione siue prouectiores, siue iuniores respuebat: quòd opus perquam frugi vtrinque cedebat, cum nullus non nisi & melior ex sacramento factus, & maximè animo consolatus poplitem inde amoueret in Domino. Lecto decumbentium ex infirmitate quotidianus aderat visitator non seclusis inferioribus famulis ab pio, misericordiq; officio, quibus, & ministrabat lectos ipsos sternens, vilioraq; pertractans, si quando contigebat solus adesse. His, innumerisq; similibus in omnium oculis, oreque erat, & tantus colebatur ab Concanonicis Rauennatibus presertim, vt & que in postrema senecta diceret in sententiarum modum exciperent, & ad res, que fieri deberent suadendas, sat esset scire, illum ita sensisse. Preficitur demum Abbas Cesenatensibus ad Sanctam Crucem. Ritè autem id cessisse videtur, vt qui Crucem iugiter in suo corpore viuens tulerat, etiam sub Crucis vmbra moriens quiesceret. Nam infra anni eius indictionem debitum nature religiosissimè soluit breui morbo correptus. Dum extremum ageret spiritum penè catharro faucibus preclusis petijt quà voce informi, quà nutibus sibi Deipare Virginis imaginem dari pario super lapide pictam ex archetypo veteris Portuensis à se impensè cultã, in cuius venerabũda contemplatione hilaris animam exhalauit adstante sibi Collegio vniuerso, præ cæterisq; illum curante, & collachrymante Seraphino Merlino, Vbaldo Heredio, & Iosepho Viuolo, quos ex Rauennatibus ipse consortio admiserat. Biduum inhumato parentatur tota confluente Ciuitate, quæ de viri virtutibus pridem edocta venerabatur Deum in seruis suis admirabilem. Tumulatur ante aram maximam sub lampade, quæ perennis ardet ante Diuinissimam Eucharistiam de more, sepulchrum hoc suadentibus, postulantibusue ciuium potioribus ab cõmuni Canonicorum seiunctũ, venustioremq; illius formã depræcantibus ere ipsorum proprio curandam, que reiecta est ex regularis modestiæ prescripto, & ab seuerioris capitularis consultationis deliberatione capsulam tantum sub humo effossa permittente: adeo sobria pietas est circa ritus non adhuc per Magistratũ probatos. Interea meritò videtur assignatũ monumẽtum, ne inde (à Cruce) defunctus abscederet, vnde viuens auelli nisi perquam ægrè passus erat. Petrus Bagnarius Imolensis pictor illa ætate clarus Concanonicus, cuius & mentio in hisce libris est, dum in amplissimo triclinio Portuensi Christum Seruatorem quinque panes, duosq; pisces multiplicantem ad turbas quinque millium hominum saturandas penicillo repræsentaret, inter cæteros tantæ multitudinis, & Vitalem ad viuum effinxit sub alieno tamen habitu ad pedes Domini cibaria benedicentis, quo loco Abbates ad mensam accubituri terga vertere solent: sub alieno, inquam,

habitu inſcium illum furtim poſteris offerendo, ex cuius typo exemplatam eſſe effigiem illam certo ſcimus, quam in maiore Abbatum Portuenſium conclaui inter cæteras Prælatorum eius Canoniæ Rauennatum expoſuit magnificè non multis ab hinc diebus Gabriel Bruſius itidem Abbas. Deceſsit anno ſeptuageſimo primo ſupra ſeſquimilleſimum, daturque ei ſucceſſor per Rectorem Generalem Calinum, & Viſitatores Ioannes Baptiſta Brixienſis Pridie kal. Nouembrias. Cæterum Seraphinus Merlinus ad Supremi Moderatoris apicem euectus, quem viuum, mortuumque virum Dei impensè coluerat, de cuiuſue ſanctitate opinionem præſeferebat inſignem, ac laudabilem vbique deprædicabat memoriam, quidpiam de eius pignoribus inaſsuetum conceperat euenisse, prout Dei miſericordia efulgere ſolet in ſeruorum ſuorum lipſanis conſeruandis. Quare Aurelio Riccio Imolenſi Abbate ad opus diſpoſito, poſt humum effoſſam corpus integrum incorruptumque reperijt, quod tamen atingere non auſit; ſed ſacro in ſuffragium facto, tumulum, vt prius integrari iuſsit inter vberes ſpiritalis lætitiæ lachrymas. Nobis verò euidentiora benignitatis Dei contigere ſigna. Et quoniam opera Dei reuelare, ac confiteri honorificum eſt ex Raphaelis Archangeli ad Tobiam oraculo; ideo illa hic ſinceriter refferre poſteritati æquisſimum arbitramur. Quo tempore moderabamur primum, meritis licet imparibus, idem Cæſenatenſe Collegium ex Congregationis benignitate, cum templum præclara ſtructura à maioribus noſtris ædificatum omni interiori ornamento deſtitutum cerneremus, vt pote cui paucula tantum altariola ineſſent in extrema illius parte ab ara maiori per látisſimum ſeiuncta ſpacium, in morem ruſticum pictura ſuper murum appoſita, nullatenus ſibi reſpondentia, cuiuſq; pauimentum male compactum foueis hinc inde ſcatens inæquale, imum ue nimis eſſet, atq; cum demum nihil contineret dignum Canonico ſplendore circa Diuinum cultum perexacto; manum operi admouētes illud ipſum in ampliorem formam Deo dante redegimus inductis omnibus ornamentis illis, quæ ex meliore neotericorum ordine Baſilicas illuſtriores ad maiorem Numinis gloriam exornare ſolent, deuotionemq; exciere, & enutrire. Inter cætera uerò cum aream arę maximę, quam præsbyterium dicunt, ampliorem, ſublimioremq; erigere moliremur ab cætero Eccleſiæ plano diſtinctam pluſquam vno ornamento, & ordine; eandem ipſam foueam iteratò aperuimus, & ex animi propenſione in viri laudatam probitatem deuota, & ex neceſsitate perquirendi quorſum nam in dies ibi humus ſemper ad ima declinaret, complanationemq; ac conquadrationem redderet inæqualem. Inuentum autem à nobis cadauer eſt non modo integrum, prorſuſq; compaginatum; ſed cui etiam pellis adhuc penè vndique adeſset oſsibus inhærens, exſiccata tamen loculi, vel capſulę

capsulę ligneæ ex ipsa humiditate iam tabidæ vix aliqua particula in sui signum superstes erat, similiter & indumentorum. Vnum clericale biretum more antiquo absq; subiecta papiro caput, frontemq:. ad oculos vsque tegens intactum, illibatumq: erat, frontemq: ipsam adeo conseruarat illęsam vt rubore, ac si viuens esset, superfusa conspiceretur. Nos ipsi diligenter, & industriè rem agentes, manuq: propria contrectantes extracto pignore, circumspectèq: ab humo purgato, in nouam ex quercu excitatam capsam reposuimus, bisq; ad hęc peragenda congregatis Canonicis, & accensis funalibus inter sacram defunctorum psalmodiam eidem terrę reddidimus. His omnibus testes incidenter interfuere Branda de Pirinis nobis auunculus, Ioannes Baptista Belettus, Iacobus Gattus, alijsq; septendecim quorum nomina in tabulas fuere relata. Quę autem in nobis senserimus, quæue alij in seipsis experti fuerint spiritalis consolationis tum ad inuicem communicata, quę similiter: obtegerint nō assueta, alterius sint loci. Vnū expedit hic apponere pro coronide, seriem nempe rei, quam in membranula exaratam loculo inclusimus in hanc formam .I.M. Si quando exaltari Deus velit in Iusto suo. Anno Domini M.D.C.XXIV. die XV. Feb. Vrbani Papę VIII. Anno Primo. Aperta vetustiore capsula, in qua pridem Corpus Venerabilis Dei Sacerdotis Patris Domini Vitalis Mercati Rauennatis Abbatis repositum fuerat, post annos quinquaginta, vel circa ab eius obitu, integrumq: repertum, extantibus adhuc capillis, & carne ossibus adhuc multa in parte adherente, corruptis vndique capsę lignis, nullo eo spirante fœtore in hanc nouam capsulam reposuere Canonici Regulares Lateranenses Sanctę Crucis. Viro eiusdem instituti religiosissimo, valdèq: pio, & commendata maiorum totius Congregationis probitate claro. Anima in ęterna benedictione sit, vt piè creditur. Testes ad vniuersa vocati in archiuio adnotantur. Ita est Dominus Celsus Abbas manu prop. Plura ipsum scripsisse spiritualia opuscula frequentius nobis narrabat pręlaudatus Seraphinus Merlinus magè ad sui ipsius pinguedinem spiritus, & ad proprij feruoris excitationem prouocandam, quam vt in aliorum aliquando beneficium transitura essent. Verum disciplinę illius alumni ea seiunctim ab illo extorquentes inter se ita diuisere, vt ad exteros communicata pro meliori, communioriq; bono, tandem in aliorum ius, nomenq: cesserint: Vidimus nos dum Theologiam in Portuensi profiteremur penes Nicolaum de Mercatis Rauennatem diligenter asseruatum manuscriptum volumen Italico idiomate dictatum cui titulus erat.

*OEconomiam animorum libris quinque digesta Vitali de Mercatis Canonicorum Regularium minimo Auctore. Lib 5.*

Incerti

Incerti.

*OMnia falce metit nunquam reuocabile tempus,*
*Nec ferrum hanc aciem ferre, silexue potest.*
*Firmior at ferro est piorum fama virorum,*
*Et benè fert longas temporis illa moras.*
*Impia mors arcum ponas, tristesq; sagittas*
*Confringe: Vitalem numinis instar habe.*
*Non tot percurrunt pisces in gurgite vasto,*
*Lumina nec fulgent nocte silente polo;*
*Luminibus decorat tua quot præcordia virtus;*
*Virtus æthereo quæ placet alma Deo.*

FINIS.



LY-



# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM

## LIBER DCIMVS NONVS.



## ZACHARIAS APPIANVS BRIXIENSIS.



NVNC quicunque Aristotelica volumina Grçcè imperitus euoluis, atq; instar aquilæ magnarum alarum ad medullam cedri prouolasse te, ac penetrasse gloriare; qui vix interpretem librum aliquem, & corticem rudi rostro momorderis; Zachariam Appianum Brixiensem virum illustrem de Peripato per decem & octo annos, nunc auditorem, nunc interpretem benemerentem inter Alpham, Omegamq; repuerascentem inspice: canæ eloquentię Philosophum græca rudimenta balbutire non pudentem intuere: grammaticos inter apices, minutiasq; atticissantem eruditissimum caput contemplare. Permagni profectò interest, vtrum cuiusq; sapientiam nationis natiui sermonis è fontibus ebibas, an peregrinis lambas, libesq; de riuulis. Plato (vt infinitos externarum non

tam

tam regionum, quam disciplinarum curiosos exploratores omittam) Ægyptiam philosophiam longinquus hospes non Atheniensi aliquo è fonticulo primioribus, vt aiunt, labris degustauit; sed liberaliter hausit ex Nilo. Nos verò sapientiores sapientissimis auis nepotes obscurissima rerum Aristotelearum arcana penitus abstrusa latebris, per aprica Latij exposita credimus, atq; obuia? Extraneis petenda Stagiri fluminis è scatebris, Latino frustra expiscamur in Tiberi. Verum (vt præposterè sapimus mortales, qui de rebus excelsissimis humiliter, demissèq; sentimus) adeo delicato nobilissimarum fastidio literarum pleriq; laborant, vt illæ iam ad cognitionem perdifficiles, ad sermonem insuaues, ad vsum penè inutiles existimentur. Ita verò ijs obstinatè, ac religiosè, modesta scilicet hominum natio, abstinent: vt vni ad illas tanquam ad sancta sanctorum sacro quodammodo interpreti, & magistro aditum, accessumq; patere putant satis, quas è vestibulo, ipsi, atq; è limine tantum, vt dicitur veluti prophanum Iudeorum vulgus ex atrio, salutant. Non ista maiorum sententia, & consilium, non huiusmodi Zachariæ sensus, vt mirandum non sit si Aristotelem deinde personuit eloquentior, si postremis hisce temporibus frequenti super illius libris quæstione grauia ex ipso effata, & responsa petebantur. Quęnam enim enthea Aristotelem virtus efficacius afflaret, quam quæ Aristotelem ipsum edocuit? aut quod eloquentiæ genus vberius, atq; amabilius, quam quo ipsemet naturæ Dæmon perloquutus est? Exercuerat se primioribus exactæ vix pueritiæ annis per ambages, & fallacias aulæ patruo circa eius curam patris vita functi vices implente. Honestissimæ eius gentis auitum id quoddam studium erat, quæ decus ciuile ab nobili Principum virorum seruitio, ardenter à plerisq; quæsitum, à multo iam tempore possidebat. Hippagios communiore vocabulo appellant adolescentes huiusmodi, quos interioris conclauis, & intimioris Regulorum cultus particeps executio commendat, quosue dies, ac domini fauor ad maiora tollit in obsequij fideliter, ad mentemq; præstiti vadimoniale testimonium. His artibus filij hominum auræ anhellant, & gloriolam decidentem aucupantur. Non enim maris æstus, vel lunæ facies tam sæpè, tam cito, tam tute, tam serio mutantur, quam quæ ab aulica pendent inconstantia, vt animas ipsas nutare dicas quasi morituras immortales. Maximo Cælitum beneficio communis huius proprietatis calculum subijt Zacharias innocenter lacessitus, & qui ita ferro iniuriam diremerit, vt pluribus aggressorum sauciatis citra vitæ periculum, & ipse sauciatus horula, terrenoq; exul indiguerit. Ergo illo præcipiti casu, qui caducæ gloriæ milite dignum stipendium fuit, tantum resilijt animus ad altissimam laudem, vt seruilibus ambitionis castris relictis, ingenuus transfuga iuxta nobile, ac difficile sui ipsius regnum occuparit. Affulsit è Cælo implorata clementia, & pulsanti ianuas suas aperuere Saluatorien-

torien-

torienſes Canonici. Qua ingreſſus patuit, ſtatim & progreſsus adfuit. Confirmatis enim bonis conceptibus, & colluſtratis, ac collimatis affectibus per aſsuetam ingredientium Religionem pediam, ſolutaq; tyrocini-militia, nobile baltheum triariorum induit Theologos præceptores profeſſus, qui pedetentim ordinabatur gymnaſticæ militiæ futurus curator, & interpres. Dotem latini ſermonis, illamq; nobili viro dignam excultam nempe, & elegantem, ſecum detulerat opipare cumulatam logicalium, naturaliumq; rerum curriculo, quæ ſuperfuere lucra ex luſibus aulæ. Propterea relibatis vix dogmatibus, refricataq; vt efficacius infigerentur, ſpeculationum memoria; ad diuinorum arcanorum penitima auſcultanda moderatoribus eum præſtolari placuit. Frontem doctorea redimitam ſynodali acclamatione, exhibuit cathedræ magiſtram anno natus vndetrigeſimo, pluresq; Congregationis Academias cohoneſtauit hinc inde pertractis auditoribus, etiam extra ſæpta noſtra aliam rationem vitæ profitentibus. Quæ argumenta interpretem acclamatum reddere ſolent, Peripato ea collucebant ab exponentis facundia ad quicuncem. Exercuit tamen aliquando literarias ſimultates cum Baſilio Pardio Vicentino ex noſtris item Philoſopho probatiſſimo, quæ cum mordicus aliquanto fouerentur, ac ſuſtinerentur ab impotenti omnium Ordinum iuuenture vtriuſq; ſcholę; non ſatis conſentaneæ de illo ſentire publicos cogebant Cenſores, etiam cum iuſta nominis eius inuſtione, cumque libera muneris proſcriptione, ni ad officium remearet. Diuerſa methodus diuidebat ſcholas, quas alioquin coniungebat dogma: dum ille Stagiritam ex Cordubenſis Auerrois placito, is verò ad mentem Alexandri Aphrodiſei, atq; Gręcorum interpretaretur. Duplici ferè miraculo id factum narant adhuc ſuperſtites eorum auditorum reliquiæ, ex proceribus eruditiſſimi. Vincentinum namq; ad prodigioſæ memoriæ inexauſos latices, Auerroem fermè totum, voluminoſum illum auctorem, verbotenus poſſidere doctrinæ ſequaces clamosè prædicabant, dum ad quamcunque datam, & occaſionem, & poſitionem ita res enuclearet ſolo innixus Auerroi, vt productis Auctoris operibus ipſamet omninò legerentur verba. Zacharias vrò aculeatis, ad formam ancipitis gladij argumentationibus (quæ pars ſubtiliſſimo intellectui ſingularis adſtabat) ſic quæſtionum penetralibus infigebatur, vt ſuco exhauſto nil præterea illarum remanere quod aut veritatem, aut apparentiam ſaperet, gloriarentur addicti. Ijs addebant Arabum ſcholam, cuius Auerroes ille anteſignanus, gręci ſermonis expertem multa protuliſse abſona, quębarbariem ſic ſaperent; vt illorum nomina Albualchaſis, Auenzoar, Auicebron, Auempaces, Abubacher, Abenſinas, Alphababius, Alaſſen, cęteraq; ijs conſimilia. Quippe aſſumendum pro comperto genus ſermonis illorum, in quo Peripatum frequètabant, commentabant, venerabantur, ſeu magè fędabant,
 & ob-

&obtegebant, tribus omninò, ijsq; læthalibus, ac uirulentis constitisse qualitatibus. Ex intimis enixè præcordijs totius contentione spiritus inhalandum, si loquebatur, ut non aspirare literas, sed animam penitus expirare, atq; extussire uideatur: magicis quibusdam, portentosisq; notis delineandum, si scribatur, ut Ægyptio ad scribendum pictore indigeamus, qui suppositítias pro characteribus animantes, ac hieroglifica laborioso lineamentorum ductu metiatur. Vno demum verbo, linguæ genus illud cognitu obscurum, dictu barbarum, asperum auditu, lectu etiam (si Deo placet) horrendum, vt neque animo percipi, neque ore proferri, neque manu possit exarari. Atq; hæc quidem extitere vtriusq; gymnasij ingeniosa dissidia, ludicræue concertationes. Interea Zacharias meliore sibi desuper iniecto spiritu, nil adhuc sapere ratus eius, quam profitebatur scientiæ, nisi auctorem ipsum suomet sermone natiuo loquentem metiretur; tanto conamine se græcis commiscuit literis capescendis, vt noctu, diùq: vigil vnam hanc vrgeret prouinciam, vnum sequeretur studium, sepositis quibuscunq; quæ aut remorari, aut obsistere vni mentis decreto possent. Musas Cęli filias, hoc est cęlestes intelligēdi, atq; eloquēdi facultates, Gręcis montibus, fontibusq; vetus fabula affixit, atq; affinxit: quod altissima eminere sapientia, quod vberrima scatere eloquentia Græcia crederetur. Atqui nobilissimum planèq; cælestem in terris disciplinarum chorum, quas ipse quoque priscis vna cum sapientibus fabuloso nomine Musas appellabat; non ad prærupti montis inhospitalem horrorem exulasse, sed amenissimum in hortum Aristotelicorum librorum conuenisse: non caballino fonte labia proluere, sed tali scientifico fluuio ingeniosam sitim explere solitas esse prædicabat. Igitur suauissima Musarum eloquentia principem suauitatem Aristoteleo largè de fonte potauit, Lampridio viro clarissimo vsus præceptore semestri. Minusculo huiusmodi spacio græcus factus est homo Latinus, & Italus non intelligentia modo idiomatis tam varij, tam multiplicis, sed & locutione promptissima, eaq; ad normam tutiore, quam quæ materne loqueretur Quamuis enim Græca eruditio plurimum superstitionis admixtum haberet, multum obscænitatis, satis superq; illecebrarum, ac turpitudinis, vt nisi cum socijs Vlyssis Syrenum scopulos cantusq; surdis auribus pręternauiges, voluptarium naufragium facias; ipse tamen eam adamauit, & coluit non eo erudito lenocinio delinitus, quo blandissimè auribus, animisq; adulatur, sed eā ob causam, quod in Stagiritę libris disseminata mesē virtutis & glorię vberrimā operarijs repromitteret. Vtinam exacto sexennio fata nobis tantam suppellectilem non abstulissent. Decessit Placentię vbi profitebatur quinquagenario minor. Extant apud nos *Commentaria in Librum de Causis egregia manuscripta.* *Lib.* 1.

ZE-

# ZENO LACISIVS VERONENSIS.





NTER eos, qui feliciſſimo quodam euentu Sanctæ religionis ſalutarem vocationem tenuere ſuaſionibus, ac opificio nunquam ſatis laudati Matthæi Boſſi, vltimæ prorſus contingunt hæ ſedes Zenoni Laciſio Veronenſi. Vltimæ quidem non modo diſpoſitionis, quam hic ſequimur, ordine, atque ipſa nominum ex alphabeto ſerie; ſed &, quod mage refert, quod poſtremo omnium loco lucratus ſit Deo, atque inter filios ſpiritus cooptatus à venerando illo ſemperq; frugi ſene. Sed quæ poſtrema ſunt, hęc quidem rationem optimi ſortiuntur, ſiue quod iſta finis cuiuſq; natura ſit, ipſo etiam teſte Stagirita Magiſtro, ſiue quod duplicis omninò ſpiritus aſſecutam hæreditatem Zeno repreſentarit ab præceptore Elia nouus quippiam Eliſeus palio eodem obtento. Certe per omnes illi annos elabentis ſenij obſecutus indiuiduus comes, aſſecla, filius; dum de carnis ergaſtulo transferri contigit, adfuit etiam præcipuus inter profetarum filios, clamareq; potuit Pater mi, Pater mi, currus Iſrael, & auriga eius: atq; ideo opportunè nobis pluſquam vno reſpectu vltimus venit ad coronandum opus. Hic cum adhuc adoleſcens paterna in domo miles Deo ſub Canoniali ſago decretus eſſet, ea præbere cæpit veræ virtutis crepundia, quæ ſanctitatem redolerent, quęue Sancti Spiritus placitam repreſentarent ſedem. Vt verò bonitati ſcientia adderetur, fieretq; vtraq; dote feracior in bona, feracior in malā, eodem Boſſo iniungente traditus eſt in diſciplinam Petro Marello eorum temporum ex politioribus literis profeſſis viro clariſſimo. Sub exactiſſimo directore omne ſpacium eludit, omnem expectationem præteruolauit, dum neutiquam humanam præ ſeferret ingenij capacitatem, ſed angelicum quodpiam talentum, quo longè poſita in antę obiectis addiſceret, compoſq; rerum illarum fieret, quas pręceptor ſibi aſſeueraret ignotas, inauditas, & alioqui imperceptibiles, ſi ab alio producerentur explicatore. Orationis famula innocentia multo plura ſuggerebat, imprimebatq; candidiſſimo intellectui, quam iuge ſtudium, atq; magiſtri ſolertia proponeret, idq; tum magè innoteſcebat, cum ab flexo poplite aſſurgeret facundus rerum ſacrarum explicator, deuotuſque impræſſor condiſcipulorum animis. Inauguratus eſt

Canonicos ab illo ipſo Matthęi ſacrificantis ore, à quo primam ingrediendę Congregationis motionem habuerat vno anno vicennario maior ad aram maximam Diui Leonardi. Depoſuit in ipſo ſtatim ingreſsu omnem ornandi vltra intellectus ſollicitudinem, ne ſe inflari contingeret ventoſo nomine Scientiæ: atq; ideo ſe totum dedens humilitati colendæ, quam magiſtram totius ſciret probitatis, abiectiſſimis quibuſq; exercitijs manum dedit, & humeros. Euerrendæ domus, componendarum officinarum, colendi horti, parandi triclinij curæ illius potiores erant ab ſubſelijs horarum Canonicarum, & à templi penetralibus profecti. Eccleſiæ ornamenta, altarium pia munditics, ſacrorum vaſorum cuſtodia ab eo pendebant, qui vnus & omnis erat in omnibus, & per omnia laicorum (quos Conuerſos dicunt) ad hæc eadem exercitia deputatorum doctor verbo pariter, & exemplo. Nec tanta nimium ſollicitæ Marthæ exercitia Mariæ partem meliorem præpediebant, qui peculiari dono pronus ita contemplationi eſſet, vt medijs ipſis in exercitijs operoſæ vitæ abſtraheretur ad diuina meditanda mente, nec tamen ab incæpto deſiſteret opere. In ægrotantium cura ſuſcipienda illuxit eius charitas præ cæteris quibuſcunq; patratis miniſterijs. Solatium, & leuamen redolebant verba, & opera ab alacri cultu, ab conſtanti ſemper animo promanantia. Illa quidem pſalebant hymnos, promebant ſalutares ſcripturas, referebant Dei Saluatoris paſſi myſteria, addebant paraphraſes ſenſatiſſimas; iſta verò præueniebant omne infirmorum deſiderium, ita vt aliquando Ioannes Philippus Boſsus diuturnitate morbi crudelis afflictiſſimus valetudinarium ipſum in Paradiſi cuiuſpiam ſimilitudinem ſibi immutatum dixerit, dum angelico Zenonis miniſterio poſt Deum internum illuſtratorem, poſt Virginis cæterorumq; Cælicolum interceſſiones honeſtaretur. Patientiſſimo illi viro humillimus adoleſcens extremam valetudinem agenti adſtitit tantus omnium pietatis officiorum exhibitor vſq; dum conſumato curſu ſpiritum reddiderit, à quo receperat, Creatori, vt in perpetuam raperentur admirationem aſſiſtentium ſeniorum corda, ac dulcem prædicarent ab vita commigrationem ſub tanto conſolatore. Quinquennis illud vitæ inſtitutum tenuit in ſolitudine montis Donici, ea ſcilicet quam darent clauſtra Canonica, à quo per obedientiam ex parte remotus eſt, vt ſtudiorum curricula ab laicalis vitæ diebus inchoata perficeret ſolidata iam ſpiritualis ædificij ſtrue. Hinc per paucos menſes Vitano Mantuæ Collegio permiſſus, per Comitia Placentina Venetis aſſignatur Siluano Mauroceno Generali decretum firmante vt ſub Matthæi Boſſi ſui diſciplina qui perfecerat mores, perficeret & ſtudia. Breuem eiuſdem Boſſi hac de re referamus epiſtolam Secundarũ Recuperationum Feſulanarum ducenteſimam vigeſimã ſecundam. Sacris in noſtris comitijs, quæ ſunt celebrata ſanctiſſimè, monaſterium Venetum mihi ceſſit in ſortem,

vbi

vbi tu mihi Zeno es aſcriptus in filium. Quæ res eo mihi iucundior eſt, quo ego te quidem initiaui Chriſto, & prima Religionis inſigniui meis manibus ſtola. Par etenim eſt, vt ſub eo milites duce, per quem militiam primam iniſti. Et mihi illud quoque ſolatium iure debetur, vt quod grauis mihi ſurripit ætas, in filio floreſcente fecundari palmitum more videam. Quam noſtrorum tibi librorum commiſi prouinciam ſtudiosè, & ſtrenuè cura, quia expectabo tuum aduentum repentè Venetias, vbi nihil tibi eſt defuturum ad vitæ ſanctitatem, & ſtudia. Vale filiorum perdilectè, atque chariſſimæ, Venetijs. Inſueto quidem exemplo factum eſt, vt extra publicas noſtras Academias permitteretur auditor ſub priuato profeſsore, ſed is erat diſcipulus, iſque præceptor, ac de vtriſque conſtans ea pijſsimorum exercitiorum opinio, vt omnis Canonia eis pro Gymnaſio cenſeretur, & virtus extra numerum ſcęnam extra methodum mererentur numeroſi theatri. Concionatorum adſcriptus teſserę, campum eundem Venetę nobilitatis, & populi biennis coluit quadrageſimalibus declamationibus, à quibus vltra ibi proſequendis reuocatus eſt per Matthęi ſanctiſſimi Patris deceſsum. Iuuit enim Congregationem, illum clauſtrali Prioratui adigere publica functurum munia, vt nempe adminiſtratio ocyus adita, & diutiùs exercita ſubſtitueret ex Veronēſiibus viro virum, & minori paterent familię regulares incommodo, dum ſuper piè ſignata, relictaq; veſtigia ſeniorum iuniores legitimè pedem affigerent neque ad dexſteram, neq; ad ſinixtram declinantes ſolidioris diſciplinę ſequaces. Benè tamen pręuiſis haud reſpondere ſequentia, vt proponentibus hominibus vnum tantummodo diſponere innoteſceret vniuerſa Deum. Sublato enim illo ſatis ante quadrageſimum ętatis annum, aueruncare Numina pręſentiſsimarum ſperum, fundatiſsimarumq; in limine fructus. Neutiquam tamen deceſsit ſterilis, qui plurima per calamum ſeuerat populo Dei interioris vitę beneficia. Paucis nanque ante deceſsum menſibus duplex Volumen omninò pretioſum ediderat, alterum quod inſcripſit, Diarium ſpirituale, alterum, quod Horarium Vitæ attitulauit. In eorum priore in duodecim partes ordinato duodecim anni menſibus reſpondentes triginta conſiderationibus per quamlibet partem diſpoſitis vniuerſum ita digeſſit annum, vt nullus omninò reponeretur dies, in quo peculiaria ſpiritus exercitia non aſſignarentur verè flammea, verè aculeata partim ex actibus vitæ Domini Saluatoris, partim ex præcipuorum Sanctorum hiſtorijs petita. In poſteriore verò diem ipſum naturalem ſpiritui ſic ordinauit, vt ſecato in tres partes opere iuxtà tres perſonarum ſtatus Sanctæ Matris Ecclſiæ, Virginum nempe, Cōtinentium, & Coniugatorum per viginti quatuor capita unicuiq; ſtatuit proprias aſſignari meditationes, & exercitia ex Diarij materiebus excerpta. Atque utinam tanta hæc optimi uiri religioſa molimina pluries tum typis

euul-

euulgata post liminio recuderentur. Hæc sunt, quæ in Horto Canonico dudum apud Hipponem Regium per Diuum parentem Aurelium Augustinum reformato præstare data sunt desuper calami nostri sarculo: paucula, sed summo labore cõquisita, nec minore animi delectatione prosecuta. Hasce autem Sacri Hortuli delicias innocentas nemo Catonum nobis exprotes, parum ritè fortassis nostro verbo excultas, minusque venustè disposibret. Siquidem iu Horto Voluptatis nos flores inter diuina iam pridem sapientia conditi floribus nascimur; primiq; parentis integritas felix totius magistra posteritatis eodem in Hortó laudabiliter rusticata est. Quid igitur iam superest, nisi diuturnę vt huius horti incolumitati supplici voto consulamus? Tu ergo pluribus oculate, quam Argus luminibus terrarum custos, atq; excubitor Cælum, si floribus cum syderibus conspicui nitoris affinitas est; dum languidis, ac veluti sopitis capitibus per noctem decursorum sæculorum fermè sepulti conniuent illi, tuti etiam vt sint, in clandestinos raptores tenebrarum, inconniuens tuis excuba stellis; nocturnis eos laruis absterre, minare fulgure, tonitru increpa, imbre, grandine, fulmine eos extermina. Tuq; floridæ pater familiæ Sanctissime Hipponensis Antistes, tuæ si te pulcherrimæ prolis summa tangunt pericula, pijssimum tantisper ingenium excute, iustus in fures vltor irrumpe: ne patiare horti septa latronum insidijs patere, ac purpureum florum pudorem prædam esse prædonum: cum cæterorum Sanctorum Canonicorum cætu conspirans furax aduersariorum inferi genus à floribus longè difflatum in spineta compelle. Par est enim aduncas ad furtum, & offensionem manus non floribus herere, sed spinis. Fortissimo item intercessionis rugitu de cælis (vt speramus) insona pijssime, fortissimeq; Leo de Carate, precibusq; ardentissimis posteritati tuæ in semitas à te bonas reuectę pietatem, religionem, sanctimoniamq; exora, mihiue cum æterni Numinis misericordia veræ pœnitentiæ spaciũ, & executionem. Habemus tandem ex Zenonis calamo

*Diarium Spirituale exercitiorum spiritualium per sigulos anni dies distributum Italicè Brixiæ apud Bernardinum de Misintis Anno* 1504. *Lib.* vj.

*Horarium vitæ spiritualium Italicè Brixiæ apud eundem* 1504. *Lib. iij.*

Ausonij Galli translatum.

*ELoquij merito primis æquande fuisti*
*O' Zeno hic positus posteriore loco.*
*Nomine qui quoniam dictus, functusq; remoto,*
*Dilatus nobis, & non ommissus eras.*
*Quocunq; in numero, tristi memorabere threno,*
*Vnus honos tumuli serus, & ante datus.*
*Tam generis tibi celsus apex, quam gloria fundi,*
*Gloria Athenei cognita sede loci.*

ZA-

# ZACHARIAS LILIVS VICENTINVS.





TE quoq; communis amor, & cura gratissima hortensium nostrorum florum, candidissimè Lili, anteacti temporis detersa rubigine præsentem hanc ætatem florei nitore cognominis coloraturum appello. Decuit profectò in horto Episcopi dudum reformatam Canonicam propaginem per colonas, pontificiasq; manus Magni Aurelij Augustini prope Hipponem Regium, suo quoq; Lilio splendescere: ne tot decursis sæculis regio flore carerent amena, salutariaq; Saluatoris vireta. Age igitur in hoc florum regno exornandis debita floribus audacior efflorescat oratio. Res mira! Insusurratum præconissæ huius vocis, tubicinisq; mei desiderij præsens hoc murmur obauditur. Adest lactea Lilij præsentia, atq; hospitas lucis oras grati prouocatoris salutaturus, osculo suauiter hiulco adoratam animam inhalat. O' halitum ægrę menti vitalem. O' curarum æstus blandè diflantem auram ingenuę voluptatis. Quem non demulceat in Lilij folio par argentei pretio coloris odoris pretiosa suauitas, siue hic simplici foliorum bractea auare, siue pleni rutila floris pompa liberaliter candidescat. Non suauissimo illud afflatu verè insinuat, eum sępe virtutis candorem existere, qui clarissimas ornet Ciuitates? Audisti blandam vocis illecebram iampridem magnæ æternitatis abstrusę visceribus lactee Lili. Ecce iam interpellationi, votoq; responsurus vasti illius sinus grauem præmaturo egressu moram rumpis. Iam virides inter foliorum fasciolas insolitam ad lucem cydaratum caput sustollis. Iam vitam, quam nos ærumnosam nobis natalitijs lachrymis præsagimus, lætissimam tu diducto decenter ore à risu inchoas, & hiante semper labello renidens dum reuiuiscis, rides. O' te beatum, cuius vita risus est. O' risum efficacem, quo totus noster hortus exhilaratur. Vltima (quis credat?) floris tanti risu horti senectus iuuenescit: vltima vernat hyems. O' quam appositè nunc aureo, nunc argenteo, nunc vtroq; pallore splendescis? Tantus enim decor pulchrè debuit, pretioseq; pallescere. Præclaram Lilij adolescentiam quis non aureo rutilantem lumine dicat, siue flauum capillitium quis meditetur, candidamq; & rubicundam vultus hilaritatem, siue (quod magis refert) egregios, nobilissimosq; mores? Venerandam verò senectutem

quis

quis non argenteam palliditatem vocaret cum sub dealbante canitie viuidam adhuc vigere virtutem intueatur? At palor hic absque smaragdinis virescentibus non benè campescit. En Leonis Medicei medica quidem manus, sed & cultrix, atq; colona virides apponit, circundatq; vittas, ne concedat hortorum amęnitati nobilitas ipsa coloni. Fuit quidem illud tempus cum vix è primarijs viris vnus Persarum Rex, isq; prudentissimus, Cyrus, regias inter curas hortuli cultum reponens florentissimo inter flores manu sua satos imperio Lacedemonium apud legatum gloriatus est. At qui ætas illa Leonis florea pro multis ex omni nobilitatis flore felicissimis Cyris vnum dedit, viditq; Leonem ipsum; qui præstantium florum odorata regna veteribus floridiora moderans, veteris illam Cyri laudem laudabilius vsurpare potuit, Hi manu nostra sunt sati. Quid dixerim laudabilius? Tanto in summum maiore cum laude, quanto flores illi caduci, materialesq; terræ filij erant; ij vero flores, homines, & hominum præcipui, sacræ purpuræ, sacrarumq; infularum ornamenta. O' manus vrbium felicitati pares, quarum felici contactu non modo tersa, sed ipsa etiam felicitas Romana floruit. Hic enimuerò mirari non habeo, quare Orbis terrarum Imperatrix cæteris magis vrbibus florum cultu florere sciuerit Roma: cum subacto, cultoq; Imperatorijs manibus solo, floridum sibi sternere ad gloriam iter, vel à Cincinnatorum vsque Dictatorum antiquitate Romanum sit. At prærespondent fæcundè centuplam fructuum abundantiam flores isti in Christiano solo culti ab Summo Hierarca, vbertateq; antiquos illos excedunt, vtpotè qui florent æternitati mansuri, cum languescerent veteres vna die. Et quidem de Lilio hoc quid mirum inter sacrosanctas illas optimi Leonis manus e smaragdino dehiscentis calicis conclaui multiplici foliorum syrmate regaliter explicato in publicam lucem prodijsse, lucis ipsius formosa discrimina sic æmulando; vt manè quidem candidus, meridie flammeus, vespere purpureus, hoc est simul alius, simul idem appariturus fuisset, nisi fata Principi colono vitam præripuissent tempore non suo? Quid mirum, inquam, cum quappiam miraculi nouitate fateri homines cogerentur ad florum Regem, qui tanquam Sol alter variæ fuco lucis diem coleret, colorum principes vicissim accedere tributarios? O' quam candidus manè apparuit Lilius noster, manè ætatis, manè iuuentutis. Candorem putes morum, candorem recenseas innocentiæ, quo vtroq; dignus habitus est, vt & tertio superuestiretur albedine niuei habitus, Apostolorum surculus extimè circumlaturus oculis carnalibus, quæ intimè circumferrebat obtutui incorporeo mentis. Atque sub mane isto non defuere cultrices manus, vt odore pariter liliesceret, ac nomine. Te quippe Matthæe Bosse, nostrorum hortorum cultor eximie, plantationum nouellarum irrigator fęcundissime, te candoris promotorem

forti-

ſortitus eſt. Decuit profectò tantum ſortiri ab initio colonum, cuius manu ab campis ſæcularibus ad clauſos Religionis hortos transferretur, qui tantus euaſurus flos eſſet irriguo ſanctitatis, doctrinæq; labore. Decuit byſſum accipere ab hortulario illo, qui purpuram tradidiſſet communicabilem Ioanni Mediceo futuro omnium hortorum, omniumq; florum ſupremo, & vnico curatori. Nec alius quippiam ita commodè tranſplantare quiuiſſet ornamentum hoc laicalium camporum longa die altè radicatum humo, fimo impinguatum diuitiarũ, ſpiritu popularis auræ euentilatũ, cui coaleſceret per quam ſplendidè trigenario maius doctorea laurea redimitum. Perorauit Matthæus in euellendo illo ad clepſydram lachrymarum opere magis quam ore, propoſito vitæ innocentis exemplo, ad cuius archetypum quietem ſibi Lilius ſpoponderet, quam quærebat, & in lata nimis planitie ſæculi ſe haud inueniſſe quærebatur, frequenti nimis pede, vel manu pulſatus otioſi inſpectoris, curioſorum peruagantium, occultiq; ac calidi inſidiatoris. Quare ad ſepta Canonica aggregatus flos in modum argenteæ pateræ cæleſti rori ſinum aperuit inpluuio, vt inde propinaret madefactus apibus populorum pro fauo immarceſcibilis gloriæ cudendo: & qui iam adoleuerat vmbonis gloriæ fundere odorem fragrantisſimum aggreſſus eſt prædicationis miniſterio. Ecce iam meridiem flos noſter attingit, iam flammeus euadit, iam induit vt ardeat magè, vt magè ſplendeat illuceſcentem flammam. Euomebant ora ignem Lyparitano more, eructabant ardores Æthneo modo, Veſeuo ritu; at è Cælo, non ex tartaris mutuato æſtu, comparato lumine, abacta caligine, ſegregato fumo. Promicabant lumina, fulgurabat aſpectus, pertonabant verba; ſed tanta hæc ſaluti inſeruiebant, non exitio. Quæ viſcera feruent ardore Empyreo vitalem inſpirant calorem, ſuauisſimum eflant incendium adhuc cum tonitru. Benè ſociat candorem illum flamma iſta, bene vtriuſq; coloris Lilium repræſentat Zacharias. Roma ipſa, quæ amoris faces ſuo nomine præfert, teſtis ſanctorum ignium, caſtigatisſimorumue focorum eſt, quæ tantoties in templis ſuis inſignioribus exardeſcentes auditorum coronas inſpexit. Quid illa Leonis ad Apoſtolatus apicem prouecti phylantropia, atq; familiaritas inſinuant, præter flammeum hunc ipſum colorem? Prælatum ſuum domeſticum in literis piſcatorijs virum appellat: nec tanta hæc conſuetudo intercedere potuiſſet vnquam cum exardeſcente illa prima ſede, niſi ſymbola qualitate præuia. Ideo dixerim iurè illum promotum in Epiſcopum Sebaſtenſem tanquam Armenis caloribus aptum; cum tamen id factum fuerit eo intuitu, vt poſito paſtorali throno in partibus infidelium eueheretur inter conſacerdotes dignitate, plenioribus honeſtaretur prouentibus, nec tamen abigeretur contubernio. Flamma verò hæc concuſſit ita nonnullorum ſubdubias mentes, in ipſo præſertim collati muneris exordio, vt

extima omninò Lilij indumenta reuocarint ad censuram. Videbatur enim in ancipiti apud Pyrrhonios illos esse, si Conepiscoporum cęterorum cleri sæcularis more secundum omne dignitatis paludamentum in omni gloria sua incedere posset; an ad instar assumptorum ex quopiam dogmate claustralium aliquo distinctiuo, & Ordinis ostensiuo dignosci deberet. Stabat pro Aristippis huiusmodi antesignanus Paris Grassus Pontificiarum cæremoniarum Præfectus, qui & propensior videbatur ad partem denegantem Clericalem gratiam. Res ad tribunal vocata, secundum apicem iuris librata, discussaq; Zacharia Ferrerio Iurisconsultissimo, Theologoq; præcipuo patrocinante cum primis conclusum est, Canonicos Regulares tanquam essentialiter Clericos, distinctos à Monacis, & alijs Regularibus, vti posse almutijs, pellibus, cappis, habitu, forma, & colore clericis sæcularibus non prohibitis, data tamen differentia signi in toga linea, quæ est eorum essentialis habitus, qua ab sæcularibus Clericis distinguantur; Insuper Prælatos ex Canonicis Regularibus vti posse Rochetto more Romanæ Curiæ, Almutijs de panno super vtrunq; humerum, & cappa violacea cum pellibus albis, & pileo viridi, si sunt Episcopi, vel rubro si Cardinales more aliorum Prælatorum sæcularium. Quare decretum actum est pro Lilij dignitate infra à nobis in sua forma reddendum. Hinc ominari licebat amicis voluntatibus tantam Pontificis beneuolentiam ex prædominante genio liberaliter genitam eo demum deuenturam, vt purpureum redderet amicum florem in vespere. Verum tantas induere vestes non desuper pro Lilio scriptum erat: quin e viuis sublato Principe pro coccineis vittis atras superinducere togas; demum fato suo fungi ætate fermè septuagenaria Adriano Petri solium tenente. Quanti facienda sint, quæ scripsit De Gloria, Gaudijsq; Beatorum, ab ipso Matthæi Bossi calamo petendum est, qui iudicium ad viuum ita profert. Oblatos tuos De Perenni Sanctorum Gloria mihi libellos aggressus legere, ab eorum degustatione, & suauitate antea, Lili, me abstinere non potui, quam omissis rebus cæteris ad calcem vsque omninò processerim. In quibus tu quidem inferiorum oblitus quicquid tenet locus Empyreus, & in se habet mirandum, & abditum natura superior, illustras, & resseras non minus disertè, quam copiosè. Nec contentus nostratibus literis, Sacrisq; Sermonibus, Philosophiam omnem, Poeticamq; dulcedinem in eorum omnium, quæ attigisti, pulcherrimè citas; vt non minus quidem delectet, quam pascat animum hæc cælestium perscrutatio diligentissima tua. Qui & in hoc me etiam ornasti, Lili, dum professus es te plerasq; nostris e Salutaribus Animi Gaudijs sumpsisse, emulatumq; fuisse, quæ copiosius dilatares. Qui ludus extitit bonitatis amplissimæ tuæ, vt mea de inopia, quæ te præcessit, magnas tuas non sis dedignatus nobilitare diuitias, & me tuis in laudibus socium computare. Quam

rem

rem ſeruaſti conſtantiſsimè ſemper. Nulla enim rerum tuarum extat, quæ aut mihi non ſit inſcripta, atque dicata, aut verò in qua non legar magna cũ laude. Sed nunc mirari vehementer incipio, vt in te ita iam ſanè vireſcat, & tam erectus promineat animus, & à terreſtri hoc, & moribundo, quo continetur vaſculo ſuper aſtra feratur à corporeis impedimentis, & vinclis tanquam exemptus, & liber. De vero Dei cultu ſuſcipiendo, de inſpectu illius Maieſtatis æternæ, in quo beatitudo plena, vltimaq; conſiſtit, de vtriſquè animi, & corporis dotibus, atque aureolis, de animorum perpetuitate, de reuicturis à morte, & iudicandis omnibus, & purgando Orbe ignibus toto, de ſingulis cæleſtibus orbibus, aſtris, & ſignis, deq; Angelis, Hominibuſque beandis; quis complendus eſt omnis ornatus, diſpoſitioquè cæleſtis. Tot, tantaquè ſuſcepiſti, ac digeſsiſti, etſi humanis ſunt maiora conatibus, vt vixiſſe magis cum ſuperis ipſis, quam inter mortales verſatus vnquam mihi planè videare. Et quidem ſi noſtrum quiſpiam, tu in primis dignus es choro, ſocietateque fælicium, cui tantopere ſuſpiras, & animum totum, mentemque intendiſti. A me ante notari vlla vix potuere, quæ vel diſſonum à veritate, vel obſcurum, atque ambiguum à præceptione ſenſum habeant. Attamen ſi te Parthenope, me verò mea Verona inuicem non ita diſiungerent, confricanda quæpiam tecum putarem de quibus, qui, vt Comicus inquit, in ſcirpo etiam nodum quærunt, poſſent cauillari. Sed omnibus nemo ſatisfaciet vnquam, etiam in ſe ſi habeat ſanctum, & veracem Spiritum Dei. Neque enim ita vnquam caſta, intemerataque ſunt omnia, quæ opinione magis, & humano ingenio, quam fide coliguntur, quin diſsentire non poſſit alter ab altero, nonq; ſit in Apochriphis veri aliquid, & cum probatioribus aliquid falſi; ita eſt caliginoſa, & obſtruſa veritas homini. Quod fieri neceſse vtique fuit, vt Lactantius acutiſſimè diſserit, vt notio ſapientiaque diuina cognitionem ſuperaret humanam. De cætero ad me ſcribe quandoque, & altas offer pro me preces ad Chriſtum. Vale, & vt facis, inter cæleſtia viue, & qualis futurus es eſse non deſine, felix & ſanctus. Placentiæ noſtro ex Generali Capitulo. Alia verò epiſtola ſic exarata eſt.

Cogito de te plerumque mi Zacharia, quippe qui tam es mihi carus, ac perdilectus, atque eſse curaſti, cum te totum meas in manus meumque in arbitrium Deo ſacrandus, ac ſeruiturus conceſſiſti. Atque illud vehementer cupio, vehementerquè à pio, & maximo Ieſu peto, & oro, vt incrementum, exitumque fælicem tuis cæptis iſtis optimis atque ſanctiſsimis benignus ipſe ſuppeditet; teque ita incendat in dies, vt prior ille Diuini Amoris igniculus ſublimen concreſcat in flammam, qua incenſus non ceſſes vnquam, quantum porrò tibi licet, relictis humanis cæleſtia quærere ijs artibus, ijs ſtimulis, ijſque ſudoribus, ſine quibus haud itur ad aſtra. Hic generoſum animum tuum totum, hic fidem omnem, hic ſpem indubiam, pa-

cto Ioanne in Monte Nonis Aprilis 1493. Diploma verò Pontificium in causa Habitus Prælatorum ex Congregatione Saluatoris Lateranensis electorum tale est. Venerabili fratri Zachariæ Episcopo Sebastensi Prelato nostro domestico. Leo Papa Decimus. Venerabilis frater salutem, & Apostolicam benedictionem. Dudum cum ad Ecclesiam Sebastensem à nobis de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio promotus esses in Pastorem, dubitatum fuit à nonnullis, An tu qui Ordinem Canonicorum Regularium Sancti Augustini expresè professus eras, in habitu, & coloribus Prælatis sæcularibus de iure, vel consuetudine permisis incedere posses, prout incedebas. Et cum quæstio huiusmodi ad nos perlata fuisset; Nos causam ipsam maturè terminare desiderantes, Venerabili fratri nostro Nicolao Episcopo Albanensi tunc Tituli Sanctę Priscæ Præsbytero Cardinali de Flisco nuncupato, viuę vocis oraculo commisimus, vt super his se diligenter informaret, & demum nobis refferret. Cum autem prefatus Nicolaus Episcopus nobis retulerit, de antiqua consuetudine in pluribus locis etiam in Romana curia, vbi Pontifex resisdet, receptum fuisse, vt Canonici Regulares huiusmodi in Episcopos promoti, tam in Capella nostra, quam extra, vtantur habitibus, & coloribus, quibus vtunur alij Clerici Seculares in Episcopos promoti; Nos propterea iuxta relationem nobis factam, vt præfertur, fraternitati tuæ viuę vocis oraculo concessimus, vt habitus, & colores, quos dicti Clerici Seculares in Episcopos promoti tam in Capella nostra, quam extra gestant, gestare posses, & ita etiam tenore presentium Auctoritate Apostolica de nouo concedimus. In contrarium non obstantibus quibuscunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima Septembris millesimo quingentesimo decimo nono Pontificatus nostri anno septimo.

Edidit igitur

*De Gloria, & Gaudijs Beatorum.*

*Orbis Breuiarium, in quo ordine alphabetico ea omnia breuiter, & dilucidè digessit, quæ primum scripsere Pomponius Mela, Strabo Gnosius, Claudius Ptolomeus, Plinius Secundus, & alij. Dicauit opus Matthæo Bosso. Florentiæ apud Antonium Miscornium Anno* 1493. *Nonis Iunij* *Lib.*

Ita scribebam ad Dei Omnipotentis laudem, & gloriam ego Celsus Rosinus Cæsenas Regularium Canonicorum Congregationis Saluatoris Lateranensis minimus in Canonica Sanctæ Crucis propè Cæsenam Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quadragesimo octauo. Omnia autem hæc, cæteraq; mea præsentia, præterita, futura, scripta, dicta, facta, meq; prorsus ipsum omnimodæ censuræ, & correctioni subijcio Sacrosanctę Matris Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ voluntarius, lubens, & precator.

Ad

Ad Concanonicos Patres
Elogijs hisce vtcunque cultos
Ausonij Galli translatum.

*VAlete manes inclytorum Procerum,*
*Valete Doctores probi,*
*Historia si quos vel Poeticus Stilus,*
*Templumq; fecit nobiles:*
*Sacratæ vel Artis, Dogma vel Platonicum*
*Dedit perenni Gloriæ:*
*Et si qua cunctis cura viuentum placet,*
*Iuuatq; honor superstitum;*
*Accipite fractum calami cultum mei,*
*Textum loquela debili.*
*Sedem sepulchris seruet immotus cinis,*
*Memoria viuat nominum;*
*Dum remeat illud, iudicis dono Dei*
*Commune cum Dis sæculum.*

Eiusdem

*QVos legis à prima deductos monade libri,*
*Doctores Ordinis scito fuisse mei.*
*Dialectici in studio, vel Rethoris, aut in vtroque.*
*Quos memorasse mihi, morte obita, satis est.*
*Viuentum & licita est laudatio, nomina tantum*
*Voce ciere, suis sufficiet tumulis.*
*Ergo qui nostræ legis otia paucula chartæ,*
*Eloquium tu ne quære, sed officium,*
*Quo claris, doctisq; viris pia cura parentat,*
*Dum decora egregij commeminit Ordinis.*

Ad

Ad Reuerendiss. Abbatem Celsum Rosinum
Restauratores Religionis Regularium
Canonicorum collaudantem.

Ioannis Francisci Miniarij.

*MVnere fulgentes Patres tu, Celse, notasti,*
*Officio at Celso clarior ipse micas.*
*Nos ludis reuocasse pias moderamine leges:*
*Legum tu vindex; tu regimenq; Patrum.*
*Pingis Olympiacæ hos iam Religionis amantes,*
*Tu decus Ecclesiæ Religionis Amor.*
*Sic Patribus quicquid fulget splendoris in Orbe,*
*Omne tibi fulget; Lampadis instar Aue.*
*Dignius hos poterat nullus celebrare sub astris,*
*Pangere te nullus: quis tibi præco? Deus.*

Eiusdem

*CElsus dum tollit proceres ad sydera voce*
*Laudibus, atq; ornat grandia facta Patrum;*
*Tullius audiuit, numeros miratus & artem,*
*Quam benè conueniunt præmia rebus, ait.*
*Pingere nec Celsus astris melioribus ortos,*
*Nec poterant isti dignius ore cani.*
*Nam meritos fundunt Patribus sua scripta decores,*
*Et vernant veluti prata decora rosis,*
*Heu legat Hybla rosas, Charites Venus, Indus odores*
*Lusus odor Lybiæ; Gratia, Caltha, Charis.*

Leonardi Sarctij Bargæi.

CVR segnis meritam Calliope comam
Rosini decoris, præsidij & mei,
Differs Pierijs cingere frondibus,
Dic tanto mihi tempore?
Forsan vile putas, quod fluat vndiq;
Phœbi Cecropijs pectore mellibus;
Quod suaues labijs nidificent apes,
Quod totus Venus, & Lepos;
Quod totis Arabum spiret odoribus;
Si crimen varijs sedula floribus
Ornes? Sed violis tempora talibus,
Quas nec vel Boreas ruens,
Non flammis violet Sirius aridis,
Sed totis vireant postulo sæculis,
Sed vernis vigeant vsq; vigoribus:
Sic Celsus meruit meus.

Scipionis Vulparij.

IMpia tende arcum mors, letiferasq; sagittas
Dirige; tu nobis quid rogo, obesse potes?
Elogia ecce rosæ Celsi, quæ tela retundunt,
Vt geminus thorax; sic Libitina iaces.
Quanta, age Celse, tuo debetur gratia Socio?
Vnde datum est mortis spernere virus edax:
Viue, valeq; diù felix cum Patribus almis;
Vicisti inuidiam numine Celse tuo.
Impia mors arcum ponas, tristesq; sagittas
Confringe, ac Celsum numinis instar habe.
Vos verò erepti lethargo viuite Manes,
Viuite felices, & sine morte diù.

FINIS.




# LYCEI LATERANENSIS, SEV ELOGIORVM LATERANENSIVM LIBER VIGESIMVS.



## FASTORVM GENERALITIORVM VNICVS.

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| 1401 | Bonifatij jx. 12 | Leo de Carate Mediolanensis. Rector Generalis. j. I. | Hic Auctor Benedictus Reformationis Frigdionariæ Canonicorum Regul. Diui Augustini fuit. Ex Regulari Canonia S. Petri in Cælo Aureo Papiæ roboratus suasionibus Venerabilis Bartholomęi Columnę Romani Sacerdotis, & Canonici Secularis trãsmisso Frigdionariam Thaddeo Binaschio Canonico Vicario grandem Prouinciam ingreditur Die Sancto Purificationis Beatæ Virginis.<br>Monasterium Sanctæ Mariæ de Frigdionaria antiquum Canonicorum Regularium primum nostræ Reformationis in quo inchoata est. | 1 | Frigdionarię. |

| Ann. Dñi. | Anni pont. | FASTORUM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1402 | 13 | Bartholomæus Columna Romanus Rector Generalis. II. | Hic pergrata prędicationibus Italia, & magnis fructib⁹ animarũ Deo collectis ex Insubria Frigdionariã cũ Benedicto Parcitadio Ariminen. & Iacobo Aduocato Bergomate socijs se transtulit die Maij 6. S. Io. ante portam Latinam. Habitum Canonicor. Reg. ibidem per manũ Leonis de Carate suscepit die 27 Maij Fest. s. Ioann. PP. & mar. Prior electus est capitulariter Die 6. Iunij Festo S. Philippi, qui fuit vnus de septem Diaconibus. Confirmatur Prior per Episc. Lucẽsem die 8. Iunij iuxta antiquam consuetudinem illorum Priorum. Tradit Habitum Canonicum proprio socio Benedicto Parcitadio Arimin ẽsi die 11. Iuni Apost. Barnabæ sacro. Remittit Iacobum pridem per Pontificem dispensatum à bigamia ad suum Generalem pro facultate translationis. Duodecim omninò fuere, qui Canonicã hanc Reformationem incępere Septem Canonici Regulares etiam antea, Tres Sacerdotes sæculares, & Duo Nobiles Laici. | | Frigdionariæ. |
| 1403 | 14 | Bartholomæus Columna Romanus. II. | Iacobus de Aduocatis Bergomas vocatus in sæculo Albericus I.V.D. ex conuerso Ordinis Prædicatorum ob tenta facultate sui Generalis Thomę Firmani habitum Canonicum suscipit de manu P. D. Bartholomæi Die S. Barnabę Frigdionarię, dispensatus ab Bigamiæ irregnlaritate a Bonifacio Pontifice vsq; ad Diaconatus inaugurationem. | | Frigdionariæ. |
| 1404 | 15 | Benedictus Parcitadius Ariminensis R.G. iij. I. | Bartholomęus relicto Vicario Thaddęo, die sequenti festiuitati Assumptę Virginis, socioq; assũpto Iacobo iter ingreditur Sanctę prędicationis opus renouans per omnem Italiam. | | Frigdionariæ. |
| 1405 | Innocẽtij vij. 1 | Ioannes de Olandis de Pergamo R. G. jv. I. | Monasterium Casoretanum S. Marię de Misericordia propè Mediolanũ Cõgregationi fundatur ꝑ Nobilem virũ Dominum Petrum de Tansis, quamuis possessio capta sit solum anno sequenti D. Petro de Rido primo Priore constituto 1406. Augusti 27. | 2 | Frigdionariæ. |

Gre-

FASTORVM GENERALIT.

| Anni Dñi. | Anni pont. |  | | Monaster. Num. | Locu Capit. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1406 | 2 | Ioannes de Olandis de Pergamo. II. | Gregorius xij. Pontifex Summus creatus die 30. Nouembris. Eximit Canonicos Frigdionarios ab omni solutione, & onere die 13. Decembris eodem anno 1406. Senis. | | Frigdionariæ. |
| 1407 | Greg. xij. 1 | Ioannes de Olandis de Pergamo. III. | Gregorius xij. Pontifex confert Prioratum Sancti Leonardi de Monte Donico Veronæ Benedicto Parcitadio Ariminensi Canonico Frigdionariæ eius familiari die 6. Iulij 1407. Romę. Monasterium Veronensem S. Leonardi Can. Reg. reformatur per nostros Benedicto Parcinadio Ariminensi p. Priore. | 3 | Frigdionarię. |
| 1408 | 2 | Michael de Salis Lucensis. I. R.G. V. | Gregorius xij. Pontifex Canonias Frigdionariam, & Veronensem simul vnit 25. Aprilis 1408. Lucę. Ibidem de mense Iunio creat quatuor Cardinales Io: Dominici Florentinum Ordinis Prædicat. Antonium Corarium, & Gabrielem Condulmerium Nepotes, atque Iacobum Vtinensem. | | |
| 1409 | 3 | Leo de Carate Mediolanensis. II. | Monasterium S. Mariæ Charitatis Venetiarum antiquum Canon. Reg. Congr. Portuensis reformatur per nostros curante Francisco Capello loci Priore. | 4 | Frigdionarię. |
| 1410 | 4 | Leo de Carate Mediolanensis. III. | Tentat Vincentius Iannottus Prior S. Frigdiani Lucę Reformationem eius Canoniæ per Canonicos Frigdionarios, sed non sortitur effectum. | | Frigdionarię. |
| 1411 | 5 | Leo de Carate Mediolanensis. IV. | | | Frigdionarię. |
| 1412 | 6 | Thaddæus Binaschius Papiēsis. R.G. VI. I. | Monasterium Tremitanum B.V. per nostros reformatur sub Leone de Carate primo Priore curante F. Ioanne Dominico Florētino Cardinali Episcopo Ragusino, & mandante Pontifice Gregorio sub Datum Gaietæ die 7. Septembris extincto ibi ordine Cisterciensium. | 5 | Frigd. |
| 1413 | 7 | Thaddæus Binaschius Papiēsis. II. | | | Frigd. |
| 1414 | 8 | Thaddæus Binaschius Papiēsis. III. | | | Frigd. |

| nni ont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locu Capli |
|---|---|---|---|---|
| 9 | Nicolaus de Curte Papiensis I. R.G. vij. | Gregorius xij. Pōtificatu abdicat Quarto Nonas Iulij in Cōcil. Constantien. per Procuratorē Carolū de Malatestis Arimini Domicellum, & per Ioannem Dominici Cardinalem Florentinum. | | Frigdionariæ. |
| 10 | Nicolaus de Curte Papiensis II. | | | |
| ar- ni v. 1 | Galdinus de Bardis Placentinus R. G. viij. I. | Monasterium S. Victoris prope Bononiam antiquum Canonicorum Regularium, & Monasterium S. Ioannis in Monte de Bononia antiquum Canon. Reg. per nostros reformatur curante Bartholomæo Pasulino Priore cum alijs Canonicis. | 6 7 | Frigdionariæ. |
| 2 | Galdinus de Bardis Placentinus II. | Monasterium S.S. Quadraginta Martyrum apud Taruisium per nostros reformatur Petro de Saluideis Patauino p. Priore. Erat verò illud antiquū Canonic. Regular. Congregationis Sancti Frigdiani Lucæ. Martinus Quintus Pontifex Canonicos Frigdionarios Veronenses, Bononiēses vnitos sub protectionem suscipit 1418. Kal. Aprilis. Monasteriū S. Saluatoris apud Brixiam antiquū Canon. Regul. per nostros reformatur D. Guglielmo de Placentia Præposito cum alijs quinque Canonicis 30. Decembris 1418. | 8 9 | Frigdionariæ. |
| 3 | Galdinus de Bardis Placentinus III. | Visitatores duo creantur, & adiunguntur Rectori Generali, Leo de Carate, & Petrus Rido. Decernit Generale Capitulum, quod nullo modo audiantur confessiones Sanctimonialium a quocunq; fratre. Item nec quęcunq; fęminarum nisi causa vltimæ necessitatis. | | Bononiæ S. Vict. |
| 4 | Galdinus de Bardis Placentinus IV. | Monasterium S. Marię in portu Rauennæ antiquum Can. Reg. & vnius Cōgreg. caput per nostros reformatur Galdino Bardio p. Priore cum alijs vndecim Canonicis curante Opizzone Polentano Rauennæ Domino, & Ciuibus Rauennatibus. | 10 | Bononiæ S. Vict. |

Decre-

| Anni Dñi. | Ann pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locu. Capit. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | Decretum est quod Priuilegium Capituli Generalis impetretur a Summo Pontifice per medium Domini Caroli de Malatestis.<br>Prædicationis muneri admittuntur primi in Ordine Columna, Rectorque Galdinus. | | |
| 1421 | 5 | Guglielmus Paschasius Placentinus R. G. jx. I. | Monast. S. Ioan de Cereto Castri S. Archangeli per nostros reformatum: licet postea dimissum.<br>Constitutiones nostræ Generales, & fundamentales publicatæ, Capitulares videlicet.<br>Decretum est octauo loco de non acceptãdo Monasterio Sancti Andreæ de litore maris Venetiarum, ne multiplicatio locorum pariat confusionem in Societate.<br>Item sub die 15. Aprilis quintodecimo loco ordinatum est, vt impetretur quanto citius potest priuilegium illud de Celebratione Capituli Generalis, & de vnitate totius nostræ Congregationis. Et hoc commissum est Priori maiori, & socijs eius.<br>Martinus Quintus Pontifex omnia Reformationis Frigdionariæ Monasteria in vnum Corpus, Congregationemq; coagmentat, datq; facultatem condendarum, & abolendarum legum amplissimo Diplomate 2. Kal. Iulij Anno 1421. | 11 | Rauennæ. |
| 1422 | 6 | Petrus de Rido Patauinus. I. R. G. x. | Decretum vt Canonici Almutias in omnibus Ecclesijs portare deberent ad celeb. diuinorum. | | Bononiæ. |
| 1423 | 7 | Petrus de Rido Patauinus. II. | | | Rauēnæ. |
| 1424 | 8 | Petrus de Rido Patauinus. III. | Monaster. Sanct. Bartholomæi Mantuę membrum Cong. & Monast. Portuen. antiquum oppignoratum per nostros recuperatum, & reformatum diligentia Galdini Bardi curante Opizzone Polentano Rauennæ Domino.<br>Monasterium S. Iacobi Cellæ Volanæ Diœcesis Comaclensis antiquum Canon. Regul. & vnius Congregationis Caput per nostros reformatum est, deportato titulo, & iuribus in Monasterio S. Lazari propè Ferra- | 12 | Rauēnæ. |

riam

| Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capit. |
|---|---|---|---|---|
| | | riam curante Blasio Nouello Ferrarien. Priore loci auxilio Nicolai Estẽsis Marchionis. Decretum est, quod Domino Episcopo Castellano fiat prudenter responsio, quod Societas multis de causis non videt se idoneam ad acceptandum Monasterium Sancti Saluatoris de Venetijs. | | |
| 9 | Paulus Matteus Veronensis. I. R.G. xj. | Vnio Charitatiua cum quibusdam Monasterijs Canon. Regul. Alemanniæ. | | Bononiæ. |
| 10 | Petrus Saluadeus Patauinus. I. R.G. II. | In Ecclesia S. Saluatoris Venetiarum nostri celebrant diuina officia per modum prouisionis ad instantiã Gabriellis Cardinalis Condulmerij. | | Bononiæ. |
| 11 | Bassianus de Porris, vel de Prioris Mediolanen. R.G.xv. I. | Decretum de dimittenda Ecclesia Sancti Saluatoris de Venetijs, in qua instante Gabriele Condulmerio Cardinali per aliquod tempus nostri diuina peregerant. | | Rauẽnæ. |
| 12 | Bassianus Porrius Mediolanen. II. | Literę ad Priorem S. Frigdiani Lucę; & ad Capitulum Sancti Augustini Nicosiæ Pisarum, qui petebant reformari, & ad nostros transire. | | Rauẽnæ. |
| 13 | Bassianus Porrius Mediolanen. III. | Moritur sub finem anni Reuereudissimus Rector Generalis. | | Frigd. |
| 14 | Petrus Saluadeus Patauinus II. | Moritur Bartholomæus Columna Motor Venrabilis Reformationis nostræ apud Mantuam in Monasterio Diui Benedicti Monachorum Cassinatum, inibique tumulatur pretioso cum odore Sanctitatis. Monast. S. Lazari de Tertio apud Ariminen. antiquum Canonicorum Regularium per nostros reformatur curãte Carolo Malatesta Arimini Principe ab anno 1414. In cuius anni Actis Capitularibus videatur, &c. Conceditur facultas, & licentia P. Domino Sancti Bononien. & D. Antonio Florentino disponendi de suis hęreditatibus in fauorem cõsanguineorum, & coniunctorũ intuitu pietatis. Eliguntur ad prædicandum verbum Dei Nicolaus de Bononia, Ioannes de Venetijs, & Simon de Mediolano. Fit Decretum de cura Biblotecarum, & librorum. | 14 | Rauẽnæ. |

Gal-

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capl. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1431 | Eugenius V. 1 | Galdinus Bardius Placentinus. V. | Summus Pontifex Eugenius Quartus assumitur die 3. Martij. In Capitulo Generali sic decernitur die 22. Aprilis; Committitur Rectori maiori D. Galdino, & Domino Leoni, vt vadant ad Summum Pontificem: & data est ipsis auctoritas plenaria, vt possint auctoritate Capituli Generalis de omnibus illis tractare cum Summo Pontifice, & definire, quæ secundũ ipsorum conscientiam, & secundum Deum melius videbuntur.<br>Summus Pontifex Eugenius Generali ordinat, vt quatuor ad se ex Canonicis mittat. De eorum numero Petrum Ridum, & Guglielmum Placentinum Pęnitẽtiarios Lateranenses disponit vsq; ad proximum Generale Capitulum<br>Monasterium S. Benedicti Placentiæ olim Monacorum, cõmendatum, nostris reformandum traditur: quod postmodum dirutum ædificatum est Monasterium S. Augustini, & de anno 1442. ditatũ fuit vnione Prioratus Sancti petri casæ Dei, quod erat antiquum Canonicorum Regularium.<br>Monasterium Sãcti Angeli de Concordia nobis oblatum non acceptatur.<br>Conceditur vt Moniales Sanctæ Vrsulę de Bononia, & Sancti Augustini de Ferraria, & Sancti Augustini (nunc S. Sebastiani) de Arimino audiri possint in Confessione solum pro isto anno, donec Capellanum habeant, quem habere studeant quam citius possunt, quo inuento nullo modo audiantur, & solum in hoc tempore semel in mense audiantur.<br>Sigillum Ordinis. | 15 | Rauẽnæ. |
| 1432 | 2 | Galdinus de Bardis Placentinus. VI. | Ecclesia Lateranen. per Sum. Pont. nostris adreformãdum oblata, in Actis Generalis Capituli sic legitur. Die 5. Maij; Item propter locũ S. Ioannis in Laterano nobis per Dom. Eugen. & D. N. Sacratiss. instanter oblatum, definitum est, vt post electione Rectoris maioris differatur electio illius ex nostris, qui ad pręsentiã suã vt principalis ire debebit: & si nullum fuerit remedium, ipsum acceptare auctoritate Capituli Generalis. | | Rauẽnæ. |

In eis-

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | In eisdem Actis infra eligitur Primus Procurator Generalis Romanus pro vniuersa Congregatione Petrus de Rido Patauinus, qui mittatur ad Sedem Apostolicam ad procurandum specialiter negotiũ S. Ioannis in Laterano, & alias Ordinis necessitates.<br>Tertius Visitator creatur, & prioribus duobus, ac Generali adiungitur.<br>Monasterium Sancti Clemementis Venetiarum antiquum Canonicorum Regularium Monasterio Charitatis vnitur per Pontificem.<br>Monasterium Sancti Clementis de Vrbe non acceptatur nisi fratres illi se conforment Moribus, & Constitututionibus nostris.<br>Monasterium Sanctæ Mariæ de Vado Ferrariæ antiquum Canon Regularium nostris oblatum a Marchione, & ciuibus non acceptatur.<br>Expulsio incorrigibilium pridem practicata confirmatur.<br>Licentia acceptandi Beneficium cum cura, vel sine cura Diuo Bartholomæo Bergomensi petita non datur. | | |
| 1633 | 3 | Thomas de Persichellis Cremonensis. R.G. xvj. I. | Monasterium Sancti Petri ad vincula Romę nostris oblatum non acceptatur pro secunda vice.<br>Galdinus de Bardis Generalis vir totius Ordinis benemeritus moritur ante Capitulum Generale die quartadecima Martij 1433. | | Rauẽnæ. |
| 1634 | 4 | Thomas de Persichellis Cremonensis. II. | Monasterium Sanctæ Agatæ Cremonæ antiquum Canonicorum Regulariũ per Ciues oblatum non acceptatur<br>Monasterium oblatum in Arbenga non acceptatur.<br>Monasterium oblatum Eugubij per Illustrem Dominum illius Ciuitatis nõ acceptatur.<br>Eugenius Ponti fex Roma aufugit die tertia Iulij. | | Rauẽnæ. |
| 1635 | 5 | Thomas de Persichellis Cremonensis. III. | Monasterium Sanctę Mariæ de la Cella de Ianua nostris oblatum non acceptatur.<br>Decernitur de officio nonnullorum Sãctorum nostrorum sub ritu duplici | | Ferrariæ. |

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1436. | 6 | Nicolaus de Zanolinis Bononienfis. R.G.xv. I. | Capituli Generalis decreto expelluntur de Cõgregatione octo ex nostris Canonicis, qui ex Monast. Charitatis priuato iure ad Diui Saluatoris de Venetijs possessionem ineundam adire ausi fuerant.<br>Commissum est, per Capitulum Domno Episcopo Bononien. vel Vicario eius, vt prouidere possint Domno Ioanni Bonon. supplicanti de Beneficio aliquo cum cura, vel sine cura secundum ipsorum conscientiam, quibus totum pondus relinquitur.<br>Monasterum Sancti Ioannis in Viridario Paduę commendatum ex Ordine Monastico Diui Benedicti per nostros reformatur curantibus Ciuibus Patauinis, & Angelo Corario Cardinali Commendatario. | 16 | Ferrariæ. |
| 1437. | 7 | Nicolaus de Zanolinis Bononienfis. II. | Canonicus Secularis Nicolaus Regnicola Ecclesię Lateranensis, & duo beneficiati Garofolus, & Caparciolus furantur vniones, & gemmas ex thecis capitum Apostolor. Petri, & Pauli, plectunturque morte die septima Septembris sequentis anni. Furtum estimatur triginta millia aureorum.<br>Prohibentur superpellicea, seu cottæ ne defferrantur in choro cum officium recitatur. | | |
| 1438. | 8 | Orosius de Oxio Mediolanensis. R.G. xvj. I. | Abbatia Sancti Zenonis Veronę oblata à Cardinali Bononiensi non acceptatur.<br>Leo de Carate Mediolan. Reformationis nostræ Auctor Venerabilis moritur Prior Sanctæ Crucis Cæsenæ. | | |
| 1439. | 9 | Nicolaus de Zanolinis Bononieusis. III. | Ecclesia Lateranensis per nostros ex obedientia Pontificia acceptatur ad reformandum lege Generalis Capituli in hanc formam decernentis. Die martis vigesima prima mensis Aprilis, Deliberatum est per Patres ac Fratres in Capitulo Generali cõsistentes, Quod Monasterium Sancti Ioannis in Laterano de Roma nobis oblatum per Summum Pontificem D. N. Eugenium Papam Quartum possit, & debeat acceptari: imo acceptetur per nos ex obedientia, quoniam constat nobis hanc esse eius volunratem, sicut nobis retulerunt | | |

| Ann Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. num. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | D. Benedictus de Placentia, & D. Baptista de Luca missi Florentiam ad præfatum Summum Pontificem cum rediissent ab eo ad Capitulum. | | |
| | | | D. Benedictus de Placētia die 21. Aprilis eligitur primus Prior Lateranen. & mittitur cum suo conuentu, vnde, & definitur, eadem die. | | |
| | | | Item quod Prior S. Ioannis in Laterano de Roma vna cum Capitulo, & fratribus suis possit procurare, & acceptare locum aliquem pro recreatione fratrum, & pro sospitate eorum, in quo tamen non teneatur, cōuentus, si Monasterium Sancti Io: prædictum nō habeat aliquod membrum ad hoc captum. | | |
| | | | Canonici in Lateranū missi ab aeris intemperiē ęgritudine omnes corripiūtur, & ideo ad alia Congreg Monasteria reuertuntur. Sed Pontifice instante intra paucos dies alij regrediuntur. | | |
| | | | Monasterium Sancti Bartholomæi Fesularum ex Ordine Monastico Diui Benedicti per nostros reformatur. | 18 | |
| | | | Monasterium S. Petri de Pado Cremonæ ex ordine Monastico D. Benedicti per nostros reformatur. | 19 | |
| 1440 | 10 | Nicolaus de Zanolinis Bononien. IV. | D. Benedictus de Placentia Prior Lateranensis non interest Capitulo, sed suo loco mittit D. Theodorum de Placentia. | | Ferrariæ. |
| | | | Eligitur secundo idem D. Benedictus de Placentia Prior Lateran. die 14 Aprilis. | | |
| | | | Nostri violenter Laterano pelluntur ab Canonicis Secularibus in festo Corporis Christi. | | |
| | | | Canonici Regulares extra Congregationem nostram professi non possunt recipi ad Ordinem nostrum absq; licentia Capituli Generalis ex lege Comitiorum. | | |
| 1441 | 11 | Nicolaus de Zanolinis Bononien. V. | Benedictus de Placentia Laterano pulsus in Capitulo Generali renunciat Prioratui die 24. Aprilis nec alius ab eodem Capitulo eligitur pro hoc anno. | | Ferrariæ. |

| Anni Dñi. | Ann. pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Mona Num. ster. | Locu Capi. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1442 | 12 | Aurelius de Electis Placentinus. R. G. xvij. I. | Die 24. Aprilis definitum est per Capitulum Generale quod fiat protestatio cõtra Canonicos S. Ioannis in Laterano de possessione, & prioratu dicti Monasterij, & de omnibus iuribus nobis a Papa Eugenio collatis pro eo monasterio: in quam possessionem protestamur nos perseuerare, etsi non corpore, saltem animo, & voluntate. Vnde & omni anno statutum est, vt eligatur Prior in nostro Monasterio per publicum instrumẽtum, & assignetur ibi Conuentus in numero fratrum vigintiquinque, quos Rector maior elegerit cum socijs suis. | | Ferrariæ. |
| | | | Eligitur primum Prior Lateranen. ipse Rector maior D. Aurelius die 24. Ap. | | |
| 1443 | 13 | Aurelius de Electis Placentinus. II. | Eligitur secundum Prior Lateran. ipse Rector maior D. Aurelius die 9. Maij. | | Ferrariæ. |
| | | | Ludouicus Patauinus Mediator Cardinalis S. Laurentij in Damaso iubente Pontifice Senis cõmorante Canonicos Sęculares Laterano amouet. | | |
| | | | Eugenius Pontifex Romam reuertitur die 21. Septembris. | | |
| | | | Monasterium S. Bartholomęi apud Vincentiam antiquum Canonic. Regul. Congregationis S. Marci Mantuę per nostros reformatur curante Ermolao Barbaro Episcopo Taruisino cõmendatario, & ciuibus. | 20 | |
| | | | Monasterium Sancti Bartholomæi Pistorij Monachorum Diui Benedicti per nostros reformatur tradente Pontifice motu proprio. | 21 | |
| 1444 | 14 | Aurelius de Electis Placentinus. III. | Reuersio in Lateranensem Basilicam decreta est in Capitulo Generali die 30. Aprilis, Deliberatum est, quod pro debito nostro obediatur voluntati, & exhortationi Sancti∣simi in Christo Patris, & Domini D. N. Eugenij Papę Quarti. Qui vult vt iterum reuertamur Romam ad Monasterium Sancti Ioannis in Laterano. In præsenti mittantur quatuor Sacerdotes, & duo Conuersi ad necessaria præparanda; dehinc tempore opportuno, videlicet circa mensem Septembris, vel Octobris mittantur reliqui, qui mittendi sunt. | | Ferrariæ. |

| Ann Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locu. Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | Nicolaus Bononiẽsis eligitur Prior Lateranen. & cum alijs duobus Canonicis præmittitur. Monasterium Sancti Ioannis Brixię nostris oblatum non acceptatur. Monast. S. Florentij Perusij pluries nobis propositum non acceptatur. Monasterium Sancti Laurentij in Cęsarea apud Rauen. antiquum Canonicorum Regularium S. Iacobi Cellæ Volanæ per nostros reformatur. | | |
| 1445 | 15 | Simon Aliprandus Mediolanensis R. G. xviij. I. | Patriarchium Lateranense reformandum nobis traditur, & in pacificam possessionem locamur per Summum Pontificem expedientem Bullas sub quarto Idus Ianuarij. Nicolao de Zanolinis Priore ad Episcopatum Bononiensem assumpto substituitur in Prioratu D. Thomas Cremonẽsis vsq; ad istud Capitulum Generale, in quo & illum renunciat. In Capitulo Generali Simon Aliprãdus Rector maior Prior Lateranen. 21. Aprilis. Monasterium Sanctæ Mariæ de Calena Diæcesis Sipontinæ Monachorũ pridem nostris vnitur per Pontif. Monasterium Sancti Columbani Bobij nostris oblatum non acceptatur. | 23 | Ferrariæ. |
| 1446 | 16 | Simon Aliprandus Mediolanensis. II. | Declarat Summus Pontifex Canonicos nostros Frigdionarios esse ex veris, antiquis, originarijs Canonicis ab Apostolis institutis, & ex antiquis Lateranensibus. Titulum assignat Vniuersæ Congregationi, nempe Canonicorum Regularium Saluatoris Lateranẽsis suppresso Titulo Congregationis Frigdionariæ per Bullas plumbatas a Collegio Cardinalium subscriptas sub decimooctauo Kal. Ianuarij. Prior Lateranensis Benedictus de Placentia creatur die 2. Maij Vtinenses exhibent Monasterium nostris, quod non acceptatur. Visitator Quartus creatur, & adijcitur tribus alijs, atque Rectori maiori. In Actis Generalis Capituli circa finem legitur, Peractis omnibus, vt supra, deliberatum est, quod pro anno futuro celebretur Capitulum nostrum generale Romæ in Monasterio no- | 24 | Ferrariæ. |

stro

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaſter. Num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | ſtro Saluatoris Lateranen. ad inſtantiam, & voluntatem S. D. N. Domini Eugenij Papæ Quarti id nobis ſuadentis per quoddam ſuum breue in generali Capitutulo viſum, & coram omnibus lectum, &c. | | |
| 1447 | Nicolai V. I | Simon Aliprandus Medialanenſis. III. | Canonici Sæculares mortuo Eugenio die 22. Februarij tentant ſtatim violenter noſtros expellere, ſed non eis bene cedit. | | Romæ Later. |
| | | | Prior Lateranen. Aurelus de Placentia die quinta Maij Tertium. | | |
| 1448 | 2 | Benedictus Placentinus. I. R.G. xjx. | Monaſterium Sancti Syluestri Montis compatrum Tuſculanç Diœceſis noſtris vnitur per Dominos Anibaldos de Molaria. | 25 | Ferrariç. |
| | | | Monaſterium S. Crucis Mortarienſis antiquum Canonicorum Regulariũ, & caput Cõgregationis Mortarien. ꝑ noſtros reformatur Raphaele Saluatore Priore curante. | 26 | |
| | | | Prior Lateran. Aurelius de Placentia die 17. Aprilis Quartum. | | |
| 1449 | 3 | Benedictus Placentinus II. | Prior Lateran. Aurelius de Placẽtia die octaua Maij Quintum. | | Rauẽnæ. |
| | | | Propoſita fuerat Reformatio veteris Canoniæ Sancti Petri in Cælo Aureo Papiæ. Sed Generale Capitulum ſtatuit in hanc formam. Item quod reuocata intelligatur poteſtas Rectoris Generalis, & ſociorum, quo ad Monaſt. S. Petri in Cælo Aureo Papiæ, ideſt quod illud Monaſterium non poſſit acceptari. | | |
| 1450 | 4 | Benedictus Placẽtinus. III. | Eccleſiam Lateranenſem ornant, & reparant noſtri medietate eleæmoſynarum illis adiudicata per Pontificem, quæ ingenti concurſu hoc anno Iobælei dictæ Eccleſiç factç fuerant. | | Ferrariæ. |
| | | | Prior Lateran. Aurelius de Placentia die 29. Aprilis Sextum. | | |
| 1451 | 5 | Aurelius de Electis Placentinus. IV. | Federicus Tertius Imperator à Pontifice Romæ die 22. Martij coronatur, & per noſtros Canonicus Later. creatur, qui in Refertorio comedit, &c. | 27 | Rauẽnæ. |
| | | | Prior Lateran. Benedictus de Placentia die 20. Maij. | | |
| | | | Monaſterium S. Epifanij Papiæ Præpoſitura Canon. Sæcularium noſtris reformandum traditur Dominico de Coſta Archipresbytero curante. | | |

Mona-

| Ann. Dñi | Anni Pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | Monasterium S. Mariæ de Martorano Diæcesis Parmæ antiquum Canon. Regularium per nostros reformatur. Nunc est vnitum Monasterio S. Sepulchri Parmæ. | 28 | |
| | | | Monasterium S. Theodori Ianuæ antiquum Canonicorum Regularium Congregationis Mortarien. per nostros reformatur. | 29 | |
| 1452 | 6 | Aurelius de Electis Placentinus. V. | Prior Lateranen. Antonius de Lignano Bononien. | | Ferrariæ. |
| 1453 | 7 | Aurelius de Electis Placentinus. VI. | Constitutiones Ordinis fundamentales de nouo publicantur.<br>In hoc Capitulo inter alia sic ordinatur, Si qua bulla in posterum emanaret ab Apostolica Sede de suscipienda cura monialium, nullo modo suscipiatur sed fiat appellatio ad Summum Pontificem.<br>Prior Lateranen. Antonius de Lignano Bononien.<br>Philippus de Camerino Procurator Ordinis. | | Bononiæ. |
| 1454 | 8 | Timothæus Maffeus Veronensis. R. G. I. | Monasterium S. Mariæ Pedis Criptæ Neapoli ex Canon. Sæcularibus nostris reformandum traditur curante Alphonso Aragonio Rege, cum per duos ante annos iam fuisset vnitum. | 30 | Ferrariæ. |
| | | | Monasterium S. Gratiani Vercellarum antiquum Canon. Regul. Congreg. Mortarien. iam vnitū per nostros reformatur. Quod Anno 1488. post ablatum fuit. | 31 | |
| 1455 | Calixti iij. 1 | Timothæus Maffeus Veronensis. II. | Laterano nostri pelluntur seditione nōnullorum ciuium, sede vacante circa finem Martij anni 1455 Vnū factam approbat iniuria temporum renunciatus Pont. | 32 | Placentiæ. |
| | | | Monasterium S. Mariæ Montis Bellij Diœcesis Bonon. Antiquum Canonicorum Regul. per nostros reformatur curantibus illis Canonicis. | | |
| 1456 | 2 | Timothæus Maffeus Veronensis. III. | | | Casoreti. |

Aure-

| Anni Doñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Mon. iter num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1457. | 3 | Aurelius de Electis Placentinus VII. | Monasterium S. Petri ad Aram Neapoli Antiquum Canon. Regularium ex commenda per nostros reformatur curante Alphonso Aragonio Rege, iam ante tribus annis fuisset vnitum. Visitatorum Congregationis numerus auctus ad decem. | 33 | Casoreti. |
| 1458 | Pij ij 1 | Aurelius de Electis Placentinus. VIII. | Visitatorũ numerus diminutus ad octo. | | Venetijs. |
| 1459 | 2 | Aurelius de Electis Placentinus IX. | Visitatorum numerus reportatus ad 4. Monast. S. Andreæ Vercellarum Antiquum Can. Reg. per nostros reformatur curante Ludouico Duce Sabaudiæ, & Pedemontis. Monasterium S. Viti Mantuæ antiquũ Can. Regul. Congregationis S. Marci Mantuæ per nostros reformatur curante Barbara Gonzaga Marchionissa. | 34 35 | Ferrariæ. |
| 1460 | 3 | Raphael de Rizolis Placentinus R. G. xxj. I. | Monasterium S. Sepulchri Parmæ Antiquum Canon. Regul. per nostros reformatur, cui & vnitum fuit aliud item Canon. S. Hermanni eiusdem Diœcesis Anno 1474. | 36 | Rauēnæ. |
| 1461. | 4 | Hieronymus Barisanus Taruisinus R. G. xxij. I. | | | Rauennæ. |
| 1462 | 5 | Aurelius de Electis Placentinus. X. | | | Rauēnæ. |
| 1463. | 6 | Celsus Maffeus Veronensis. I. R. G. xxiij. | Monast. S. Michaelis Discalceatorum apud Pisas nostris vnitur cedente Ioanne de Alcis Abbate intercedentibus mediceis. Monast. S. Catharinæ Firmi, & S. Marci de Riuocellis antiquum Canon. Regul. per nostros reformatur curantibus ciuibus Firmanis. | 37 38 | Rauenneæ. |

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1464 | Paulij. 1 | Raphael de Rizolis Placentinus. II. | Patriarchium Lateranen. nostris iterato restituitur Pontificio iussu, & Bulliplumbio. Die sexta Nouembris Sãcto Clementi Papę dicata habitis publicis supplicationibus in possessionem immittimur. Populus Romanus iurat nunquam permissurum Canonicos Regulares eijci, aut sæculares admitti. | | Rauẽnæ. |
| | | | Monast. S. Marini de Arimino Monialium S. Claræ nostris vnitur curante Pandulfo Malatesta. | 39 | |
| 1465. | 2 | Hieronymus de Barisanis Taruisinus. II. | Notarius Capituli Generalis ex nostris conceditur, cuius scripturis autenticis plena fides adhibenda est vbique. | | Rauẽnæ. |
| 1466. | 3 | Paulus Ferruphinus Alexandrinus. R. G. xxjv. I. | | | Ferrariæ. |
| 1467. | 4 | Celsus Maffeus Veronensis. II. | Monaster. S. Mariæ Gratiarum Regij Lepidi nostris vnitum, fuit ędificatum per Philippum de Zobolis Abbatem Commendatarium S. Prosperi. | 40 | Rauennæ. |
| 1468. | 5 | Gaspar Bononiensis I. R. G. xxv. | | | Ferrarię. |
| 1469. | 6 | Hieronymus Barisanus Taruisinus. III. | | | |
| 1470. | 7 | Paulus Ferruphinus Alexandrinus. II. | Monasterium S. Mariæ de Gloria Anaginæ Dięcesis antiquum Canonicorum Regularium Abbatiale nostris reformandum traditur. | 41 | Rauẽnæ. |
| | | | Monaster. S. Marię de Balnearia in Calabria antiquum Canon. Regul. nostris reformandum traditur. Vtrunque retentum per septem annos postea sponte dimissum. | 42 | |
| 1471. | Sixti jv. 1 | Celsus Maffeus Veronensis. III. | Ex Laterano nostri violenter pelluntur per Canonicos Sæculares Sede Vacante. Pontifex creatus pulsioni non aduersatur ab sedandos Romanorum aliquorum tumultus. Confirmatur Titulus Congreg. Later. & priuilegia Patriarchij nobis extenduntur per Pontificem; sed non possessio Patriarchij vi rapta, quamuis sæpius polliceretur restitutionem in integrum. | | Ferrariæ. |

Ra-

| Anni Di.ñ | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locu Capl. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1472. | 2 | Raphael de Rizolis Placen. III. | Monaster. S. Mariæ Gratiarum Nouariæ nostris fabricatur per Ciues, & ei vniuntur tria membra antiquorum Canon. Regul. Mortarien. ac etiam postea Cœnobium S. Marthæ eiusdem Ordinis. | 43 | Rauẽnæ. |
| | | | Monaster. S. Mariæ Nouæ Astæ antiquum Canon. Regul. Mortarien. nostris reformandum traditur per resignationem Bartholomæi de Ferrarijs Prioris. Ei item vnita alia duo membra eiusdem Ordinis. | 44 | |
| 1473. | 3 | Hieronymus Sirinus Taruisinus. IV. | | | Ferrariæ. |
| 1474. | 4 | Cambius Bossus Mediolanensis R.G. xxvj. I. | Monast. S. Mariæ de Castello Alexandriæ antiquum Can. Reg. Congreg. Mortarien. nostris reformandum traditur. | 45 | Ferrariæ. |
| 1475. | 5 | Paulus Feruphinus Alexandrinus. III. | Monast. S. Spiritus Bergomi ex Monachis Celestinis nostris reformandum traditur ciuibus instantibus. | 46 | Rauẽnæ. |
| 1476. | 6 | Celsus Masseus Veronen. IV. | | | Rauẽnæ. |
| 1477. | 7 | Hieronymus Sirinus Taruisinus. V. | | | Regij Lep. |
| 1478. | 8 | Archangelus Placentinus R. G. xxviij. I. | | | Rauẽnę. |
| 1479. | 9 | Raphael de Rizolis Placentinus. IV. | Monast. S. Antonij de Coneglano Can Regul. S. Marci Mantuę per nostros reformatur curante Gottardo de Gobellis Priore. | 47 | Ferrariæ. |
| 1480. | 10 | Celsus Masseus Veronen. V. | | | Rauẽnæ. |
| 1481. | 11 | Hieronymus Barisanus Taruisinus. VI. | Monast. S. Bartholomæi apud Laudem Pompeiam ex Ordine Cruciferorũ nostris reformandum traditur. Quo per bella ad solum æquato Ecclesiam Sancti Romani Parochialem habuimus 1545. | 48 | Ferrariæ. |
| 1482. | 12 | Seuerinus Calchus Mediolanensis R. G. xxviij. I. | Monast. S. Mariæ Montis Cretæ antiquum Canon. Regul per nostros reformatur curante Guilelmo Marchione Montisferacis. | 49 | Rauẽnæ. |

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. num. | Locus capit. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1483. | 13 | Archangelus de Nigris Vicentinus R.G. xxjx. I. | Monast. S. Mariæ Pacis de Vrbe pro prijs sumptibus Summi Pontif. fabricatum nostris iam Laterano pulsis conceditur quoad Ecclesiam. Nam Monast. edificauit Oliuerius Caratta Card. Protector. | 50 | Placētię. |
| 1484. | 14 | Raphael de Rizolis Placentinus. V. | Ecclesia S. Crucis Cæsenæ antiquum membrum Canon. Reg. Portuen. erigitur in formalem Canoniam, & Monasterium. | 51 | Placētię. |
| 1485. | Innocetij viij. 1 | Celsus Maffeus Veronen. VI. | Monast. S. Mariæ de Passione Mediolani fundatur nostris per Danielem de Biraghis Prothonotarium Apost. | 52 | Rauēnę. |
| 1486. | 2 | Hieronymus Sirinus Taruisinus. VII. | | | Rauēnæ. |
| 1487. | 3 | Seuerinus Calchus Mediolanensis. II. | | | Ferrariæ. |
| 1488. | 4 | Archangelus de Nigris Vicentinus. II. | | | Patauij. |
| 1389. | 5 | Celsus Maffeus Veronensis. VII. | | | Placētiæ. |
| 1490. | 6 | Hieronymus Sirinus Taruisinus. VIII. | | | Rauēnę. |
| 1491. | 7 | Seuerinus Calchus Mediolanensis. III. | | | Ferrariæ. |
| 1492. | 8 | Archangelus de Nigris Vicentinus. III. | | | Patauij. |
| 1493. | Alex. vj. 1 | Celsus Maffeus Veronen. VIII. | | | Placētię. |
| 1494. | 2 | Syluanus Maurocenus Venetus R. G. xxx. I. | Monast. S.Mariæ Lachrymarum Triuij per Oppidanos nostris erigitur. | 53 | Rauēnæ. |
| 1495. | 3 | Seuerinus Calchus Mediolanensis. IV. | | | Placētiæ. |
| 1496. | 4 | Philippus de Cagnolis Vercellensis R. G. xxxj. I. | | | Ferrariæ. |

| Anni Dñi. | Anni pont | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. num. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| 1497. | 5 | Augustinus de Nouis Ticinensis R. G. xxxij. I. | Pontifex Alexander restitutionem nostram in Lateranensem Basilicam pollicetur Augustino Generali præsentibus Cardinalibus Neapolitano Senensi, & Vrsino, quæ tamen pollicitatio non sortitur effectum. | | Bononiæ. |
| 1498. | 6 | Syluanus Maurocenus Venetus. II. | Monast. S. Georgij de Brinate antiquum Ordinis Canon. Regul. nostris reformandum traditur per Antonium de Scangis Prothon. Commendatariū. | 54 | Placētiæ. |
| 1499. | 7 | Gabriel de Nigris Vicentinus R. G. xxxiij. I. | Monast. S. Mariæ de Frisa propè Lancianū antiquum Abbatiæ Tremitanę membrum separatum est ab ea & de per se institutum. Postea de Anno 1504 intra Ciuitatem translatum ad Titulum S. Marię Nouę de miraculis. | 55 | Patauij. |
| 1500. | 8 | Hieronymus Bossus Mediolanensis R. G. xxxiiij. I. | | | Patauij. |
| 1501. | 9 | Philippus de Cagnolis Vercellensis. II. | | | Cremonę |
| 1502. | 10 | Augustinus de Nouis Ticinensis. II. | Monast. S. Mariæ de Cresentiaco antiquum Canon. Regul. & caput vnius Congregat. per nostros reformatur curante Ludouico Sanseuerino Cardinali Commendatario.<br>Monast. S. Iuliani propè Spoletum Monachorum iam Cluniacen. nostris reformādum traditur quod postmodū fuit translatum intra Ciuitatem in Ecclesiam S. Ansani. | 56<br>57 | Rauēnæ. |
| 1503. | 11 | Gabriel de Nigris Vicentinus. II. | Monast. S. Petri in Cælo Aureo Papiæ antiquum Canon. Regul. & Caput vnius Congreg. nostris reformandum assignatur per supplicationem signatam à Pontif. curante Raphaele Riario Card. Commendat.<br>Licet postea in possessionem non intrauerint nisi anno 1509. | 58 | Placētiæ. |

| Ann. Dñi | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| 1504. | Iulij ij. 1 | Albertus Auantius Veronensis R. G. xxxv. I. | Monast. S. Sebastiani Bugellæ fundatum, & nostris assignatum per Stephanum de Ferrerijs Card. & Episcopum Vercellensem. | 59 | Placētiæ. |
| | | | Monasterium S. Io: Baptistæ de Panoclaria propè Anconam Ordinis pridem S. Benedicti nostris reformandum traditur curante Io: Archiepiscopo Ragusino Commendat. Quod postea in vrbis munitione dirutum sub Paulo III. intra Ciuitatem est translatum anno 1546. Iacobo Bonarello Ecclesiam Sācti Claudij Parochialem cedente. | 60 | |
| | | | Monast. S. Matthęi Berthonę antiquum Can. Reg. Congr. Mortarien. nostris reformandum traditur. | 61 | |
| 1505. | 2 | Hieronymus Bossus Mediolanensis. II. | Monast. S. Modesti Beneuenti antiquū Monachorum nostris reformandum datur. | 62 | Placētiæ. |
| | | | Monast. S. Petri de Soporio Diœcesis Aretinę nostris vnitur curantibus ciuibus cum alia annexa Ecclesia. | 63 | |
| 1506. | 3 | Valerius Facinus Vicentinus R. G. xxxvj. I. | | | Cremonę |
| 1507. | 4 | Angelus Pusterla Placentinus R. G xxxvij. I. | Monast. S. Catherui de Tolentino antiqua Præpositura nostris reformandum traditur curantibus ciuibus, & cedente Io: Baptista de Rutilonibus Commendatar. | 64 | Placētiæ. |
| | | | Monaster. S. Trinitatis propè Mutinam antiquum Canon. Regul. nostris reformandū traditur curante Alphonso primo Estense Duce. Quod postmodum in munitione Ciuit. intra deportatum est Anno 1530. | 65 | |
| 1508. | | Gabriel de Nigris Vicentinus. III. | | | Placētiæ. |
| 1509. | 5 | Hieronymus Bossus Mediolanensis. III. | Actualis possessio Canoniæ S. Petri in Cęlo Aureo: post octo menses violenta pulsio, nec non & post paucos dies legitima restitutio. | | Bononiæ. |
| 1510 | 6 | Valerius Facinus Vicentinus. II. | | | Placētiæ. |

An-

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Mona ster. num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1511. | 8 | Angelus Pusterla Placentinus. | Monast. S. Vbaldi propè Eugubium nostris vnitur curantibus Elisabetha & Elionora Ducissis Vrbini. | 66 | Rauēnæ. |
| 1512. | 9 | Cabriel de Nigris Vicentinus. IV. | | | |
| 1513. | Leonis x. 1 | Hieronymus Bossus Mediolanensis. IV. | | | Placētiæ. |
| 1514. | 2 | Valerius Facinus Vicentinus. III. | | | Rauēnæ. |
| 1515. | 3 | Albertus Auantius Veronen. II. | | | Rauēnæ. |
| 1516. | 4 | Germanus Vercellensis R. G. xxxviij. I. | | | Placētiæ. |
| 1517. | 5 | Franciscus Placentinus R. G. xxxjx. I. | Monasterium S. Frigdiani Lucæ antiquum Canon. Reg. & Caput vnius Congregationis nostris vnitur sub Gerardo de Cagnolis illius Priore. | 67 | Placētiæ. |
| 1518 | 6 | Valerius Facinus Vicentinus. IV. | Monaster. S Mariæ Gratiarum Vineolę fundatur, & nostris vnitur per Iacobum de Murenis, Quod postea ad castrum muniendum demolitum in alio commodiore situ fabricatum est Anno 1557. | 68 | Rauēnæ. |
| 1519. | 7 | Albertus Auantius Veronensis. III. | Monast. S. Mariæ ad parietem propè Nolam nostræ Congreg. vnitur. | 69 | Rauēnæ. |
| | | | Monast. S. Benedicti Cremæ antiquum Monacorum nostris reformandum traditur curante Aloysio Tasso Episcopo Racanaten. Commendatario. | 70 | |
| 1520. | 8 | Io: Iacobus Cremonen. R. G. xxxx. I. | | | Mortarij. |
| 1521. | 9 | Valerius Facinus Vicentinus. V. | | | Rauēnæ. |
| 1522. | Adriani j. 1 | Desiderius Mediolanensis R. G. xxxxj. I. | | | Rauennæ. |
| 1523. | 2 | Albertus Auantius Veronensis. IV. | | | Placētiæ. |

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Mona ster. num. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| 1524. | Cleméti. vij. 1 | Io: Iacobus Cremonensis II. | Obijt declinante anno Reuerendissimus Rector Bononiæ. | | Rauēnæ. |
| 1525. | 2 | Raphael Rizzolus Secūdus Placentinus R. G. xxxxij. I. | Reuerendissimus Rector Ferraria Mantuam tendens decedit in Padum, & acquis præfocatur. | | Rauēnæ. |
| 5126. | 3 | Thomas de Pertichellis Cremonensis R. G. xxxxiij. I. | Reuerendissimus Rector diem claudit extremum Cremonæ. | | Placētię. |
| 1527. | 4 | Archangelus Pelissonus Papiensis R. G. xxxxiiij. I. | | | Rauēnæ. |
| 1528. | 5 | Michael de Calidonio Vicentinus R. G. xxxxv. I. | | | Placētiæ. |
| 1529. | 6 | Ludouicus Salodiensis R. G. xxxxvj. I. | | | Bononiæ. |
| 1530. | 7 | Archangelus Pelissonus Papiensis. II. | | | Rauēnæ. |
| 1531. | 8 | Gabriel Arboreus Gattinaria à Gattinaria R. G. xxxxvij. I. | | | Rauēnę. |
| 1532. | 9 | Ioseph à Naue Veronensis R. G. xxxxviij. I. | | | Placētię. |
| 1533. | 10 | Agapitus Schius Vicentinus R. G. xxxxviiij. I. | | | Rauēnę. |
| 1534. | 11 | Angelus Pellissonus Papiensis. III. | Monasteriū S. Petri de Gattinaria fundatum & nostris traditū est per Mercurinum a Gattinaria Card. Gabriellis nostri de Gattinaria Fratrem. | 71 | Rauēnę. |
| 1535. | Pauli iij. 1 | Gabriel Arboreus Gattinaria a Gattinaria. II. | | | Placētię. |
| 1536. | 2 | Franciscus Gaddius Mediolanensis R. G. L. I. | Monast. S. Stephani de Cittadella Vercel. antiquum Monachorum Ordinis S. Benedicti nostris reformandum traditur per Bonifacium Ferrerium Card. Quod postea ob vim bellorum demolitum cum S. Iusti Secusij mutatum est de anno 1580 | 72 | Rauēnæ. |

Fran-

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1537. | 3 | Franciscus Mustus de Laude Vicent. R. G. lj. I. | | | Placentię. |
| 1538 | 4 | Ludouicus Salodiensis. I. | Decedit hoc anno Rector Generalis. | | Rauennæ. |
| 1539. | 5 | Gabriel Arboreus Gattinaria a Gatinaria. III. | Monast. S. Iuliani Imolæ fabricatur à nostris cedēte Ecclesiam Parochialem Matthęo de Cornazzanis, & Galeatio de Bonmercatis. Enituit in Ecclesia instauranda, & in meliorem formam redacenda Aurelij Riccij postea Visitatoris diligentia pōst annos plures. | 73 | Placentiæ. |
| 1540. | 6 | Io. Franciscus Gaddius Mediolanensis. II. | | | Rauennæ. |
| 1541. | 7 | Franciscus Mustus de Laude Vicentinus. II. | | | Cremonę |
| 1542. | 8 | Archangelus Pelissonus Papiensis. IV. | | | Mantuæ. |
| 1543. | 9 | Ioseph a Naue Veronensis II. | | | Placentiæ. |
| 1544. | 10 | Thomas Placentinus R. G. lij. I. | | | Cremonę |
| 1545. | 11 | Valerianus Bergomensis R. G. liij. I. | | | Rauennæ. |
| 1546. | 12 | Pacificus Damicellus Placentinus R. G. liv. I. | Destinatur ad Concilium Tridentinum tres Prælati, ex nostris Riccardus de Olzenengo Vercell. Abbas S. Mariæ de Pręuallo, Sixtus de Rhenis Abbas S. Bartholomæi Pistorij, atquè Paulus Pelatius Lauden. Abbas. | | Cremonę |
| 1547. | 13 | Gabriel Arboreus Gatinaria à Gatinaria. IV. | Rector Generalis diem obijt Mantuę in eius locū sufficitur Raphael Bergomensis. | | Rauennæ. |
| | | Raphael Bergomensis R. G. lv. I. | | | |

Gre-

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1548 | 14 | Gregorius Barbadicus Venetus R.G. LVj. I. | Franciſcus de Aiala noſtrę Cōgregationis profeſſus in Indias ad laborandum pro fide pergit. | | Rauēnæ. |
| 1549. | 15 | Columbinus Raparius Cremonenſis R.G. LVij I. | | | Rauēnæ. |
| 1550. | Iulij iij. 1 | Conſtantius de Vecchijs Mediolanenſis R. G. LViij. I. | | | Rauēnæ. |
| 1551. | 3 | Franciſcus Multus de Laude Vicentinus. III. | | | Rauēnæ. |
| 1552. | 4 | Gratianus à Turre Bugellanus R. G. Ljx. I. | | | Rauēnæ. |
| 1553. | 5 | Gaſpar Dulcinus Bononienſis R. G. LX. I. | | | Rauēnæ. |
| 1554. | 6 | M. Antonius Bagarottus Placentinus R. G. Lxj. I. | | | Rauēnæ. |
| 4555. | 7 | Hieronymus Calinus Brixienſis R.G. Lxij. I. | | | Rauēnæ. |
| 1556. | 8 | Gregorius Barbadico Venetus. II. | Offertur noſtris per Illuſtriſsimos Fererios Monaſt. S. Benigni, & non acceptatur in Oppido Meſſerani. | | Rauēnæ. |
| 1557. | 9 | Columbinus Raparius Cremonenſis. II. | | | Rauēnæ. |
| 1558. | 10 | Conſtantius de Vecchijs Mediolanenſis. II. | Franciſcus de Aiala noſtri Ordinis pro feſſus, qui in indijs laborabat pro Fide petitur, vt in Vicarium Generalē Ordinis ibi promoueatur. | | Rauēnæ. |
| 1559. | 11 | Raphael Bergomenſis. II. Io. Chriſtophorus Zanchus Bergomen. R. G. Lxiij. I. | Obijt Reuerendiſs. Rector die 27. Iulij in eius locum ſuffectus eſt Io. Chriſoſtomus Zanchus Bergomen. per ſuffragia tranſmiſſa, & renunciatus eſt à quattuor Viſitatoribus Bononiæ die 24 Septembris. | | Rauēnæ. |
| 1560. | Pij jv. 1 | Gratianus Turrius Bugellanus. II. | | | Rauēnæ. |
| 1561. | 2 | Paulus Venetus R.G. Ljv. I. | Rector Generalis ad pedes Pontificis prouolutus Sancti Monialium gubernationem deponere tentat, ſed fruſtrà, abnuente Pontifice. | | Rauēnæ. |

M. An-

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. num. | Locus Capl. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1562. | 3 | M. Antonius Bagarottus Placentinus. II. | Iubet Summus Pontifex Rectori Generali Prælaturas ex Ordine in schedâ describi erigẽdas in Abbatię titulum | | Rauennæ. |
| 1563. | 4 | Hieronymus Calinus Brixiensis. II. | | | Rauennæ. |
| 1564. | 5 | Gregorius Barbadico Venetus. III. | Præcedentiæ lis cum Cassinatibus Monacis post longas discussiones per diffinitiuam sententiam Summi Pontificis ad fauorem Primatus Canonici dirimitur. | | Rauennæ. |
| 1565. | 6 | Columbinus Raparius Cremonensis. III. | Restitutio nostrorum Lateranensi Patriarchio per Pontificem suadetur, dissimulantibus nostris ob veteres discordias cum Canonicis sæcularibus, obq; aeris ea in Regione Vrbis Almæ malè affecti intemperiem. | | Rauennæ. |
| 1566. | Pij V. 1 | Gaspar de Legnanis Mediolanensis. R. G. LXV. I. | Vnio Charitatiua cum Canonicis Regularibus Sanctæ Crucis Conimbriæ tractatur. | | Rauennæ. |
| 1567. | 2 | Felix de Emilianis Vicentinus R. G. LXVj. I. | Erigit Pontifex sexdecim nostra Monasteria in Abbatias, dato eis Abbatiali titulo. Generales nostri, qui Rectores Generales dicebantur, Abbates Generales appellari incipiunt ex quadam respectiua congruentia; erectis Abbatialibus Titulis Monasteriorum p Pium Quintum. | | Rauennæ. |
| 1568. | 3 | Gratianus Turrius Bugellanus. III. | Monast. S. Stephani de Ponticulo Bononiensis Diœcesis nostris fundatur cedente Ecclesiã Iuliano de Bagnaria Presbytero. | 74 | Rauennæ. |
| 1569. | 4 | Archangelus de Rossijs Bononiensis R. G. LXVij. I. | Parochialis S. Mariæ Magdalenæ Desenzani nostris assignatur, qui tamen iuri suo cedunt. | | Rauennæ. |
| 1570. | 5 | M. Antonius Bagarottus Placentinus. III. | Cuduntur Officia propria Sanctorum Canonicorum Regularium fienda sub ritu duplici ex concessione Pij Pontificis, quæ pridem ex consuetudine celebrabantur. | | Rauennæ. |
| 1571 | 6 | Hieronymus Calinus Brixiensis. III. | Facta est facultas Reuerendissimo Generali alienandi, videlicet permutandi Arcem Tremitanã à Capitulo Generali; absq; tamen effectu. | | Rauennæ. |
| 1572. | 7 | Calixtus Mazzola Vicentinus R. G. LXViij. | | | Rauennæ. |

| Anni Dñi. | Anni Pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monasterium. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| 1573. | Gregorij xiij. 1 | Raphael Palearius Cremonen. R. G. LXIX. I. | | | Rauēnæ. |
| 1574. | 2 | Paulus Pelatius Laudensis R. G. LXX. I. | Marcus Antonius Columna Card. Protector obtinet a Sanctissimo Breue super nouis Constitutionibus de consensu maioris partis tamen edendis. | | Rauēnæ. |
| 1575. | 3 | Theodosius Burla Placentinus R. G. LXXI. I. | | | Rauēnæ. |
| 1576. | 4 | Georgius Vedanus Vercellen. R. G. LXXII. I. | Ex dispensatione Pontificia celebrantur Comitia Generalia cum septendecim solis vocalibus ob Epidimiam. | | Romæ |
| 1577. | 5 | Archangelus Bossius Bononien. II. | Differtur Capitulum Generale, ac deinde cum solis trigintaseptem vocalibus celebratur ob grassantem Epidimiam ex diplomate Pontificio celebrationem cum solis duodecim fieri posse concedente. | | Rauēnæ. |
| 1578. | 6 | Gabriel Flamma Venetus R. G. LXXIII. I. | Prioratus S. Ioannis de Nicia antiquus Canonicor: Regular. exhibetur Congregationi, sed non acceptatur. | | Rauēnæ. |
| 1579. | 7 | Cyprianus Pontecaralis Brixiensis R. G. LXXIV. I. | Obijt die 4. Februarij 1580. Reuerēdiss. Rector in eius locum sufficitur die 16. Aprilis Hieronymus Calinus Brixiensis in Capitulo Generali per aliquot dies. Serenissimus Mantuæ offert nostris Ecclesiam suam Ducalem S. Barbaræ, quam ob aliquas conditiones non accipiunt. Anticipatur Capitulum Generale per octo dies ex concessione Apostolica. | | Rauēnæ. |
| 1580. | 8 | Petrus Franciscus Riua Veronensis R. G. LXXV. I. | | | Rauēnæ. |
| 1581. | 9 | Theodosius Burla Placentinus II. | Præsidet Generalibus Comitijs ex diplomate Pontificio M. Antonius Columna Cardinalis Protector. Forma regiminis Congregationis tam priuati, quàm publici immutatur. Rectores Generales seu Abbates Generales triennales constituuntur, qui priùs annuales erant. Prælati Congregationis, qui tantum triennales erant, fiunt in Prælaturis perpetui, licet non in eodem Monasterio. | | Romæ |

Anno-

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. Num. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | Annorum inter Generalia Comitia intermediorum Dieta constituitur, Generalis, & functorum Visitatoratu. | | |
| | | | Monast. S. Pastoris Reatæ nostris vnitur cedente M. Antonio Columna Protectore Comendatario. | 75 | |
| | | | Monast. S. Iusti Secusiæ nostris vnitur cedente Guido Ferrerio Card. Commendatario. | 76 | |
| | | | Dietæ Anconæ, & Mantuæ. | | |
| 1584 | 10 | Petrus Franciscus Riua Veronensis. II. | Capitulum Generale per annum differtur ex dispensatione Pontificia Commissaria nondum expleta. | | Rauennæ. |
| | | | Dietæ tres annuales Romæ. | | |
| 1588. | Sixti v. 3 | Camillus Becius Casalensis Abbas G. lxxvj. I. | Commissarij ad lustrandam totam Congregationem de Anno 1587. per Pontificem deputantur, in cuius fauorem hoc anno retulit Bonauentura Bagnarius Senensis Minorita. | | Rauennæ. |
| | | | Monast. S. Stephani Derthonæ nostris vnitur. | 77 | |
| | | | Dietæ vtræquè Rauennæ. | | |
| | | | Rector Generalis nuncupatur Abbas Generalis per appellationem Papalem, & appellatio inchoarat antea sub anno 1567. | | |
| 1591. | Gregorij xiiij. 1 | Camillus Becius Casalensis. II. | Diplomate Pontificio Reuerendissimus Abbas Generalis in officio suo per hoc triennium prorogatur. | | Cremonæ. |
| | | | Dietæ vtræq; habitæ Rauennæ. | | |
| 1594. | Clemen. viij. 2 | Ascanius Martinengus Brixiensis A. G. lxxvij. I. | Dietæ Bononiæ, & Patauij. | | Rauennæ. |
| | | | Vsus defferendi almutias in choro reassumptus. | | |
| 1597. | 5 | Theodosius Rouescalla Papien. A. G. lxxviij. I. | Prior Dieta Cremonæ, in qua publicatur diploma Pontificium abrogationis maiorum nationum, & statuitur, vt indifferenter Prælaturæ conferrãtur solo respectu meritorũ habito. Propterquod decem & octo Prælati à suis Prælaturis absoluuntur. | | Rauennæ. |
| | | | Posterior Dieta Rauennæ, in qua Pontificium decretum exequitur, vt Generales, & Visitatores quandiù in talibus officijs fuerint careant omni actuali Prælatura. | | |
| 1600. | 8 | Iacobus Ruellius Venetus A. G. lxxjx. I. | Prima Dieta Rauennæ postquam obijt Reuerendiss. Abbas Generalis, & in eius locum sufficitur ex primo Visitatore Reuerendiss. Seraphinus Merlinus Rauennas. | | Rauennæ. |
| 1602 | 10 | Seraphinus Merlinus Rauennas A. G. lxxx. I. | Secunda Dieta Rauennæ, in qua ex diplomate Pontificio abrogatur Præ- | | Arimini. |

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monaster. num. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| | | | latorum nostrorum Perpetuitas ab annis circiter viginti introducta, & & reuersum est ad triennale gubernium. | | |
| 1603. | 11 | Celsus Dugnanus Mediolanensis A. G. lxxxj. I. | Dietæ Arimini, & Patauij. | | Rauēnæ. |
| 1606. | Pauli v. 2 | Petrus Bonsignorius Bononien. A. G. lxxxij. I. | Peracto priore anno Reuerendissimus Generalis fato cedit octuagenario maior. In eius locum sufficitur ex diplomate Pontificio Vicarius Apostolicus Reuerendissimus Seraphinus Merlinus Rauennas. | | Rauēnæ. |
| 1608. | 4 | Seraphinus Merlinus Rauennas. II. | Partitur Congregatio per suas quinq; Prouincias constitutione Apostolica. Dietæ Rauennæ, & Mediolani. | | Rauēnæ. |
| 1609. | 5 | Archangelus Campatius Mediolanensis A. G. lxxxiij. I. | Præsidet Generali Capitulo Card. Flaminius Platus Protector ex litteris Apostolicis. | | Rauēnæ. |
| 1610. | 6 | Io. Chrisostomus Pongolenus Neapolit. A. G. lxxxiiij. I. | Obijt infra primum annum Reuerendissimus Generalis in eius locum sufficitur Ioannes Chrisostomus Pongolenus Neapolitanus. Dietæ Romæ, & Vicentiæ. | | Romę |
| 1612. | 8 | Seraphinus Merlinus Rauennas. III. | Monast. S. Caroli Minacij fundatur, & nostris vnitur pia largitione Cinthij de Caluis. Dietæ Rauennæ, Romæ. | 78 | Rauēnæ. |
| 1615. | 11 | Petrus Frācīscus Malettus Vercellensis A. G. lxxxv. I. | Electio Abbatis Generalis per turnum (aiunt) in quinque Prouincias instituitur statuto Pontificio. Birettum subiecta papiro ad communem formam aptatur. Dietæ Ferrariæ, Bononiæ. | | Rauēnæ. |
| 1618. | 14 | Seraphinus Verdellius Cremensis A. G. lxxxvj. I. | | | Rauēnæ. |
| 1621. | | Constantinus Phaseolus Laudensis A. G. lxxxvij. I. | Dietæ Bononiæ, & Ferrariæ. | | Rauēnæ. |
| 1624. | | M. Antonius Manettus Massa Floren. A. G. lxxxviij. I. | Vnio charitatiua cum Canonicis Reg. Congregationis de Vuindesem in Belgio. Dietæ Romæ, Bononiæ. Constitutiones Generales Canonissarum nostri Ordinis in vnum compactæ confirmantur. | | |

| Anni Dñi. | Anni pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monasiter. Num. | Locus Capli |
|---|---|---|---|---|---|
| 1627 | | Ioseph Viuolus Rauennas A.G. lxxxjx. I. | Vnio omnimoda cum Canonicis Reg. Congregationis de Vuindeiem in Belgio. Præsidet Generali Synodo Robertus Vbaldinus Card. Bononiæ Legatus diplomate Pontificio. Decedit infra secundum annum Reuerendissimus Generalis Bononiæ, dum Visitatores ad Congregationem pręstolarentur. In eius locum sufficitur Laurus Astulphus Ariminen. in dieta sequenti Placen. Dietæ Romæ, Placentiæ. In hac præsidet Alexander de Scapijs Episcopus Placentin. diplomate Pontificio. | | Bononiæ. |
| 1629. | | Laurus Astulphus Ariminensis A.G. xc. I. | | | Placētiæ. |
| 1630. | | Polycarpus de Capellis Casalensis A. G. xcj. I. | Capitulum Generale Placētiæ inditum transfertur, & celebratur Bononiæ ob Epidimiæ morbum, neutiquam in eo conuenientibus ob grassantem luem in eorum regione Pedemontanis Liguribus, atque Insubris Patribus. Idem Capitulum, & Acta eius approbantur Diplomate Pontificio. Dietę Mediolani, & Regij inter difficultates viarum, & comercij ob vigentem adhuc Epidimiam. | | Bononiæ. |
| 1633. | | Ascanius Arbizzanus Veronen. A. G. xcij. I. | Præsidet Generali Capitulo Lęlius Falconerius Vtriusq; Sign. Referendarius, & Viceprotector, deinde Archiepiscopus Thebarum, postea Card. & Legatus Bonon. Die 14. Decembris per S.D.N. assignatur Protector Congregationi nostræ Gregorius Narus Card. Decedit anno sequenti Reatæ Episcopus eius Ciuit. Dietę Mediolani, & Regij Lepid. Differtur per annum Capitulum Generale ex dispensatione Pontificia ob grassantem Epidimiam. | | Rauennæ. |
| 1637. | | Polycarpus Clotius Cremonēsis A. G. xciij. | Dietę Regij Lepidi, Bononiæ. | | Bononiæ. |
| 1640. | | Marcus Antonius Gentilis Bonon. A. G. xcjv. | Decedit post octauum mensem Papiæ ad Sanctum Petrum, tumulatur ad Sanctum Epifanium die 21. Decembris. | | Bononiæ. |

Anto-

| Anni Dñi. | Anni Pont. | FASTORVM | GENERALIT. | Monasterium. | Locus Capli. |
|---|---|---|---|---|---|
| 1641. | | Antonius Parmesanus Rauennas A. G. xcv. | Conueniunt Placentiæ septendecim Definitores, & Procurator Generalis Romanus, qui omnes eligunt Generalem contrascriptum. Dieta Rauennæ. | | Placētiæ. |
| 1643. | 20 | Andreas Fotia Genuensis A. G. xcvij. | Creatur Fotia Generalis vna cum quatuor Visitatoribus, & Procuratore Generali per Breue Pontificium Vrbani. Dieta Papiæ, ad S. Petrum Rauennæ. | | Rauēnæ. |
| 1646. | Innocētij x. I | Alexander Troilus Anconitanus A. G. xcvij. | Dieta Arimini, Bononiæ. Corona capitis reliquo Clero conformis ex vsu. | | Rauēnæ. |
| | | | | | |
| | | | | | |
| | | | | | |
| | | | | | |
| | | | | | |
| | | | | | |

Ausonij Galli translatum.

*Hactenus adscripsi Fastos, si fors vltra volet*
*Adijciam, si non; qui legis adijcias.*

EMI-

EMINENTISS. ET REVERENDISS. S. R. E.

# CARDINALES PROTECTORES

## CANONICORVM REGVLARIVM CONGREGATIONIS LATERANEN.

1431 Iulianus de Cæsarinis Romanus, quo rogante vnitum fuit Congregationi Monasterium S. Benedicti nunc S. Augustini de Placentia ab Eugenio Quarto.

1461 Berardus Herulus Narniensis Cardinalis dictus Spoletanus Episcopus Spoletanus creatus Cardinalis à Pio II. 1460. Dicitur Can. Reg. Later. Protector à Thoma Herera in Defens. Pacifica pag. 46. ex testimonio Ambrosij Coriolani. Vir insignis decessit Romæ ab Sixto IV. anno 1479.

1490 Oliuerius Caraffa Neapolitanus, qui proprijs sumptibus ędificauit Monast. almæ Pacis de Vrbe post extructam ab Sixto Quarto Pontifice Ecclesiam. & ex testamento Bibliothecam suam, similiter, & vineam eidem Monasterio legauit. Decessit 1504.

1511 Nicolaus de Flisco Genuensis Cardinalis ab Alexandro Sexto. In Capitulo Generali Anni 1511. videtur electus Protector in locum Caraffæ demortui. Protector apertè appellatur ab Augustino Ticinensi in nuncupatoria Elucidarij Christianarum Religionum impressi Brixiæ Anno 1511. Decessit Romæ Anno 1524. XVIII. Kal. Iulij.

1532 Hercules Gonzaga Mantuanus. De Anno 1534. Agapitus Schius Vicentinus Rector Generalis dicat ei Sermones Beati Petri Chrysologi Archiepiscopi Rauennatis ab se prius editos Bononiæ, quem, & Protectorem fatetur. Habemus item & Bullam Pauli Tertij Pontificis eidem Cardinali Protectori directam de Anno 1539. Decessit 1563.

1563 Franciscus Gonzaga Mantuanus Feràtis filius Protector factus de Anno 1565. ex Actis Capitularibus, & ex nuncupatoria Columbini Raparij Cremonen. pro Libro Allegationum de præcedentia cum Cassinatibus. Decessit 1565.

1570 Marcus Antonius Columna Romanus Cardinalis creatus à Pio Quarto.

1606 Flaminius Platus Mediolanensis creatus à Gregorio Quartodecimo Protector à Paulo Quinto, decessit Anno 1611.

1512 Iacobus Sera Genuensis Cardinalis creatus à Paulo Quinto, & ab eodem Protector in locum Plati, de vniuersa Congregatione benemeritus Decessit Romæ Anno

1620 Alexander Vrsinus Romanus Cardinalis creatus à Paulo Quinto Protector à Gregorio Quintodecimo, decessit Anno

1633 Gregorius Narus Romanus Cardinalis creatus ab Vrbano Octauo, & ab eodem Protector, Decessit Reatæ Episcopus 2634.

1636 Franciscus Barberinus Vrbani Octaui nepos S. R. E. Procancellarius ab eodem Vrbano Protector: & illo in Gallias profecto de anno 1645.

Fridericus Sfortia Cardinalis Comprotector nominatur ab Innocentio Decimo.

VE-

VENERABILIVM
DVODECIM PRIMORVM

# REFORMATIONIS

## FRIGDIONARIÆ

PATRVM CANONICORVM.

| *Ordo Vocationis, & Nomina.* | *Cognomina.* | *Patria.* | *Dignitates tempore Obitus.* | *Locus obitus.* | *Annus obitus.* |
|---|---|---|---|---|---|
| I. Leo | de Carate | Mediolanen. | Prior S. Crucis Cęsenę | Cæsenæ | 1438. |
| II. Thaddæus | Binaschius | Papiensis | Prior s. marię in Strad. | Rauennæ | 1441. |
| III. Bartholomęus | Columna | Romanus | Apud S. Benedictum | Mantuę | 1430. |
| IV. Ioannes | de Olandia | Bergomen. | Rector Gen. pridem | Frigdionarię | 1447. |
| V. Hieronymus | de Noothis | Theutonicus | | Venetijs | 1420. |
| VI. Augustinus | Ansideus | Pisanus | Archipresbyter | Carpi | 1438. |
| VII. Michael | de Salis | Lucensis | | Casoreti | 1416. |
| VIII. Franciscus | de Franciscinis | Placentinus | | Brixiæ | 1420. |
| IX. Benedictus | Parcitadius | Ariminensis | Prior S. Leonardi | Veronæ | 1412. |
| X. Petrus | de Ridp | Patauinus | Prior S. Bartholomæi | Mantuæ | 1448. |
| XI. Galdinus | de Bardis | Placentinus | R.G.& Prior Portuen. | Rauennæ | 1433. |
| XII. Nicolaus | de Curte | Papiensis | Rect. Gen. pridem | Casoreti | 1421. |

VENERABILIVM
DVODECIM ALIORVM
Qui post supradictos floruerunt secundo loco
IN REFORMATIONE FRIGDIONARIA
LATERANEN.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| I. Petrus | de Saluadeis | Patauinus | Rector Gen. pridem | Patauij | 1437. |
| II. Sanctes | de Petris | Bononiensis | Prior | Rauennæ | 1430. |
| III. Nicolaus | de Zanolinis | Bononiensis | Episc. Bonon. design. | Lucæ | 1444. |
| IV. Simon | Aliprandus | Mediolanen. | Prior | Casoreti | 1451. |
| V. Orosius | de Oxio | Mediolanen. | Rector Gen. pridem | Mediolani | 1464. |
| VI. Bassianus | Porrius | Mediolanen. | Rector Gen. pridem | Mediolani | 1429. |
| V. Paulus | Mapheus | Veronensis | Prior Vincentiæ | Ferrariæ | 1453. |
| VIII. Timotheus | Mapheus | Veronensis | Archiepis. Ragusinus | Ragusij | 1442. |
| IX. Celsus | Mapheus | Veronensis | Prior | Veronæ | 1503. |
| X. Aurelius | de Electis. | Placentinus | Rector Gen. pridem | Placentiæ | 1463. |
| XI. Benedictus | | Placentinus | Prior Lateranensis | Romæ | 1451. |
| XII. Hieronymus | Barisanus | Taruisinus. | Prior Paduæ | Ferrariæ. | 1493. |

# FINIS.



INDEX

# INDEX
## NOMINVM SCRIPTORVM
### QVORVM ELOGIA TEXVNTVR.

LIBRI PRIMI



LIBRI SECVNDI



LIBRI TERTII



LIBRI QVARTI



LIBRI QVINTI.



LIBRI SEXTI.

LIBR. SEPTIMI.



LIBRI OCTAVI.



LIBRI NONI.



LIBRI DECIMI.



LIBRI VNDECIMI.



LIBRI DVODECIMI.



LIBRI TERTIIDECIMI.



LIBRI QVARTIDECIMI.

### LIBRI QVINTIDECIMI.



### LIBRI SEXTIDECIMI.



### LIBRI DECIMISEPTIMI.




### LIBRI DECIMIOCTAVI.



### LIBRI DECIMINONI.







# INDEX
## NATIONVM SCRIPTORVM
### CONGREGATIONIS LATERANENSIS.



IN

# INDEX
## LIBRORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,
QVOS,
VEL IN TOTVM, VEL EX PARTE
SCRIPTORES CANONICORVM LATERANENSIVM
ILLVSTRARVNT.



IN



IN

# INDEX
## NOMINVM SCRIPTORVM
### CANONICORVM REGVLARIVM
### CONGREGATIONIS S. SALVATORIS DE BONONIA,

Qui ad notitiam noſtram deuenerunt,

*QVORVMVE ELOGIA*

Ex animi propenſione hìc annectere peroptaremus, ſi ſatis inſtructi nobis de illis videremur.

Alphonſus Bauoſius Bononienſis.
Alphonſus Spezzanus.
Ambroſius Morandus Centenſis.
Angelus Bonicius.
Auguſtinus Iſnardus.
Auguſtinus Manfridus Mantuanus.
Auguſtinus Steuchus Eugubinus.
Auguſtinus Zalottus.

Bartholomæus Dionyſius Fanenſis.
Bernardinus Guidonius.
Blaſius Cialdinus Bononienſis.

Candidus Megliarius.
Conſtantinus Ghinus Senenſis.
Conſtantius Hierotius.
Cęſar Guidonius.

Euſtachius à Sabiniano.

Fauſtus Bracaldus.
Fauſtus Riſalithus.
Florianus Canalis Venetus.
Franciſcus Ghiſilerius Bononienſis.

Honofrius Zarabinus à Cotignola.

Iacobus Lebetius Ferrarienſis.
Io: Albertus Lauredanus Venetus.
Io: Baptiſta Dominicus.
Io: Baptiſta Signius Bononienſis.
Ioannes Felix Aſtulphus.
Io: Paulus Capriolus.
Io: Maria Artuſius.
Io: Philippus Lilius.
Ioſeph Bergomas.
Ioſeph Eugubinus
Ioſeph Mozzagrugnus Neapolitanus.
Innocentius Caſarus.

Laurus Baldus.
Leonardus Cernotus.
Leonardus Malaſpina.

Marcus de Brixia.
Marcus Marinus.
Marinus Venetus.
Martinus Alphonſus Viualdus Neapolitanus.

Nicolaus Granetus Brixienſis.

Patritius Spinius.
Paulus Acerbus Mantuanus.
Petrus Franciſcus Rainerius.
Pius Mirandula.


Rainerius Bauoſius Bononienſis.

Seraphinus Gerardius.
Stephanus Conuentius.

Theodorus Ghinius.

Valentinus Pinus Caglienſis.

# FINIS.



# R E G E S T V M.

*Primi Tomi.*

✱ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vuu.

*Secundi Tomi.*

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz.
Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh.

Omnes ſunt Duerniones, præter ✱, & Hhh qui ſunt Terniones.




C Æ S E N Æ
A P V D N E R I V M M. DC. IL.
*SVPERIORVM PERMISSV.*

